
HYPOMNEMATA
MATHEMATICA,

Hoc est eruditus ille pulvis, in quo se exercuit

ILLVSTRISSIMVS, ILLVSTRISsimo & antiquissimo stemmate ortus Princeps, ac Dominus, MAVRITIVS Princeps Auraïcus, Comes Nassoviæ, Cattimoelibocorum, Viandæ, Moersii, &c. Marchio Veræ, & Vlissingę, &c. Dominus civitatis Gravæ, & ditonis Cuyc, civitatum Vyt, Daesburch, &c. Gubernator Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Westfrisiæ, Zutphaniæ, Vltrajecti, Transisalanę, &c. Imperator exercitus Provinciarum fœdere consociatarum Belgii, Architalassus Generalis, &c.

A SIMONE STEVINO *conscripta, & è Belgico in Latinum à* VVIL. SN. *conversa.*



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Ioannis Patii, Academiæ Typographi.

Anno cIↄ. Iↄ. c. VIII.

Illuſtriſſimo Principi,

MAVRITIO PRINCIPI

AVRAICO, COMITI NASSOVIO, &c.

GVBERNATORI, ET ΑΡΧΙΣΤΡΑΤΗΓΩι

Belgii ΑΥΤΟΝΟΜΟΥ, &c.

ILLVSTRISSIME PRINCEPS,

CVM Mathematica tua gymnaſmata in meas manus veniſſent, quemadmodum illa Mathematicarum artium ſcientiſſimus, & planè Archimedeus vir SIMON STEVINVS, *celſitudinis tuæ* ingenioſiſſimus miniſter, machinator ſolertiſſimus, & quaſi Iulii Cæſaris alter Soſigenes in unum volumen contracta, noſtrate, hoc eſt Batavorum linguâ in hominum manus emiſit, & publici juris eſſe fecit, ut contra labantem fugientemque memoriam amuletum eſſet & remedium: ita ſtatim illius viri opera laudata, ita materia ipſa probata fuit, ut in latinum ſermonem converti, & ſic quaſi Romana civitate donari digniſſima viderentur, & quidem duabus de cauſis. Quæ enim invidia eſſet, diviniſſima illa tua Mathemata noſtrâ linguâ concluſa & quaſi conſtricta tenere? neque cum aliis populis & nationibus communicare velle? præſertim cum Muſarum fores candidas eſſe oporteat, Theognide illud ita præcipiente. Deinde ut apud cujusque generis, ætatis, nationis homines, quam poteſt breviſsime, rariſsimum iſtud, maximeque admirabile ingenii, induſtriæ, ſagacitatis, aſsiduitatis & tolerantiæ tuę in Mathematico pulvere exemplum inclareſcat, & teſtatum fiat. Cum enim in præteriti temporis exempla cogitatione regredior, neminem Imperatorum aut Regum, ex omni ætatum, temporum, civitatum memoriâ, invenio, quem ad tantam Mathematum nō dico ſcientiam, ſed quod longè maximum eſt experientiam, uſum, & machinationes perveniſſe, quiſquam hominum, ex ipſorum quidem monu-

mentis, & ſcriptis poſteritati relictis, docere poteſt, ut tecum ILLVSTRISSIME PRINCEPS contendi & comparari, nedum anteponi poſsit, qui in medio tanti, tamque fama & difficultate nobilitati belli incendio & ardore, ita te in hoc pulvere exercuiſti, ut in contemplationibus *Euclides* alter, in machinationibus *Archimedes* alter, in caſtris denique Iulius alter nominari ſis meritus. Necepſus, Petoſiris, Beroſus, & Hermes, quamvis Triſmegiſtus, aliique Reges, Sacerdotes & Sophi, magna ſunt, & per ora hominum volitantia nomina: ſed ſcientiam illorum in diverſis imò univerſis Matheſeos partibus, non ex aliorum teſtimoniis, ſed illorum ipſorum ſcriptis, quis arguet? quis demõſtrabit? Talia vero PRINCEPS ILLVSTRISSIME tua Mathemata ſunt, ut illorum ſcientia tanquam luce colluſtratus (Ennii verbo utor) Sapienti potẽs audias, uſu verò militari inſtructus & armatus in univerſo Terrarũ orbe Bellipotens celebreris, & faxit Armipotens ille Deus

Caneſcas ſeculis innumerabilibus.

Quæ quãtopere ad ſapientiam conducunt philoſophi in ſuis diatribis, & gymnaſiis ſatis diſputant: quam verò oportuna, imò neceſſaria ad militiam mathemata ſint, Homerus poëtarum maximus Mathematicarum Muſarum numine haud dubiè afflatus Achillis clypeo annuiſſe & ſignificaſſe mihi videtur, quando Vulcanum à Thetyde exoratum cœli ſydera, Terræ ſpatia, & Oceani æſtus, hoc eſt univerſæ matheſeos argumentum, & quaſi breviarium in eo cœlaſſe fabulatur: quapropter lepidè admodum & concinnè Ajacem Vlyſſes ludit ac ridet, quod tantarum rerum ignarus & rudis miles tam dædala *Achillis* arma auderet petere.

Scilicet idcirco pro nato cærula mater
Ambitioſa ſuo fuit, ut cœleſtia dona
Artis opus tantæ, rudis & ſine pectore miles
Indueret, neque enim clypei cœlamina novit
Oceanum, & Terras, cumq; alto ſydera cœlo,
Pleïadasq;, hyadasq;, immunemq; æquoris Arcton,
Diverſasq; urbes, nitidumq; Oreonis enſem,
Poſtulat; ut capiat quæ non intelligit arma.

Et pro-

Et profectò quisquis imperator hostem petere, invadere, sustinere, eludere, declinare, antevertere, occasiones præripere, expeditiones obire, hoc est, ut summatim dicam militiam apparare, castra figere ac metari, & cum hoste congredi feliciter ac cum laude vult, à Mathematicis artibus armatus & instructus sit, aut illarum peritos in consiliorum communionem & societatem assumat necesse est. Ideo divinus ille Plato, librorum, quibus suæ reipublicæ cives informat, septimo, nullum disciplinæ genus ἀνδρὶ πολεμικῷ tam necessarium esse, quam numerandi scientiam, scriptum reliquit, & ad Troiam Agamemnonem ineptum & absurdum imperatorem fuisse dicit, si quæ probra & convicia in illum jactabat Palamedes, ab Arithmetica destitutus & quasi exarmatus fuit, quia ab Arithmetica, instruendæ aciei notia est, ait idem. Tactici certè jam inde antiquitus numerum pariter parem 16384 militum isti fini excogitarunt, quia πρὸς τοὺς τῶν ταγμάτων μετασχηματισμοὺς aptissimus est, inquit Ælianus: cuneata enim acies in quadratam, utraque in orbem aliquando colligenda, aut orbis contra in alias figuras explicandus est: Acierum autem σχήματα, quid aliud quam Geometriam veluti in abaco depictam repræsentant & exhibent? cuneus enim dimidiatus Rhombus in triquetrum transformatus ad perrumpendas acies efficax est, quâ figurâ tres cohortes Cæsaris duo Sicambrorum millia perruperunt, & mechanici cunei instar diffiderunt. Orbis ut inter figuras pulcherrimus: ita in usu militari præstantissimus est, cujusmodi acie treceenti legionarii morinorum sex milia amplius quatuor horis duce Trebonio equite Romano sustinuerunt. De Geometrica Castrorũ metatione dicere quid attinet? Polybius disertus satis & locuples autor est, ut nõ frustra illud Platonis sit; ad castrametandum inquientis, ad loca occupandum, ad aciem contrahendum, ad laxandum, ad copias ordinandum in ipsis etiam itineribus, & præliis gnarus an ignarus imperator sit, plurimũ interest. Philippus Macedo cum Melitæorum urbem per dolum & insidias capere vellet, scalas non satis longas secum adferens, spe sua frustratus discessit, quæ res felicissime illi cecidisset, si

altitudine muri è conjuratis cognitâ, aut Gæodæſiæ oculis eminus notatâ, ſcalarum longitudinem ex trianguli rectanguli natura ratiocinari potuiſſet. Quam claram facem imperatori optica accendit? cum illâ colluſtratus, quid hoſtis in caſtris ſuis conetur tanquam præſens coram intueri, hoſtium conſilia & molimina antevertere, claſſem incendio evertere facile poſsit. Specula enim ita collocari poſſe docet, ut ea quæ in vicis, quæ in alienis ædibus geruntur, ut exercitus etiam longinquo ſpatio disjunctus, quaſi ante oculos videatur, ut nō planè fabuloſum ſit, quod Benjamin Tudulenſis, qui ante annos ferè CCCCXL maximam Terrarum orbis partem notatis itineribus dimenſus eſt, refert. In Alexandriæ phari faſtigio ſpeculum collocatum fuiſſe, in quo bellicæ naves, quæ ex Græcia, & reliquo occidente nocendi causâ in Ægyptum navigarent, multas paraſangas diſtantes, videri poſſent, & ſic Ægyptiis longo tempore cautioni fuiſſe, donec tandem à Græco quodam ναυάρχῳ fractū & colliſum ſit: cujus etiam Leo Afer, ſed tanquam fabulæ meminit, & πρηστικὸν fuiſſe ſcribit, ſed illum tanquam cœcū & optici luminis inopem mittamus, ignem certè ſpeculis multifariam, & imprimis parabolico excitari optici noverunt, quo πρηστικῷ genere Archimedes Syracuſanus à Marcello obſeſſa patria Romanorum claſſem exuſſit, ut Galenus, & Anthemius opticus referunt, quâ laude etiam Proclus à Zonara hiſtorico celebratur, qui ad Byzantium flammâ à ſpeculo, tanquam fulmine à cœlo, miſsâ hoſtium claſſem & claſsiarios combuſsit. Quo autem piaculo te, Aſtrologia, præteream, cujus ignorantiâ magni exercitus & imperia ſæpe ſunt deleta, & victoriæ occaſiones è manibus elapſæ. Nicias imperator pavore deficientis Lunæ conſternatus, & cauſæ neſcius, Athenienſium opes, afflixit, quod claſſem è portu educere vereretur: quam penè Alexandri Macedonis miles Lunæ defectu, tanquam ominoſo prodigio dilapſus abiſſet, niſi à Chaldæis & Ægyptiis defectus cauſam edoctus fuiſſet? Quid Agathoclem Syracuſanum commemorem, qui à Luna argumēto ſumpto ſpe vanâ militem implevit. Quanto rectius & conſtantius Sulpitius Gallus, Cice-

ronis.

tonis in Astrologia magister, qui pridie quam Perseus Macedonum rex superatus est, in concionem ab imperatore paulò ante productus Eclipsin prædixit, rationem illius & causam in medium adduxit, & exercitum sollicitudine liberavit. Denique cum ubique, tum maximè in bello occasio dominatur, & utramque quasi paginam facit, ad occasionem, ad temporis notationem, rationemque, ad solstitium, æquinoctium, brumam, ad intermediorum dierum accretiones & diminutiones attendat miles necesse est, diei partes ex umbris, noctis autem ex syderum ortu & occasu metiatur. Sic enim Homerus Vlissem, de rebus non solum mari, sed etiam terrâ gerendis conjecturam è cœlo & astris facientem inducit.

Geographia terrâ marique itinera dirigit & moderatur, ne Mysiam pro Troiade, quod Agamemnon fecisse dicitur, populetur exercitus. Annibal pœnus Pelorum gubernatorem, Megabazus Persa Salganeum ductorem, locorũ, hic Eubœæ, ille Siciliæ inscitia interfecerunt, & Xerxico bello naufragiorum tabulis plena fuit Græcia. Contra Argonautas à Colchica expeditione revenientes Æetæ manibus expedivit & liberavit, dum enim Geographiæ perito & consulto obtemperant, Bospori & Hellesponti angustiis quas ab Æete obsideri timebãt, declinatis, per Istrum flumen in Græciam redierunt. Prudens igitur Aristagoræ Misiorum Tyranni consilium, qui cum Cleomenem Spartanum ad bellum Persis inferendum adhortari vellet, æneam tabulam cui Terræ ambitus, & intervalla incisa erant secũ attulisse, & in ea populos ab Ægæo mari Susa usque, & locorum situs quam accuratissimè ostendisse dicitur. Mechanicæ adjumenta, nonne machinis & tormentis bellicis, quibus urbes oppugnantur, imo expugnantur & contra propugnantur, satis superque testata sunt? quâ laude summi mathematici Archytas, Eudoxus, Proclus, Perseus, ante omnes autem Archimedes nobilitatus fuit, mirabilis certè bellicorum tormentorum, & operum inventor ac machinator, quibus ea, quæ hostis in Syracusarum obsidione ingenti molimine ageret, ipse per levi momento, tanquam Bryareus, aut ἑκατόγχειρ aliquis ludificaretur. Sed quomodo

Vziam

Vziam Iudæorum regem sexcentis ferè annis Archimede majorem ego tacitus præteream, cum scriptura θεόπνευστος illum nominis celebritatem apud longinquas gentes mathematica sua meruisse clamet, *Paravit enim, inquit, scuta, spicula, galeas, loricas, & arcus pro toto exercitu, usque ad fundarum lapides, etiam Hierosolymis machinas ingeniosissimè excogitatas fecit, quæ in turribus & murorum angulis collocatæ mitterent sagittas & grandia saxa, exivitq́, nomen ejus usque in longinquum.* Hinc satis manifestum est, quamvis Græci, gens vana, sibi omnia tribuant, ab Hebræis arma & machinas esse reperta. Sagax certè animus, quod & Eusebius concludit, facilè videt sacra, imperia, artes ab oriente in occasum, (qui & cœli motus est) & in reliquam orbis partem paulatim defluxisse. Sed quo dilapsa est oratio mea, cum id initio propositum non fuerit, & quid ego qui nunquam hostem, nunquam castra, nunquam militaris muneris partem ullam attigi, quid ego inquam ILLVSTRISSIME PRINCEPS hæc apud te, qui incunte adolescentia ad difficillimum bellum, & acerrimos hostes profectus, tot annos, tanta rei militaris scientia, virtute, autoritate, felicitate exercitum duxisti, totque pugnas depugnasti? Itaque vela colligo, & ad id quod initio cœperam me revoco. Istæ inquã causæ & rationes sunt quibus addictus, imò compulsus hæc tua mathemata ILLVSTRISSIME PRINCEPS latina facta, tanquam alterum Achillis impenetrabilem clypeum offero, præsertim cum Typographus impensis suis excusa typis divulgare volens, illud à me rogaret serio.

Celsitudini Tuæ

devotissimus

WIL. SN.

TOMVS PRIMVS

MATHEMATICORVM HYPOMNEMATVM,

DE

COSMOGRAPHIA.

Quo comprehenduntur ea in quibus se exercuit

ILLVSTRISSIMVS, ILLVSTRISsimo & antiquissimo stemmate ortus Princeps, ac Dominus
MAVRITIVS, Princeps Auraïcus, Comes Nassoviæ,
Cattimelibocorum, Viandæ, Moersii, &c. Marchio Veræ, & Vlissingæ, &c.
Dominus civitatis Gravæ, & ditonis Cuyc, civitatum Uyt,
Daesburch, &c. Gubernator Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ,
Westfrisiæ, Zutphaniæ, Vltrajecti, Transisalanæ, &c.
Imperator exercitus Provinciarum fœdere
consociatarum Belgii, Architalassus
Generalis, &c.

Conscriptus à SIMONE STEVINO.



LVGDVNI BATAVORVM,
Ex Officinâ Ioannis Patii, Academiæ Typographi.
Anno cIↃ. IↃ. c. VIII.

BREVIARIVM
COSMOGRAPHIÆ.

COsmographia trifariam dispertita agit.

Primò de doctrina Triangulorum.

Secundò de Geographia.

Tertiò de Astronomia, seu orbium cœlestium conversione & motu.

PRÆFATIO.

Ostquam PRINCEPS *multò* ILLUSTRISSIMUS *Mathematicum pulverem non, ut vulgò solent, extremis tantum digitis tetigisset: sed etiam penitius tractavisset (animo enim mentique ejus haud leviter infixum sedebat, Mathematicas artes vocationi munerique suo esse apprimè necessarias) deincepsque jam non tantum si quid de Mathematicis artibus vulgatum publicatumq; esset rimari, sed etiam in scriptis non editis industriam suam exercere cœpisset; ea ego meo more modoque descripta, in ordinem digerebam, & tanquam Mathematica hypomnemata asservabam. Quæ cum* PRINCIPI ILLUSTRISSIMO *itinerum socia, neque omninò periculorum expertia essent; & maximè quidem quod itinera, expeditionesque ista incertis bellorum casibus essent obnoxia. memini me ipsum hâc sollicitudine haud leviter anxium videre; ne, si infortunio aliquo hæc interciperentur, simul quodammodo subsidia, ad quæ cum est opus, tanquam ad sacram anchoram (neque enim ista omnia memoriâ teneri possunt) confugitur, intercidere ne, simulque illa, in quibus sedulam adeò navârat operam, funditus interirent. Quæ cum animo meo perpenderem; præterea etiam hæc non aliena tantum esse monumenta, sed ipsius quoque inventis & epichirematis (quod in ipso opere perspicies) commista: & quidem istiusmodi, ut incredibile videatur ista in Principem tantis, tamque gravibus curis distractum cadere potuisse, nisi causæ quæ hunc scrupulum amolirentur suo loco declaratæ essent. ut inquam adeò infaustum scævumque casum evitarem, tutissimum judicavi, si ista ipsa Hypomnemata typis cudenda subjicerem. eaque tantum huc congererem, quæ tutò & cum utilitate publica vulgari possent; ut unis alterisve deperditis, alii tamen libri extarent. Si quis tamen ita autumet, hoc infortunium declinari potuisse hisce libris bis, terve iteratò descriptis; hoc ob tres causas potissimum commodè fieri haud potuisse respondeo. Primam, ne quis hæc scripta olim nactus, labores nostros, nostraque epichiremata, & inventa sibi adscriberet: id enim nonnunquam evenisse vidimus; quæ res solùm editis libris optimè declinabitur. Deinde jam hoc commodi inde existet, ut si qui commissos in istis errores notabunt, corrigant, & publico bono aliis novis inventionibus locupletent. quod voluptati erit ei cui ista descripta sunt. Denique cum in sequentibus ostensurus sim me arbitrari maximas & illustrissimas artes, quales erudito seculo cognitæ erant, inveniri & perfici non posse, nisi à maximâ aliquâ hominum societate suâ vernaculâ linguâ collatis operis tractentur, cumque totum hoc opus isti maximè fini institutum sit, descriptumque, horum librorum occultatio à proposito sibi scopo, & instituto meo foret aliena.*

MATHEMATICORVM HYPOMNEMATVM ARGVMENTVM, ET ORDO.

HYpomnemata hæc Mathematica in quinque volumina seu tomos disparavimus, eritque

Primus De Cosmographia.

Secundus De Praxi Geometrica.

Tertius de Statica.

Quartus De Optica.

Quintus de Miscellaneis.

Singulis Tomis argumenti sui summarium, quo librorum, partium, tmematúmve ordo, & numerus explicetur, præfiximus.

PRIMVS LIBER
DOCTRINAE TRIANGVLORVM,
DE
SINVVM CANONIBVS
FABRICANDIS.

*4

BREVIARIVM HVIVS LIBRI

DE FABRICA SINVVM.

Post novem quam maximè necessarias definitiones succedent propositiones de sinuum canone fabricando, eiusdemque usu: post has tangentium, secantiumque fabrica, (quæ sinuum quædam species sunt, ex iisque derivata & propagata) earundemque usus sequetur.

PARS PRIMA
COSMOGRAPHIÆ,
DE
TRIANGVLORVM
DOCTRINA.

BREVIARIVM DOCTRINAE
TRIANGVLORVM.

ISta Triangulorum doctrina cujus utilitas neceſſitaſque ad Geographiam, Aſtronomiam, Praxin Geometricam, aliaſq; artes ubi laterum quantitas, angulorúmve amplitudo in ſuperficie indagandæ ſunt, longe lateq; diffunditur, quatuor libris explicabitur, eritque

Primus de Fabrica Canonis ſinuum.

Secundus de Triangulis planis.

Tertius de Tripleuris ſphæricis.*

Quartus de Sphærarum cœleſtium problematis, quæ ſphæricorum triangulorum ratiocinio expediuntur.


* Τρίπλευρα Menelao vocantur ſphærica triangula, teſte Pappo: quamvis Euclidi primiſcuè etiam plana.

DEFINITIONES.

1 DEFINITIO.

Arcus anguli, est ſegmentum ſemiperipheriæ à cruribus comprehenſum, è vertice anguli tanquam centro delineatæ.

Sint enim AB, AC, crura anguli BAC, è cujus vertice A tanquam centro, intervallo quocunque puta AB, deſcriptum ſit ſegmentum BC, & primò quidem minus ſemiperipheriâ, hoc ſegmentum amplitudinem anguli BAC definiens arcus anguli dicitur: cum verò ſegmentum illud quadranti peripheriæ æquale, majus aut minus eſſe poſſit, (ſiquidem triplex angulorum inæqualitas triplicem ſegmentorum rationem arguit & ab eâ viciſſim arguitur) centro A ſemiperipheria BCD delineator, AE autem ſemediametros ſuper rectam BD ad angulos rectos erigitor, quare BC erit arcus anguli minor quadrante, amplitudinem anguli acuti BAC, arcus verò anguli CD quadrante major amplitudinem obtuſi CAD definiens, quemadmodum arcus anguli BE quadranti circuli æqualis amplitudinem recti determinat.



2 DEFINITIO.

Sinus, eſt recta ab arcus terminô in diametrum perpendicularis.

Sic in diagrammate antecedenti ſit arcus anguli BC primò minor quadrante, videlicet anguli acuti BAC, à cujus termino C perpendicularis CF in diametrum BD demiſſa eſt, hæc CF dicetur ſinus, cujus ope amplitudo anguli BAC expenditur. Eadem ratione GF erit ſinus obtuſi anguli CAD nam ex ſententia definitionis eſt ab arcus DC termino, in diametrum BD perpendicularis, neque alia ejuſdem quantitatis à puncto C in BD perpendicularis cadit, quæ angulum CAD eo ſtatu conſervet. Denique manifeſtum eſt AE eſſe ſinum anguli recti BAE.

3 DEFINITIO.

Sinus-sagitta eſt ſegmentum diametri à perpendiculô ſinus ad peripheriam.

Exponatur peripheria CEH, cujus chorda ſeu ſubtenſa ſit CGH, quam GE ſagittæ inſtar rectè biſecet, & cum veterum nonnulli qui chordas loco ſi-

nuum usurpabant eam sagittam dixerint; nobis vocem istam eo significatu retinere placuit. Verumenimvero quia in sinuum canonibus C G semissis chordæ, sinus est dimidiæ peripheriæ C E, ipsa G E non erit jam sagitta arcus C E, sed adjuncta suo sinui sagitta, quamobrem eam sinus sagittam diximus, hoc est, diametri segmentum, hic à G termino sinus C G, illic à peripheriæ C E termino E interceptum. Pari modo F B erit sinus-sagitta ipsius C B quæ minor quadrante quoque sit, ut in antecedenti exemplo C E: reliqua autem F D erit sinus-sagitta arcus C E D quadrantem superantis. Denique cum & angulus B A C & arcus B C iisdem gradibus definiantur, F B etiam dicetur sinus-sagitta anguli B A C, & reliqua F D sinus-sagitta obtusi C F D.

4 DEFINITIO.

ARCUS differentiæ, est differentia positi arcus à quadrante.

ESTO B C propositus arcus minor quadrante B E: differentia utriusque C E, dicetur arcus differentiæ quo positus B C à quadrante differt. Quod si expositus arcus C D quadrantem D E excedat, differentia C E erit arcus differentiæ, quippe quo quadrans peripheriæ à proposito C D exceditur.

5 DEFINITIO.

ANGULUS differentiæ, est differentia positi anguli à recto.

SIVE positus angulus sit major seu minor recto. Sic in superiori catagraphe angulus B A C sit minor recto B A E, differentia utriusque ut angulus C A E, dicetur angulus differentiæ positi B A C: Sin vero major recto fuerit ut C A D, differentia ut C A E, quâ positus obtusus rectum superat, dicetur angulus differentiæ positi C A D.

6 DEFINITIO.

COMPLEMENTUM semiperipheriæ, est arcus qui dato additus semiperipheriam complet.

ESTO positus arcus B C, cum quo compositus arcus C D semiperipheriam compleat, addititius arcus C D dicetur complementum semiperipheriæ expositi B C. Et simili argumento erit B C complementum semiperipheriæ positi arcus D C.

7 DEFINITIO.

TANGENS anguli, est recta parallela sinui, altero termino tangens extremum arcus anguli & intercepta à reliquo cruure ulterius producto.

IN an-

In antecedenti figura ponatur CF ſinus anguli BAC ut ſupra, cui parallela BI, altero termino B tangens peripheriam circuli, reliquo autem ſecet crus AC productum in I: BI itaque (quoniam peripheriam circuli in puncto B tangit) tangens dicetur anguli BAC. Eadem ratione BI erit tangens obtuſi anguli CAD, cum ex definitionis præſcripto parallela ſit ipſi FC ſinui obtuſi anguli CAD, contingens altero termino B perimetrum circuli in puncto B, & reliquo cruri AC producto occurrens in I.

8 DEFINITIO.

Secans, eſt anguli crus alterum ad tangentem uſque extra peripheriam productum.

Sic AC crus acuti anguli CAB, aut obtuſi CAD, productum extra peripheriam ad I uſque, id eſt recta AI, quia peripheriam ſecat, ſecans dicitur anguli CAB aut etiam CAD. Hic illud obiter notandum duximus, ſi voce ſinus dimenſio anguli intelligitur, id eſt cujus ope anguli quantitas explicatur quod Belgico vocabulo *Houckmaet* indicari videtur, eandem quoq; tangentibus & ſecantibus communem eſſe, neque enim rectæ à puncto B ad productam AC, nec ab A per C ad lineam BI diverſæ quantitatis ab his duci poſſunt, quæ eundem acuti BAC aut obtuſi CAD magnitudinem immutatam conſervent: verum ut hæ ab illo tanquam prima cauſa & fundamento reliquarum diſtinguantur ſecernanturque tangentes & ſecantes dictæ ſunto.

9 DEFINITIO.

Cognitas lineas aut angulos dicimus, quorum quantitas numero explicatur.

NOTA.


Hactenus voces huic arti propriæ expoſuimus, priuſquam tamen ipſas propoſitiones ordine ſuo deſcribo, nonnulla in medium adducere ſtatui quæ tyronibus & huic ſtudio primum initiatis conducere arbitror.

Non raro enim uſu venit pleroſque canones ſinuum, tangentium, ſecantium uſurpare illorum ſyntheſi ignorata. Utrum bona an mala ratione merito quis ambigat: ſi quidem ſcire eſt rem per cauſas cognoſcere, præſtare videbitur rationem Canones conficiendi antè perſpexiſſe, cui uſus tanquam fundamento innititur. Occurritur tamen tyronem uſu ante edoctum quot quantæque res canonum iſtorum adjumento expediantur amore multo majore inflammari acrioriique deſiderio ad cauſas quæ magis reconditæ ſunt inveſtigandas excitari, quam ſi uſus planè ignotus eſſet. Qui ab hac mente ſunt, prius in uſu ſe exerceant, qui potiſſimum in triangulis cum planis tum ſphæricis conſiſtit, de quibus ſecundo tertioque libro abunde dicetur.

PROPOSITIONES DEINCEPS SVCCEDVNT.

1 PROBLEMA. 1 PROPOSITIO.

COGNITIS ſemidiametro & ſinu: anguli differentiæ ſinum cognitum reddere.



Διδόμενον. DATVM. Deſcripto quadrante ABC, ſemidiametros AC ponatur partium 5, & ſit DE ſinus anguli DAE, earundẽ 4, cujus anguli differentiæ ſinus eſt EF.

Ζητούμενον. QVAESITVM. Longitudo EF numeris definienda eſt.

Πραγματεία. CONSTRVCTIO.

Quadratum ſemidiametri 5 fit 25.
Quadratum ſinus DE 4 fit 16.
Quo deducto de 25 numero in hac ſerie primo, reliquis erit 9.
Cujus quadrati latus exhibet quæſitam EF 3.

Κατασκευή. PRAEPARATIO. Ducatur recta AE. Ἀπόδειξις. DEMONSTRATIO. Quadratum ſemidiametri AE 25 æquatur quadratis DE 16 & quadrato rectæ DA, ideoque quadratum DE 16 ſubductum de quadrato AE 25, relinquet quadratum DA 9, cujus latus pro DA eſt 3: ſed EF æquatur DA unde efficitur EF ſinum anguli differentiæ eſſe earundem 3.


Συμπέρασμα. CONCLVSIO. Itaque cognita ſemidiametro & ſinu, invenimus ſinum anguli differentiæ. Quod erat faciendum.

2 PROBLEMA. 2 PROPOSITIO.

COGNITA ſagitta & ſemediametro: ſinum ſemiſſis ejuſdem arcus cognitum reddere.

DATVM. Eſto quadrãtis ABC ſemidiametros AB 24, arcus anguli ſit DB, hujus ſinus DE, ſagitta EB expoſitarum partium 3, recta autem AFG biſecet chordam DB, ideoque BF ſinus erit arcus BG, ſemiſſis propoſiti DB.

QVAESITVM. Quantitas dicti ſinus BF numeris exprimenda eſt.



CON-

CONSTRVCTIO.

Semissis A B 24 est	12.
Quæ multiplicata per sagittam E B partium	3.
Dabunt	36.
Cujus quadrati latus exhibet quæsitam B F	6.

PRAEPARATIO. AB bisecta sit in puncto H.

DEMONSTRATIO. Cum triangula ABF, DBE sint rectangula & communem habeant angulum ad B erunt similia, ideoque A B ad D B, eandem habebit rationem, quam F B ad BE: sed A B & D B in ea sunt ratione in qua earum semisses H B, B F, quare ut H B ad B F, ita eadem B F ad BE: & B F media est proportione inter extremas H B, B E, ideoque ut ipso opere expressum fuit, numerus longitudinis H B, id est semissis A B, ductus in numerum rectæ B E, conficiet quadratum mediæ, cujus latus dabit sinum B F.

CONCLVSIO. Cognita itaque sagitta, & semidiametro, sinus semissis ejusdem arcus inventus fuerit quod erat faciendum.


3 PROBLEMA. 3 PROPOSITIO.

COGNITIS semidiametro, & duorum arcuum, & arcuum differentiæ sinibus: chordam arcus quo inter se discrepant invenire.

DATVM. Esto propositi quadrantis A B C, semidiametros A C partium 10, duo sinus D E 6, F G 8, arcuum differentiæ sinus recti ut EH, G I, per primam propositionem valent 8 & 6, arcu autem E G discrepant inter se dati B G, B E, quam subtendit recta G E. QVAESITVM. Invenienda sit G E chordæ quantitas.

CONSTRVCTIO.

Rectâ F G	8.
Multatâ F K æquante rectam D E	6.
Restabunt pro K G	2.
Deinde de E H	8.
Deductâ K H æquante datam G I	6.
Reliquus erit pro K E	2.
Et ejus quadratum	4.
Compositum cum quadrato K G 2, quæ tertium in hac serie locum obtinet, valente	4.
Dabit summam	8.
Cujus quadrati latus est quæsita E G	√8.



DEMONSTRATIO. Cùm enim in triangulo EKG rectangulo, crura recti E K, K G, singula valeant 2, efficitur ut E G latus recto oppositū sit √8, per 47 propositionem lib. 1. *Euclidis*. CONCLVSIO. Itaque cognitis semidiametro & duorum arcuum & arcuum differentiæ finibus: Chordam arcus quo dati inter se discrepant in partibus expositis æstimatam exhibuimus.

NOTA.


HACTENVS propositiones hæ tanquam generalia præcepta sequentium problematū calculo servientia, descriptæ sunto: In quibus radius *Regiomontani*

more modoque tandem in 1900000 nobis partitus erit. Neque silentio prætereundum nos declinādæ molestiæ causâ ipsosmet à *Regiomontano* in canonem congestos numeros descripsisse, non adhibito accuratiore examine an ubique veritati congruant: Illustrissimus Princeps autem ea solummodo exempla supputavit quæ totum hoc negotium dilucide satis exponere visa sunt. Quod si incuriâ typographi, aut alio aliquo casu quædam menda irrepserunt, ego me (cujus præcipuus scopus est horum canonum fabricam describere) extra causam culpamque pono.

4 PROBLEMA. 4 PROPOSITIO.

POSITA semidiametro circuli 1000000000: & sinus & arcuum differentiæ sinus è continua bisectione 90 graduum derivatorum, donec ad imparis numeri scrupula prima deventum sit, invenire.

DATUM. Positi quadrantis A B C semidiametrus A C esto partium 1000000000. Et quia semidiametros sit sinus arcus 90 grad. ulteriori epilogismo non est opus: verum dispone hæc eâ quâ exhibemus formâ.



Arcus ang.	*Sinus.*
90.	1000000000.

DEINDE bisecto arcu B C 90 grad. in puncto D, perpendicularis D E in radium A C demissa, erit sinus arcus D C 45 grad. cujus quantitas è propositione secundâ datur. Latus enim quadrati 500000000000000000 facti à dimidio radio A C 500000000, per totam A C quæ sagitta est arcus dupli D C, dat rectam D E 707106782, quæ infra sinum 90 grad. scribantor.

Arcus ang.	*Sinus.*
• 90 o.	1000000000.
45 o.	707106782.

Hinc 90 grad. punctum præfigitor indicium sinum bisegmenti inventum esse.

Porro ad factionem sinus semissis 45 graduum, bisecetur D C in F unde ducta in A C perpendicularis F G est sinus arcus F C 22 grad. 30 ①. Quem suppeditrabimus eâdem ratione quâ suprà, è propositione secunda: planus è semidiametri A C semisse 500000000 & sagitta E C 292893218 (cujus quantitas patet deductâ A E æquante datâ D E 707106782 de A C 1000000000) dabit 146446609000000000 hujus quadrati latus, est numerus congruens rectæ F G 382683432, cujus ope F H sinus arcus differentiæ, adhibitâ propositione primâ, dabitur subducto quadrato F G de quadrato semidiametri, reliqui latus 923879533 exhibet F H sinum peripheriæ F B 67 grad. 30 ①.

Binis

Binis hic cum arcubus tum finibus suo loco dispositis, hæc dabitur forma quam infrà vides.

Arcus ang.		*Sinus.*
• 90.	0.	1000000000.
• 45.	0.	707106782.
22.	30.	382683432.
67.	30.	923879533.

Deindè puncto ut ante 45 gradib. præfixo, bisegmenti sinum datum esse significo.

Postremò ut inveniam sinum rectum dimidii arcus 22 grad. 30 ①, à puncto I bisecante peripheriam F C deduco rectam I K in radum A C ad angulos rectos, nempè sinum arcus I C 11 grad. 15 ①, quem eâdem planè assequar viâ quâ antecedentes: recta enim A G æquatur inventæ H F partium 923879533, deinde A G sublata de A C, relinquet sinum versum G C, unde I K invenietur 195090322, & arcus differentiæ I B 78 grad. 45 ① sinus I L earundem 980785280, hos inventos numeros in ordinem, quo cœptum est modo, digere.

Consimili planè bisecandi modo continuè procedendo, donec scrupula prima imparis numeri occurrant, hisque bisegmentorum & arcuum differentiæ sinibus distinctè ac ordinatè dispositis hâc demum consistent formulâ.

Arcus ang.		*Sinus.*
• 90.	0.	1000000000.
• 45.	0.	707106782.
• 22.	30.	382683432.
• 67.	30.	923879533.
11.	15.	195090322.
78.	45.	980785280.
33.	45.	555570233.
56.	15.	831469611.


Conclusio. Posita itaque semediametro circuli 1000000000 partium, inventi sunt sinus & bisegmentorum, & arcuum differentiæ è continua bisectione 90 grad. derivatorum, donec ad imparis numeri scrupula prima deventum est.

5 PROBLEMA. 5 PROPOSITIO.

Posita semidiametro circuli 1000000000: arcus 36 grad. & arcus differentiæ sinum, omniumque arcuum, & arcuum differentiæ è continua bisectione 36 grad. derivatorum, donec ad imparis numeri scrupula prima deventum sit, sinus invenire.

Datum. Descripti semicirculi A B C, semidiametros D C valet 1000000000, è cujus centro D educta B D perpedicularis sit diametro A C: & E punctum bisecans semidiametrum D C, connectatur cum B, ductæque

E B æqualis fit E F fecans diametrum in F, recta ab F ad B erit latus quinquanguli ordinati,in circulum cujus diametros eft A C infcripti, demonftrante *Ptolomæo* cap.9. lib.11 magni operis.Quare inventâ B F, cognita erit chorda 72 grad. cujus femiffis finus eft 36 grad.



QVAESITVM. Popofitum eft invenire femiffem rectæ B F.

CONSTRVCTIO. B D valet 1000000000 hujus quadratum fi addantur quadrato D E 500000000, fummæ latus dabit 1118033988 pro recta B F, cui fuprà æqualis pofita eft E F, de quâ fublatâ D E 500000000 reliqua F D erit 618033988,cujus quadrati,compofiti cum quadrato D B,fummæ latus exhibet longitudine rectam B F (nam trianguli F B D angulus D rectus eft) 1175570504 utpote chordam 72 grad.ideoque femiffis 587785252 fuerit finus quæfiti arcus 36 grad. Cujus demonftratio ex deductione calculi fatis manifefta eft.

Sed ex invento finu 36 grad. datur finus arcus differentiæ, in cujus bifectione eâ procedendum eft viâ quam propof. quartâ expreffimus, donec fcrupula imparis numeri calculum fiftant, ut fubjecta tabella dilucidè explicat. Prima autem bifectio in propofita thefi redundat nam quantitas F D ante inventa expofitarum partium 618033988, æquatur lateri decanguli ordinati è 9 cap. lib.1. *Ptolomæi*, hoc eft fubtenfæ peripheriæ 36 grad. ideoque dimidium 309016994 fuerit finus 18 gradium.

Arcus ang.		*Sinus.*	*Arcus ang.*		*Sinus.*
• 36.	0.	587785252.	• 40.	30.	649448048.
• 54.	0.	809016995.	• 49.	30.	760405965.
• 18.	0.	309016995.	20.	15.	346117057.
• 72.	0.	951056515.	69.	45.	938191337.
• 9.	0.	156434465.	42.	50.	678880745.
• 81.	0.	987688340.	47.	15.	734322510.
• 4.	30.	78459097.	• 31.	30.	522498567.
• 85.	30.	996917333.	• 58.	30.	852640163.
2.	15.	39259815.	15.	45.	271440450.
87.	45.	999229037.	74.	15.	962455237.
• 27.	0.	453990495.	38.	15.	619093952.
• 63.	0.	891006525.	51.	45.	785316932.
• 13.	30.	233445363.	24.	45.	418659737.
• 76.	30.	972369920.	65.	15.	908143173.
6.	45.	117537397.	29.	15.	488621240.
83.	15.	993068457.	60.	45.	872496008.

CONCLVSIO. Data itaque femidiametro circuli 1000000000 invenimus finum 36 grad. & bifegmentorum & arcuum differentiæ è continuâ bifectione 36 grad. natorum donec ad imparis numeri fcrupula prima deventum eft.

6 PRO-

6 PROBLEMA. 6 PROPOSITIO.

. POSITA ſemidiametro circuli 1000000000: arcus 30 grad. & arcus differentiæ ſinum, item omnium arcuum & arcuum differentiæ ſinus è continua biſectione 36 grad. donec ad imparis numeri ſcrupula prima deventum ſit, derivatorum invenire.

LATVS ſexanguli ordinati æquatur ſemidiametro circuli 1000000000, quoniam verò ſubtendit ſextam peripheriæ partem hoc eſt 60 grad. erit earundem 1000000000: ſinus autem 30 grad. vel ſemiſſis chordæ 60 grad. eſt 500000000: quo cognito, datur ſinus arcus differentiæ. Biſecandi autem eadem formula eſt, quam propoſitione quartâ oſtendimus, continuanda uſque eo dum ubique ſcrupula prima imparis numeri occurrant. Atque calculi, tabellam hanc expeſſi, eo quo videtis ordine.

Arcus ang.		*Sinus.*
• 30.	0.	500000000.
• 60.	0.	876025403.
• 15.	0.	258819045.
• 75.	0.	965925827.
• 7.	30.	130526192.
• 82.	30.	99t444862.
3.	45.	65403128.
86.	15.	997858923.
• 37.	30.	608761430.
• 52.	30.	793353340.
18.	45.	321439465.
71.	15.	946930130.
41.	15.	659345815.
48.	45.	751839807.
26.	15.	442288690.
63.	45.	896872742.

CONCLVSIO. Poſita itaque ſemidiametro 1000000000 partium, inventi ſunt 30 graduum, atque arcus differentiæ ſinus, cum univerſa inde natorum familia, utrimque continuè biſecando, donec inparis numeri ſcrupula prima, calculum inhibeant. Quod erat faciendum.

7 PROBLEMA. 7 PROPOSITIO.

POSITA ſemidiametro circuli 1000000000: arcus 12 grad. & arcus differentiæ ſinum, item omnium arcuum & arcuum

arcuum differentiæ ſinus è continuâ biſectione 12 grad. donec ad imparis numeri ſcrupula prima deventum ſit, derivatorum, invenire.

Cum è propoſitione 6, 30 grad. & arcus differentiæ ſinus noti ſunt, è 5 autem propoſitione, 54 grad. & arcus differentiæ ſinus dentur, ideò è tertia propoſitione, chorda arcus 24 quo dicti inter ſe diſcrepant valebit 415883384 dimidia verò 207911692 ſinus quæſitus arcus 12 graduum: quo cognito invenitur arcus differentiæ ſinus. Reliquæ biſectionis eadem via eſt quam propoſitione quarta explicuimus, donec ad imparis numeri ſcrupula prima devenitur, quam ſequens deſcriptio apertè demonſtrat.

Arcus ang.		*Sinus.*	*Arcus ang.*		*Sinus.*
• 12.	0.	207911692.	12.	45.	220697435.
• 78.	0.	978147602.	77.	15.	975342320.
• 6.	0.	104528463.	35.	15.	577145190.
• 84.	0.	994521895.	54.	45.	816641555.
• 3.	0.	52335957.	• 24.	0.	406736643.
• 87.	0.	998629535.	• 66.	0.	913545458.
• 1.	30.	26176948.	• 34.	30.	566406237.
• 88.	30.	999657323.	• 55.	30.	824126188.
0.	45.	13089622.	17.	15.	296541575.
89.	15.	999914327.	72.	45.	955019945.
• 39.	0.	629320392.	39.	45.	639439002.
• 51.	0.	777145962.	50.	15.	768841832.
• 19.	30.	333806860.	23.	15.	394743857.
• 70.	30.	942641492.	66.	45.	918791210.
9.	45.	169349503.	32.	15.	533614515.
80.	15.	985556058.	57.	45.	845727772.
• 42.	0.	669130607.	• 33.	0.	544639035.
• 48.	0.	743144825.	• 57.	0.	838670568.
• 21.	0.	358367950.	• 16.	30.	284015345.
• 69.	0.	933580427.	• 73.	30.	958819735.
• 10.	30.	182235525.	8.	15.	143492622.
• 79.	30.	983254908.	81.	45.	989651387.

Arcus

Arcus ang.		*Sinus.*	*Arcus ang.*		*Sinus.*
5.	15.	91501618.	27.	45.	465614520.
84.	45.	995804928.	62.	15.	884987637.
•43.	30.	688354575.	•28.	30.	477158760.
•46.	30.	725374372.	•61.	30.	878817113.
21.	45.	370557437.	14.	15.	246153293.
68.	15.	928809553.	75.	45.	969230910.
44.	15.	697790460.	36.	45.	598324600.
45.	45.	716301943.	53.	15.	801253813.
25.	30.	430511097.	30.	45.	511293187.
64.	30.	902585285.	59.	15.	859406412.

CONCLUSIO. Posito itaque radio circuli 1000000000, 12 graduum & ejus arcus differentiæ sinus invenimus: omniumque arcuum & arcuum differentiæ sinus, natos è continua bisectione 12 grad. donec ubique ad imparis numeri scrupula prima deventum sit. Ut erat quæsitum.

NOTA.

ORDINE convenienti dispositis sinibus quos antecedentium 4, 5, 6 & 7 propositionum calculus suppeditat, deprehendes per æquale intervallum 45 ① ascendendo, totius quadrantis sinus inventos esse. Cujus incrementi, ut exemplo clarius appareat, tabellam hanc infrascriptam delineavimus.

Arcus ang.		*Sinus.*	*Arcus ang.*		*Sinus.*
0.	45.	13089622.	18.	0.	309016995.
1.	30.	26176948.	18.	45.	321439465.
2.	15.	39259815.	19.	30.	333806860.
3.	0.	52335957.	20.	15.	346117057.
3.	45.	65403128.	21.	0.	358367950.
4.	30.	78459097.	21.	45.	370557437.
5.	15.	91501618.	22.	30.	382683432.
6.	0.	104528563.	23.	15.	394743857.
6.	45.	117537497.	24.	0.	406736643.
7.	30.	130526192.	24.	45.	418659737.
8.	15.	143492622.	25.	30.	430511097.
9.	0.	156434465.	26.	15.	442288690.
9.	45.	169349503.	27.	0.	453990495.
10.	30.	182235525.	27.	45.	465614520.
11.	15.	195090322.	28.	30.	477158760.
12.	0.	207911692.	29.	15.	488521240.
12.	45.	220697435.	30.	0.	500000000.
13.	30.	233445363.	30.	45.	511293087.
14.	15.	246153293.	31.	30.	522498567.
15.	0.	258819045.	32.	15.	533614515.
15.	45.	271440450.	33.	0.	544639035.
16.	30.	284015345.	33.	45.	555570233.
17.	15.	296541575.	34.	30.	566406237.

Arcus

Arcus ang.		*Sinus.*	*Arcus ang.*		*Sinus.*
35.	15.	577145190.	63.	0.	891006525.
36.	0.	587785252.	63.	45.	896872742.
36.	45.	598324600.	64.	30.	902585285.
37.	30.	608761430.	65.	15.	908143173.
38.	15.	619093952.	66.	0.	913545458.
39.	0.	629120392.	66.	45.	918791210.
39.	45.	639439002.	67.	30.	923879533.
40.	30.	699448048.	68.	15.	928809553.
41.	15.	659345815.	69.	0.	933580427.
42.	0.	669130607.	69.	45.	938191337.
42.	45.	678800745.	70.	30.	942641492.
43.	30.	688354575.	71.	15.	946930130.
44.	15.	697790460.	72.	0.	951056515.
45.	0.	707106782.	72.	45.	9550199.5.
45.	45.	716301943.	73.	30.	958819735.
46.	30.	725371372.	74.	15.	962455237.
47.	15.	734322510.	75.	0.	965925827.
48.	0.	743144825.	75.	45.	969230910.
48.	45.	751839807.	76.	30.	972369920.
49.	30.	760405965.	77.	15.	975342320.
50.	15.	768841832.	78.	0.	978147602.
51.	0.	777145962.	78.	45.	980785280.
51.	45.	785316932.	79.	30.	983[illegible]54908.
52.	30.	793353340.	80.	15.	985556058.
53.	15.	801253813.	81.	0.	987688340.
54.	0.	809016995.	81.	45.	989651[illegible]87.
54.	45.	816641555.	82.	30.	991444862.
55.	30.	824126188.	83.	15.	993068457.
56.	15.	831469612.	84.	0.	994521895.
57.	0.	838670568.	84.	45.	995804928.
57.	45.	845727772.	85.	30.	996917333.
58.	30.	852640163.	86.	15.	997858923.
59.	15.	859406412.	87.	0.	998629535.
60.	0.	866025403.	87.	45.	999229037.
60.	45.	872496008.	88.	30.	999657323.
61.	30.	878817113.	89.	15.	999914327.
62.	15.	884987637.	90.	0.	1000000000.


ATQVI sic quidem concinnavimus canonem sinuum rectorum, per æquale intervallum 45 ① crescentium: verum cum nec è bisectione nec subductione expositorum præceptorum, sinus arcuum reliquorum in integra scrupula desinentium assequi possimus, in sequentibus aliam adhibebimus rationem, ante demonstrato hoc theoremate, quod ad eorum investigationem apprimè utile fuerit.

1 THEOREMA. 8 PROPOSITIO.

SI in quadrante circuli perpendiculares à terminis æqua-

æqualium arcuum ſecent ſemidiametrum, ſegmentum propius centro erit majus remotiore.

DATUM. Eſto quadrans ABC, ſemidiametros AC in quam ab æqualium arcuum terminis DE, EF ſunto perpendiculares DG, EH, FI, ſemidiametri ſegmenta GH, HI à perpendicularibus intercepta.



QUAESITUM. Demonſtrandum eſt ſegmentum GH propius centro, majus eſſe remotiore HI.


PRAEPARATIO. Ducito chordas arcuum DE, EF, ſuper quibus tanquam diametris deſcripti ſunt circelli DKE, ELF: hinc perpendiculares EK in DG, & FL in EH demittantur, completoque ſemicirculo BCM, rectæ DG, EH productæ ſecent peripheriam CM in punctis N & O.

DEMONSTRATIO. Quia arcus EN major eſt arcu FO, angulus EDK angulo FEL major erit, & arcus EK quam FL, ideoque chorda KE quam chorda LF: verum GH interſegmentum æquatur KE, & HI rectæ LF, quare GH quam HI major quoque erit. CONCLUSIO. Itaque in quadrante circuli perpendicularibus à terminis æqualium arcuum in ſemidiametrum demiſſis: interſegmentum ſemidiametri centro vicinius eſt majus remotiore. Quod erat demonſtrandum.

8 PROBLEMA. 9 PROPOSITIO.

POSITA ſemidiametro circuli 10000000, 1 grad. & arcus differentiæ, item omnium arcuum, & arcuum differentiæ ſinus è continua biſectione 1 gradus, donec ad imparis numeri ſcrupula prima deventum ſit, derivatorum invenire.

DATUM. In quadrante ABC ſemidiametros AC 1000000000 partium ſupponitor, BE arcus 1 grad. 30 ① ſinus rectus DE, valet 26176948 ut ſupra patuit. Sint præterea arcus BF 45 ①, BG 1 gradus, & ductis in DE perpendicularibus FH, GI, DH erit ſinus, aut ſaltem æqualis ſinui, arcus 45 ①, DI ſinus 1 grad. Porrò arcum BF in tres æquas partes diſtinguant puncta K, L, & peripheriam GE biſariam dividat punctum M, à quibus in DE perpendiculares KN, LO, MP, demittantur.



QVAESITVM. Propositum sit hinc longitudinem sinus 1 gradus & arcus differentiæ, & omnium arcuum & arcuum differentiæ è continuâ bisectione derivatorum, donec ad imparis numeri scrupula prima deventum sit, numeris iisdem definire qualium semidiametros 10000000 supponitur.

CONSTRVCTIO.

DH sinus 45 ①, ut supra patuit, longitudo 13089622.
Hujus triens 4363207.
Major fuerit numero qui rectæ OH congruit per propositionem 8, & quidem firmiori ratione major esse, quam ut HI rectæ conveniat, convincetur, quo posito trientem ad DH 13089622 qui hoc ordine primus est addo, quorum totus major est sinu unius gradus DI 17452829.
Quibus concessis DE sinum rectum 1 grad. 30 ① suprà inventum è regione adscribo 26176948.
Vnde deductâ DH 13089622 numero in hac serie primo, relinquetur HE 13087326.
Pars tertia 4362442.
Minor est numero definiente HI, per propositionem 8: atque hoc ita posito istum trientem ad DH 13089622 addo, numerum itidem hujus ordinis primum, totus deficit à numero sinus unius gradus DI 17452064.
Sed tertio hujus ordinis loco demonstravimus 17452829 excedere veram quantitatem DI: Ideoq; DI minor fuerit quã 17452829 & major quam 17452064. His cõcessis, Ajo: quandoquidem, ut canones constituamus, sinuum rationes majoribus numeris expressas, qui à veris ad summum unâ solum unitate absunt, inquirimus, & usus communis æstimatione semidiametri 10000000 sit contentus, de sinu toto 1000000000 detritis duabus extremis notis, restare. 10000000.
Et totidem novissimis de 17452829 hujus ordinis tertio relinqui 174528.
Totidem similiter postremis de 17452064 superesse 174520 vel quia addita unitate vero propior erit, restare 174521.
Denique inter hos 174528 & 174521 qui ordine nonus & decimus sunt quantitatem sinus unius gradus consistere, semidiametro 10000000 partibus taxatâ. His concessis sinum unius gradus quæsitum consequens est statui inter utrumque medium 174524.

Ad inventionem sinus arcus differentiæ unius gradus, videlicet 89 grad.

E propositione primâ deprehendo sinum arcus differentiæ suprascripti 17452829 (qui excedit quantitatem sinus 1 grad.) esse 999847688.

Et sinum

Et ſinum arcus differentiæ ſupra deſcripti 17452064 (qui exceditur à quantitate ſinus 1 grad.) eſſe 999847702.

Vnde neceſſariò efficitur ſinum 89 grad. poſitâ ſemidiametro 1000000000, majorem eſſe priore & minorem poſteriore numero: ab utroque autem detractis duabus noviſſimis notis, qui relinquetur utrobiq; (ad taxationem ſemidiametri 10000000) dabit ſinum 89 grad. 9998477.

Ad inventionem ſinus 30 ①.

Subducito inventum 999847668 (qui deficit à ſinu 89 grad.) de ſemidiametro 1000000000, reliqua erit ſagitta 152312: inter hanc & 500000000 inventus medius proportionalis numerus (minor fuerit numero qui ſinui 30 ① congruit) 8726363.

Secundò ſupra inventum 999847702 (qui major eſt ſinu 89 grad.) deducito de ſemidiametro 1000000000, reſtabit ſagitta 152298: inter quam & 500000000 medius proportionalis numerus (major erit quam ut conveniat 30 ①) 3726740.

Ideoque ſinus 30 ① poſita ſemidiametro 1000000000, ſuperat primum & ſuperatur à ſecundo: deletis verò utrobique duabus poſtremis notis ſupererunt illic 87264, hic 87267, inter quos ſinus 30 ① conſiſtit poſita ſemidiametro 10000000, quibus conceſſis, veritati conſonum videtur, pro ſinu 30 ① medium inter utrumq; aſſumere, ut 87266 vel 87265, qui ſanè ſit 87265.

Eâdem in cæteris methodo obſervatâ ſinus 89 grad. 30 ① invenitur partium 9999619.

Et ſinus 15 ① 43632.

Quare jam quatuor primi ſinus, per æquale incrementum * 15 ① aſcendendo, cogniti ſunt ut in hac tabellâ apparet:

* Ptol. παρύξησις.

0.	15.	43632.
0.	30.	87266.
0.	45.	130896.
1.	0.	174524.

CAETERUM ad inventionem ſequentium ſinuum per æquale intervallum 15 ① continuè creſcentium, aditus patet inventis ſinibus arcuum differentiæ & biſectione, è quatuor præcedentibus derivatorum donec imparis numeri ſcrupula prima calculum ſiſtant: Verum enimvero quandoquidem è * differentiis commodior pateat via eam deinceps exponamus.

* Ptol. ἐπὶ ἀφαιρέσει & ἐπισυνθέσει τῶν ...

Inter cognitos ſinus 1 grad. & 1 grad. 30 ① qui ſunt 174524, item 261769, medius 1 grad. 15 ① ſinus inveniendus eſto. ut hunc deprehendam, à latere adſcribo exceſſum quo conſequens antecedentem ſinum ſuperat, ut infra vides:

0.	15.	43632.	43633.
0.	30.	87265.	43631.
0.	45.	130896.	43628.
1.	0.	174524.	

Vbi patet ſecundum exceſſum à primo 2 deficere, & tertium à ſecundo 3,

& consequenter quartum, nempe sinum 1 grad. 15 ① 3 aut 4 à secundo, qui sanè sit 3: & si tertius excessus fuerit 43628, quartum fore 43625: & quia quartus tantus est illum cum 174524 sinu 1 grad. componam, ut aggregatum sinus 1 grad. 15 ① sit 218149: hinc ambos sinus antecedentibus subjicio, à latere utriusque adscripto excessu, ac tabella huc usque continuata esto:

0.	15.	43632.	43633.
0.	30.	87265.	43631.
0.	45.	130896.	43628.
1.	0.	174524.	43625.
1.	15.	218149.	43620.
1.	30.	261769.	

SINUM autem 1 grad. 15 ① accuratè esse inventum hoc argumento fit, quod quintus excessus videlicet 43620 quaternario deficiat à quarto, ut par fuit.

Atque huc usque continuatâ serie tabellæ cæteri per intervallum 15 ① excrescentes inveniendi supersunt, in quibus compositionis per excessus viâ, ut supra, procedere licet: Verum rationem istam ut minus fallax sit, regula fignemus, quâ duobus incognitis sinibus inter duos cognitos quæsitis, excessus posterioris supra priorem inveniri possit.

Dicis causâ duo ignoti sinus sunto 1 grad. 45 ①, & 2 grad. qui inter notos sinus 1 grad. 30 ①, & 2 grad. 15 ① medii sunt.

Vt inveniam excessum sinus duorum graduum à sinu 1 gradus, sic ratiocinor.

Sinus 2 grad. 15 ① valet	392598.
Vnde dempto sinu 1 grad. 30 ①	261769.
Relinquitur	130829.
Cujus triens fuerit	43610.

Atque tantus erit excessus quo sinus 2 grad. superat sinum 1 grad. 45 ①, ut ex ipsis canonibus manifesto liquet.

CANON igitur æquabiliter 15 ① intervallo adscendens ratione modoque jam dicto conficietur, qui & sinus & arcuum differētiæ sinus, è bisectione unius gradus natos, complectitur, donec ad imparis numeri scrupula prima descensum sit.

CONCLVSIO. Posito itaque radio circuli 10000000, quantitatem sinus unius gradus, & arcus differentiæ, omniumque arcuum & arcuum differentiæ sinus, qui è bisectione 1 grad. derivantur, donec ad imparis numeri scrupula prima deriventum est, invenimus. Quod erat faciendum.

CONFIRMATIO LECTORIS, SI QVA DVBITATIO EX ISTIVSMODI RATIOCINIO EXISTERE POSSET.

SICVI ejus periculum facere libeat cujus & nos fecimus, insuper ut experientiæ nostræ memoria nobis firmior inhæreat, eam paucis referre est animis. Ratiocinii modū excogitaveram quo duos novissimos semidiametri characteres rejicere opus non sit, quas ex nonæ propositionis sententiâ subduxeramus, id assequi studebam inquirendo bisectorum arcuum sinus & eo usq; continuando donec inventus esset semissis sinus arcus dupli.

Vt istud

Vt istud exemplo declarem sinus continuâ bisectione inventos in medium adducam, initio facto à 48 grad. donec ad 45 ① descensum sit, qui supra inventi nobis fuerunt, ut hic vides.

grad.	①	
48.	0.	743144825.
24.	0.	406736643.
12.	0.	207911692.
6.	0.	104528463.
3.	0.	52335957.
1.	30.	26176948.
0.	45.	13089622.

Qvo loco clarum est sequentes quosque sinus, propemodum dimidios esse cujusque proximè antecedentis, & quantò bisectione hâc ulterius descensum sit, tanto propius abesse ab antecedentis semisse, etenim 13089622 propius accedit ab semissem antecedentis 26176948, quam eadem hæc 26176948 ad præcedentis 52335957, & sic in cæteris hanc bisectionem continuando, deprehendi sinum dimidii arcus 45 ①, id est $22\frac{1}{2}$, reliquorumque semissium, eos quos hâc tabellâ exhibemus.

①	
$22\frac{1}{2}$	6544959.
$11\frac{1}{4}$	3272537.
$5\frac{5}{8}$	1636306.
$2\frac{13}{16}$	818229.
$1\frac{13}{32}$	409267.
$\frac{45}{64}$	204939.
$\frac{45}{128}$	102469.
$\frac{45}{256}$	54772.

Qvo loco res ipsa loquitur consequentes ad antecedentium semisses nullo stato differentiarum ordine accedere, quod tamen non adhibito diligentiori examine suspicari non alienum fuerat, namque 204939 excedit antecedentis semissem, & 102469 æquatur præcedentis semissi, sed sequens 54772 rursum excedit, adeò ut hi numeri planè à vero discedant, sinus enim istorum arcuum longè diversæ sunt quantitatis.

Vt in propoſito quovis paradigmate ſemidiametro conveniens characterum numerus aſſignetur, operæpretium fuerit intelligere ſemidiametri minimas quaſque particulas, minimis quibuſque quadrantis peripheriæ circuli particuli quam proximè æquari debere, quibus calculum inire velimus: aut ſi præcipuus ſcopus rectas lineas ſpectet, ut tum viciſſim minimæ quævis quadrantis peripheriæ particulæ proximè accedant ad eas in quas ſemidiameter conciditur, ut iſtis ratiocinium in eas. Quod ut exemplo illuſtrius evadat, non minoribus quadrantis peripheriæ circuli particulis quam ①, ut ferè ſit, numerare propoſitum eſto. Quæritur quis numerus quotvè characteres ſemidiametro aſſignari debeant? Vt iſtud expedias, conſiderandum in quot ſcrupula prima peripheriæ quadrans partitus ſit, nempe in 60^{ies} 90^{gena}, quæ ſunt 5400 ①. Hinc ajo ut 11 ad 7 (quæ juxta Archimedis demonſtrationem quadrantis perimetri ad ſemidiametrum circuli ratio valde propinqua eſt) ita 5400 ad quem? Concludam 3436, ſemidiametri itaque in 3436 diſtributi pars quæcunque, quadrantis perimetri parti in 5400 diviſi quam proximè æqualis erit. Vt autem pro ſemidiametro characterum numerus proximè uno major aſſumatur, is abſque controverſia 10000 fuerit: Ideoque hic erit aptus & ſemidiametro conveniens numerus, quo etiam ad ſcrupula prima quadrantis calculus deſcendere valeat.

Si verò ut accuratior fiat calculus ad ② progredi propoſitum ſit, proceſſus erit idem cum ſuperiore. Quem tamen hic adſcribo. Quadrans circularis perimetri 324000 ② complectitur, unde ſic ajo, ut 11 ad 7, ſic 324000 ad quem? concluditur 206182, ſemidiametro igitur in totidem partes tributa, ſingulæ ſingulis quadrantis partibus in 234000 diviſi quam proximè æquales erunt. Si verò pro ſemidiametri numero alius aſſumendus eſt quam proximè uno charactere major, is dubio procul 1000000 erit. Vt hic ſemidiametro conveniens numerus ſit, quo vel ad ② quadrantis numerari poteſt.

Tertiò ſi ad ⊙ uſque accuratus calculus requiratur, comperio in quadrante 19440000 ⊙ eſſe, quare cum 11 dant 7, 19440000 quid dabunt? concluditur 12370909, itaque ſemidiametro in totidem partes partita, unaquæque harum ferè æquabit quamlibet quadrantis partem in 19440000 diſtributi. Si pro radio numerus

numerus sumendus esset qui uno duntaxat charactere illum proximè excedit is profectò 10000000 fuerit, At numerus in canone sinuum maximus est tantum 10000000, Qui tamē in usu per tertia scrupula numeranti sufficere possit; Nam etsi unaquæque semidiametri pars ferè dupla sit ad quamlibet quadrantis circularis perimetri partem, pro exiguo tamen discrimine habendum. Verum si horum canonum ductu ubi semidiameter est 10000000 scrupula quarta numeranda essent, nimis magnum discrimen foret nec veritas satis accurata, nam secundum regulam paulò supra positam, semidiametro in 1000000000 secta opus esset.

Per eorum quæ dicta sunt reciprocationem, satis constat, quales particulæ graduum quadrantis, ad semidiametrum in optatas partes sectam assumi debēt.


Hactenus de re ipsa sine demonstratione diximus, Verum ut exemplis illustremus rationem unde ista dependent, Esto A B C rectangulum planum & ejus latus A B perticis (quarum singulæ 12 pedes longæ sunt) tanquam minima mensura dimensum, sitque plus minus 12 perticarum, neque enim dimidiæ aut tertiæ partis ratio admodum habenda est, quia pertica hic tanquam minima mensura usurpatur: verum latus A D multò exactius (sic enim pono) ut digitis, quorum 144 unam perticam constituunt, mensuretur, sitq; 30 perticarū & 1 digiti, id est $30\frac{1}{144}$ perticarum. Hoc dato, area rectanguli perticarum $360\frac{1}{12}$ esse invenitur. Verum in lateris longitudine neglecta $\frac{1}{144}$, area 360 perticarum erit, quæ à prioribus tantum $\frac{1}{12}$ absunt. His ritè perceptis, ajo supervacuum esse A D adeò accurate mensurari, cum A B negligentius minusque exactè dimensa sit: si enim A B $\frac{1}{2}$ perticæ aut plus aut minus sit quam 12 (quod ignotum esse potest, quia negligitur nec ad ratiociniū venit) area erit $375\frac{23}{288}$ vel $345\frac{23}{288}$, differentia est 15 major aut minor priore conclusione, quid igitur magno molestoq; calculo $\frac{1}{12}$ amplius invenire juvat, cum differentia latenter 15 major aut minor sit? Hinc ratio patet cur minimæ partes utriusque lateris tam A B quam A D quam proximè quantitate pares esse & congruere debeant, & consequentèr quoque minimæ partes arcus & semidiametri, quandoquidem horum partes inter se in operatione multiplicantur ut supra A B in A D.



1 *Exemplum de 1 hujus formæ triangulo.*

DATUM. Esto trianguli plani A B C, angulus ad C 36 grad. 25 ①, qui ad B 67 grad. 23 ①, latus autem A C 20.

QUÆSITUM. Tertius angulus ad A & reliqua duo latera invenienda sunto.



CON-

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli ad A.

CVM duo anguli ad B & C cogniti sint, reliquus ad A invenitur è 3 propositione hujus 75 gr. 45.

Investigatio lateris A B.

Quemadmodum dextri anguli B sinus 9231.
Ad sinistri anguli C sinum 6000.
Ita sinistrum latus A C 20 ad quem?
Concluditur pro quæsito latere A B $12\frac{9228}{9231}$

Investigatio lateris B C.

Primum inquirito angulum ad A, quem per 3 propositionem invenies 75 gr. 25.
Hinc A B deorsum statuito tanquam basin & dicito: Quemadmodum sinistri anguli B sinus 9231.
Ad dextri anguli A sinum 9692.
Ita latus dextrum A C 20 ad quem?
Concludetur pro quæsito latere B C $20\frac{9220}{9231}$

DEMONSTRATIO.

INVENTIO anguli ad A ipso opere manifesta est, laterum autem A B, B C inventio prima propositione nititur.

2 *Exemplum de 2 hujus forma trianguli.*



TERTIVS angulus è tertia propositione deprehenditur, tumque erit triangulum ejusdem modi, cum 1 exemplo, quippe cum habeat duos angulos cognitos, & latus quod uni cognitorum angulorum subtenditur quoque cognitum, è quibus terminos ignoratos adsequeris, juxta viam 1 exempli.

3 *Exemplum de 3 hujus forma trianguli.*





DATVM. Esto trianguli plani A B C, angulus ad B rectus, & qui ad C 53 grad. 8 ①, latus autem B C utrique adjacens 12.

QVÆSITVM. Tertius angulus ad A & reliqua duo latera A B, A C invenienda sunto.

CON-

CONSTRUCTIO.

Investigatio anguli ad A.

Cum duo anguli ad B & C cogniti sint tertius quoque per propositionem 3, erit	36 gr. 52.

Investigatio perpendiculi AB.

Quemadmodum sinus recti seu totus	10000.
Ad tangentem dati acuti	13335.
Ita CB	12 ad quem?
Concluditur pro quæsita AB	$16 \frac{3}{1000}$

Investigatio Hypotenusæ AC.

Quemadmodum sinus recti seu totus	10000.
Ad secantem dati acuti	16668.
Ita CB	12 ad quem?
Concluditur pro quæsita AC	$20 \frac{16}{1000}$

CONSECTARIUM.

Si alterum latus circa rectum, puta BC foret 10000, quod in calculo astronomico non rarò usu venit: clarum est AB & AC, tum sine magno aut molesto multiplicationis divisionisve calculo inveniri, tangens enim anguli ad C, qui in canone deprehenditur 13335 exhibet AB, & secans ejusdem anguli quæ est 16668 fuerit pro AC.

NOTA.

Siquidem non nemo mirari possit, quid sit causæ cur hæc AB per regulam generalem 1 exempli quæsita non sit, eam hanc dico: Quia sic unica multiplicatione quæsitum assequimur, cum aliàs & multiplicatio & divisio nobis adhibenda foret, tumque contra propositum viam brevissimam non fuissemus ingressi.

DEMONSTRATIO.

Si CB assumatur ut semidiametros circuli 80000 partium & AB ut tangens, ea erit (quia angulus ad C ponitur 52 gr. 8 ①) 13335: Si itaque dixeris CB 10000 quæ sinus recti quoque est, exhibet AB 13335, Quid dabit 12? quod hinc exurget videlicet $16 \frac{3}{1000}$ necessario pro AB fuerit & quidem earundem partium qualium BC assumitur 12.

Conclusio. Quare cognitis in triangulo plano duobus angulis, & latere: tertium angulum, & reliqua duo latera invenimus. Quod erat faciendum.

NOTA.

E tribus ignoratis trianguli terminis uno aut altero invento, quatuor aut quinque jam cogniti erunt, adeò ut tres cogniti per quos unus modo ignoratus inquiritur, tum multis modis & variè sumi possint, Verùm cum sæpe in praxi tantum unus terminus expetatur; ideò ubique tam in sphæricis quam in planis triangulis, inventionem uniuscujusq; quæsiti termini describemus, tanquam nulli alii præter tres datos cogniti forent, ut in sequentibus semper exemplo sit, quomodo singuli quæsiti termini inveniantur.

3 PRO-

3 PROBLEMA. 5 PROPOSITIO.

COGNITIS trianguli plani uno angulo & duobus lateribus quæ ignoratum continent angulum: Tertium latus & reliquos angulos invenire.

TRES cogniti termini, ut generatim exprimam, hujusmodi sunt.



1 NOTA.

REGULA operationis generalis hæc est: Latus ignoratum tanquam basis statuitur, & sive quæratur angulus superior seu tertium latus, ante inquiritur dexter angulus, aut angulus sinister prout eorum alter ignoratur, tumque dicito (si fortè angulus dexter ignotus sit) quemadmodum dextrum latus, ad latus sinistrum, ita sinistri anguli sinus ad quem? quod hinc exurget erit pro sinu anguli dextri, cujus arcus magnitudinem anguli dextri definit. Sed utrum numerus suprascripti sinus qui ex canone sumitur, anguli acuti sit, an vero complementi ejus ad semicirculum hoc est obtusi, id ipsum in quibusdam exemplis certum est, in nonnullis ambiguum: Adeò ut si ignoretur dexter angulus obtususné sit an acutus solutio sit anceps. Verum ut quæ triangula unam queve duplicem solutionem admittant dignosci queat, duas sequentes regulas describemus.

De duobus generalibus præceptis, ad triangula hujus Propositionis.

1 REGULA.


SI cognitum latus cognito adjacens angulo, excesserit reliquum cognitum, & præterea ignotus angulus ignoto adjacens lateri, è calculo obliquus deprehendatur, determinatio erit anceps.

2 REGULA.

RELIQUORUM autem triangulorum hujus propositionis determinatio est simplex.

EXPLICATIO.

ESTO enim triangulum rectilineum A B C, cujus angulus C sit 36 grad. 52 ①, latus A C 20, & A B 13, quòd triangulum est ejus formæ qualis à 1 regula exigitur: In hoc diagrammate litera B bis scripta cernitur, altera unico puncto sic Ḃ: Altera gemino sic B̈, idq; illi fini: quod liquidò cõstat tres cognitos terminos triãguli A B̈ C, æquales esse tribus cognitis triãguli A Ḃ C, & tamen tres ignotos terminos unius trianguli, nõ æquari tribus ignotis alterius.



alterius. Quare si non inspecto triangulo dicas: trianguli A B C, anguli ad C est 36 grad. 52 ①, latus A C 20, B C 13. Quanti erunt termini ignorati? Apparet manifestè ambiguum esse utrum proponentis animus tendat ad triangulum A B C, an verò ad triangulum A B C: Imò qnamvis triangulum oculis subjiciatur, evenire poterit minimum latus cognitum A B, adeò vicinum esse angulo recto, ut visus distinguere nequeat an angulum A B C acutum obtusumvé faciat: Et tamen posito, visu hæc dijudicari posse, non fuerit ideò necessarium angulum illum qui obtusus pingitur propterea verè obtusum esse, circumstantiæ enim nonnunquam contrarium postulant, quia aliæ lineæ aut magnitudines, nimis exiguæ essent quam ut simili mensura descriptæ forent, idq; in mathematicis propositionibus non rarò evenire quotidiana experientia docet. Atque hæc quidem causa est cur triangula ambiguæ determinationis occurrant. Si tamen à proponente aut aliundè definiretur (ut plerunque fieri assolet) species anguli ad B, acutusne an obtusus sit, determinatio erit simplex. Hæc de prima regula dicta sunto. In secunda scripsimus reliqua omnia hujus propositionis triangula unam tantum determinationem admittere: Atque illa quidem hujusmodi sunt.

1 Cum A C major est quam A B, & insuper angulus ad B obtusus esse definit[ur].
2 Cum A C major est quam A B, & insuper angulus ad B acutus esse definitur
3 Cum ponitur A C major esse quam A B, tamen angulus ad B ex calculo rectus deprehenditur.
4 Cum A C æquatur A B, tum anguli ad B & C quoque æquales sunt.
5 Cum A C minor est quam A B, tùm angulus ad B acutus fuerit. Omnes istæ species unam & simplicem habebunt determinationem.

2 Nota.

Nec te fugiat ut exemplum imitabile, ad datum huic propositioni conforme triangulum, nancisearis, considerandum esse utrum ad primam an ad secundam regulam referendum sit, si ad primam sequens paradigma imitabere, secus secundi exempli ductum sequeris.

1 *Exemplum de triangulo ad formam regulæ primæ.*

Datum. Esto A B C suprascripti trianguli plani angulus C ut ibi assumptus fuit 36 gr. 52 ①, latus A C 20, A B 13, neque tamen exprimatur species anguli ad B rectoné major an minor sit: imò planè definitum non sit utrum de triangulo A B C an verò A B C quæstio instituatur. Quaesitum. Tertium latus B C, & reliqui duo anguli A B C, C A B, invenienda sunto.

1 Constructio ad determinationem primam.

Primum considero latus A C quod cognito adjacet angulo, majus esse latere A B, quamobrèm duplicem, aut etiam unam tantum solutionem admiserit. Verum ut cognoscam ad utrum horum referendum sit, angulus A B C ante inveniendus est eo quo sequitur modo.

O Investi-

Investigatio anguli A B C.

Quemadmodum latus dextrum A B 13.
Ad latus sinistrum A C 20.
Ita sinistri anguli C sinus 6000 ad quem?
Concludetur sinus 9231.
Qui cum non sit sinus recti sive totus, triangulum erit ambiguæ determinationis. Si quæstio de triangulo A Ḃ C primum proposita fuisse intelligatur, inventus 9231 sinus fuerit acuti anguli ad Ḃ, cujus arcus pro prima determinatione est 67 gr. 23.

Investigatio anguli C A Ḃ.

Primùm invenio angulum Ḃ 67 gr. 23.
Ad hunc addo angulum C 37 gr. 52.
Totus erit 104 gr. 15.
His deductis de 180 gr.
Relinquuntur pro quæsito angulo C A Ḃ primæ determinationis 75 gr. 45.

Investigatio lateris Ḃ C.

Primùm invenio angulū C A Ḃ ut supra pro prima determinatione 75 gr. 45.
Deinde statuo A C tanquam basin & dico, Quemadmodum dextri anguli C sinus 6000.
Ad sinistri anguli C A Ḃ sinum 9693.
Ita sinistrum latus A Ḃ 13 ad quem?
Concludetur pro quæsito latere B C primæ determinationis 21 $\frac{9}{6000}$

2 CONSTRUCTIO ad determinationem secundam.

Investigatio anguli A B̈ C.

Primùm invenio, è constructione 1 de investigatione anguli A Ḃ C, angulum ad Ḃ primæ determinationis, esse 67 gr. 23.
Qui detractus de 180 gr.
Relinquet pro quæsito angulo A B̈ C determinationis secundæ 112 gr. 37.

Investigatio anguli C A B̈.

Primùm invenio è præcedenti operatione angulum A B̈ C secundæ conclusionis ut supra 112 gr. 37.
Cum hoc componatur angulus ad C 36 gr. 52.
Totus erit 149 gr. 29.
Qui deductus de 180 gr.
Relinquet pro quæsito C A B̈ 2 determinationis 30 gr. 31.

Investigatio lateris B̈ C.

Primùm invenio è secunda constructione angulum C A B̈ pro 2 determinatione ut supra 30 gr. 31.
Deinde statuo A C tanquam basin & dico, Quemadmodum anguli dextri C sinus 6000.
Ad sini-

Ad sinistri anguli C A B sinum 5075.
Ita latus sinistrum A B 13 ad quem?
Concludetur pro quæsito latere B C secundæ determinationis 10 [illegible]

2 *Exemplum de triangulis ad formam regulæ secundæ.*


Si A C majus sit quam A B, & insuper angulus ad B obtusus ponatur, ad proximè antecedentis 2 constructionis imitationem operandum erit. In cæteris autem omnibus 1 cõstructio imitanda est: cum vero in triangulo latus A C æquabitur lateri A B, id compendii hinc erit ut angulus ad B angulo ad C absque inquisitione statim æqualis pronuncietur.

DEMONSTRATIO.

Demonstratio primæ regulæ manifesta est per explicationem quam ibidem subjunximus. E secunda regula quæ quinque triangulorum genera complectitur, ut supra annotavimus, quatuor priorum demonstratio, quippe quorum determinatio sit simplex ideoque satis manifesta, explicatione nulla indiget.

Sed ad demonstrationem quinti generis, quod est cum A C minor fuerit quam A B, tum unam duntaxat determinationem dari & angulum ad B acutum esse, figuretur triangulum planum A B C ex sententia 2 regulæ, nempe ut latus A C minus sit quam A B, & angulus ad C acutus, obtusus, aut etiam rectus prout libebit. Quæsitum. Demonstrandum est angulum ad B solummodo acutum esse.

DEMONSTRATIO.



Si enim angulus ad B rectus aut obtusus foret, angulus ad C multo major esset, Quia latus eum subtendens majus est latere quod angulum ad B subtendit, & consequentèr tres anguli A, B, C, simul majores essent duobus rectis, cumque hoc sit impossibile angulus ad B duntaxat acutus erit. Constructionis autẽ uniuscujusq; demonstratio, ubique dependet è 1 & 3 propositione hujus.

Conclusio. Cognitis itaque trianguli plani uno angulo & duobus lateribus ignotum angulum continentibus: tertium latus & reliquos duos angulos invenimus. Quod erat propositum.

4 PROBLEMA. 6 PROPOSITIO.

Cognitis in triangulo plano duobus lateribus quæ cognitum continent angulum: tertium latus & reliquos duos angulos invenire.


Tres cogniti termini hujus sunt formæ.



Cumq; eorum cõstructio sit sextuplex, singulas singulis exẽplis illustrabimus.

1 *Exemplum de 1 hujus formæ triangulo.*





DATUM. Esto triangulum planum A B C cujus angulus ad B sit rectus, latus A B 16, B C 12.

QUÆSITUM. Hypotenusa A C, & reliqui duo anguli A, C, inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

Investigatio anguli ad A.

Quemadmodum crus, recti anguli, quæsito adjacens, id est A B	16.
Ad alterum recti crus B C	12.
Ita sinus recti seu totus	10000 ad quem?
Concludetur tangens	7500.
Ejus arcus pro quæsito angulo ad A	36 gr. 52.


Investigatio anguli ad C.

Similis est inventioni anguli A, ad cujus imitationem deprehendetur 53 gr. 8.


Investigatio subtensæ A C.

Primum invenito alterum acutorum angulorum puta A	36 gr. 52.
Deinde dicito, Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem 36 gr. 52 ①, numeri hoc ordine primi, quæ est	12500.
Ita crus recti dato angulo A adjacens nempe A B	16 ad quem?
Concludetur pro quæsita hupotenusa A C	20.

2 *Exemplum de 2 hujus formæ trianguli.*



DATUM. Esto planum triangulum A B C, cujus latus A B 20, B C 21; & angulus B acutus 36 grad. 52 ①. QUÆSITUM. Tertium latus A C, reliquique duo anguli C, & C A B inveniendi sunto.



PRÆPARATIO. A termino minoris lateris cogniti ut A B, demittito in majus latus cognitum B C, perpendicularem A D, hæc intra triangulum cadet, quia angulus B acutus est: His assertis, erit A D B triangulum rectangulum cujus duo anguli, & latus A B cogniti sint, cumque hoc sit ejus formæ qualis propositione quarta exigitur, indidem duo latera A D, D B, invenito, nempe A D, satis accuratè 12.

Et D B	16.
Qua subducta de C B	21.
Reliqua D C erit	5.

Quibus

Quibus positis erunt in triangulo rectangulo A D C tres termini cogniti, unde ignoratos assequemur eo quo sequitur modo.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris A C.

Omnibus constitutis ut supra, quoniam triangulum A D C tres cognitos terminos habet, nempe duo latera A D 12, D C 5, & angulum A D C rectum, ex his inveniam juxta primum exemplum hujus, Hupotenusam A C, utpote latus quæsitum, 12 $\frac{9228}{9231}$

Investigatio anguli C.

Ante constitutis omnibus ut supra, quoniam in triangulo A D C tres cogniti sunt termini, videlicet A D 12, D C 5, & angulus A D C rectus, ex his assequar juxta primum exemplum hujus quæsitum angulum C 67 gr. 23.


Investigatio anguli C A B.

Iisdem cōstitutis ut supra, quia in triangulo A D C tres termini sunt cogniti, nempe duo latera A D 12, D C 5, & angulus A D C rectus, deprehendam juxta primum exemplū hujus angulum C 67 gr. 23.

Huc si addatur datus angulus B	36 gr. 52.
Totus erit	104 gr. 15.
Quibus deductis de	180 gr.
Relinquetur pro quæsito C A B	75 gr. 45.

3 *Exemplum de 3 hujus forma trianguli.*





DATVM. Esto trianguli plani A B C, latus A B 13, B C 11, & angulus A B C obtusus 112 gr. 37 ⑨.

QVAESITVM. Tertium latus A C, & duo anguli C, C A B invenienda sunto.

PRAEPARATIO. Ab altero ignoratorum angulorum demittito perpendicularem in productā ejusdem anguli basin, ut hic ab ignorato angulo C A B, perpendicularis A D, in productam C B, ea (quia angulus A B C obtusus ponitur) extra triangulum cadet. Deinde subducito angulum A B C 112 gr. 37.

De 180 gr.

Relinquetur pro angulo A B D 67 gr. 23.

His assertis, erit A B D triangulum rectangulum, cujus duo anguli, cum latere A B sint cogniti, cumque sit tale triangulum quale

 propo-

propositione 4 postulatur, inde dem duo latera AD, BD invenies, nempe AD satis accuratè 12.
Et BD 5.
Hæc composita cum CB, quæ est ex dato, partium 11.
Summa fuerit pro DC 16.
Quibus concessis, Erunt in triangulo rectangulo ADC, tres termini cogniti, unde ignoratos assequi possimus.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris AC.

Omnibus constitutis ut priùs, Quoniam triangulum ADC tres cognitos habet terminos, videlicet duo latera AD 12, DC 16, & angulum ADC rectum, hinc juxta 1 exemplum hujus, quæsitam hypothenusam AC deprehendam 20.

Investigatio anguli C.

Omnibus cõstitutis ut priùs, quia in triangulo AD tres cogniti sunt termini nempe duo latera AD 12, DC 16, & angulus ADC rectus, ex his juxta 1 exemplum hujus quæsitum angulum C inveniam 36 gr. 52.

Investigatio anguli CAB.

Omnibus constitutis ut priùs, quandoquidem triangulum ADC tres cognitos habeat terminos, duo quippe latera AD 12, DC 16, & angulum ADC rectum, hinc juxta, exemplum hujus angulum C inveniam 36 gr. 52.
Huc addito angulo B 112 gr. 37.
Summa erit 149 gr. 29.
Quæ dempta à 180 gr.
Relinquet pro quæsito angulo CAB 30 gr. 31.

4 *Exemplum de 4 hujus forma triangulo.*




QVAMVIS proximè antecedentis regulæ pragmatia generalis sit tam ad triangula quorum unum cognitorum laterum sit sinus recti 10000, quam alter quicunque numerus, quia tamen 10000 aliquod compendium præparationi suppeditat, & hujusmodi triangula in calculo Astronomico non rarò occurrunt, hanc brevitatem peculiaribus exemplis illustrabimus.

DATVM. Esto trianguli plani ABC, latus AC 10000, BC 9000, angulus B 50 grad.

QVAESITVM. Tertium latus AC, reliquique anguli C & CAB invenienda sunto.

PRAEPARATIO. Ab angulo ignoto qui lateri 10000 adjacet, hoc est ab A in basin BC perpendicularem demittes, quæ utrum intra an extra triangulum cadat

cadat sic cognosces, sinus arcus differentiæ datorum 50 gr. nempe sinus 40 grad. est 6428, cumque hic numerus sit minor numero datæ B C 9000, perpendicularem A D intra triangulum ducito: Quod si vero sinus arcus differentiæ major foret extra triangulum caderet, tumque ad sequentis 5 exempli imitationem operandum esset.



Cumque A D intra cadat, D B utpote sinus anguli D A B 40 grad. valebit suprascripta	6428.
Hæc deducta de C B quæ est, ex dato, partium	9000.
Relinquunt pro D C	2572.
Et sinus datorum 50 grad. anguli B est	7660.

CONSTRVCTIO.

His assertis, erunt in triangulo rectangulo A D C, tres termini noti, unde ignoratos erues juxta modum secundi exempli: ex cujus imitatione A C invenietur 8080.


Quæsitusque angulus C	71 gr. 26.
Item C A B	58 gr. 34.

5 Exemplum de 5 hujus formæ triangulo.



DATVM. Esto plani trianguli A B C latus A B 10000, B C 4000, angulus B 50 grad.

QVAESITVM. Tertium latus A C & duo reliqui anguli A C B, C A B invenienda sunto.



PRAEPARATIO. Ab ignorato angulo qui lateri 10000 adjacet, nempe ad A perpendicularem in oppositum latus B C demittito, quæ utrum intra an extra triangulum cadat ita cognosces: Sinus arcus differentiæ datorum 50 grad. qui sunt 40 grad. est 6428, cumque hic major sit dato numero rectæ B C 4000, perpendicularem A D extra triangulum demittes, in productam B C: Sin vero sinus arcus differentiæ minor foret, intra triangulum caderet, atque tum proximum 4 exemplum imitandum esset: Iam verò cum A D extra triangulum cadat, D B tanquam sinus anguli D A B 40 grad. erit 6428.

Hæc multata rectâ C B quæ, ex dato, est	4000.
Relinquet pro D C	2428.
Et sinus, datorum 50 grad. anguli B est pro rectâ A D	7660.

CONSTRVCTIO.

His assertis, Erunt in triangulo rectangulo A D B tres termini cogniti, unde


unde ignoratos invenire poteris, secundum pragmatiam 1 exempli, ex cujus imitatione quæsitum latus A C deprehendetur	8037.
Angulus A C D	72 gr. 25.
Quibus demptis de	180 gr.
Restabunt pro quæsito angulo A C B	107 gr. 35.
Hæc composita cum dato angulo B 50 gr. constituent summam	157 gr. 35.
His subductis de	180 gr.
Supererunt pro quæsito angulo C A B	22 gr. 25.

6 *Exemplum de 6 hujus formæ triangulo.*



DATVM. Esto plani trianguli A B C, latus A B 10000, B C 6000, & angulus A B C obtusus 120 grad.

QVAESITVM. Latus A C, reliquique anguli C, C A B, invenienda sunto.



PRAEPARATIO. Ab angulo ignorato qui lateri 10000 adjacet, videlicet ab A, perpendicularem A D, in continuatum latus C B demittito: & datum angulo A B C

	120 gr.
Subducito de	180 gr.
Reliqui erunt pro angulo A B D	60 gr.
Hujus sinus pro latere ei opposito A D	8660.
Deinde etiam angulo A B D 60 gr. qui hoc ordine tertius est, subducto de 90 grad. supererunt pro angulo B A D	30 gr.
Sinus ejus pro latere opposito B D	5000.
Cum hoc composita B C quæ datur partium	6000.
Constituent totam C D	11000.

CONSTRVCTIO.

HIS assertis, In triangulo rectangulo A D C, tres erunt cogniti termini, quorum ope ignorati inveniri possunt, secundum pragmatiam 1 exempli, ad cujus imitationem, quæsita A C deprehendetur	13999.
Quæsitusque angulus C	38 gr. 13.
Et angulus C A D	51 gr. 47.
Hic multatus angulo D A B qui numerus in præparationis ordine quintus est	30 gr.
Restabit pro quæsito C A B	21 gr. 47.

NOTA.

COMPENDIVM quod hæc triangula, quorum unum latus est 10000, præ cæteris habent in eo consistit quia universa hæc pragmatia sine ulla multiplicatione aut divisione absolvitur, cum reliquæ præparationes duplici multiplicatione laborent. Si fortè quis suspicetur hanc compendiariam viam cuilibet satis ob-

tis obviam fore, qui generalem methodum 2 & 3 exempli sequetur, ideoque hoc documentum nostrum supervacuum esse: Ei responsum volumus, id tum demum verum esse cum perpendicularis demittitur ab ignorato angulo qui lateri 10000 adjacet, quemadmodum hic ducta fuit, non autem cum à reliquo ignorato ducitur: Atque ideo compendium hoc adnotasse erat operæpretium.

DEMONSTRATIO.

Pragmatia investigationis anguli A primi exempli sic demonstratur: In diagrammate, 1 definitionis 1 libri tractatus triangulorum, manifestum est ABI esse triangulum rectangulum, hujus latus AB, cum sit æquale sinui recti AE, poterit assumi tanquam sinus recti, undè liquet istiusmodi sinum rectum ejusque tangentem, esse duo crura trianguli rectanguli: Et ex reciprocatione illius, duo quælibet recti anguli crura statui posse alterū pro sinu recti, reliquum verò pro tangente ejusdem: Si itaque in diagraphe 1 exempli hujus propositionis AB assumatur instar sinus recti, BC erit tangens ejus: Verum quandoquidem numeri 16 & 12, non sint ii ad quos canones constituti sunt, iis autem duntaxat proportionales, sic ratiocinabor: Posita AB 16, BC valebit 12, Quanta igitur erit BC si AB (ut in canonibus) sumatur 10000? cōcludetur pro BC in canone tangentium 7500. Et arcus ejus, qui deprehenditur 36 gr. 52 ①, erit amplitudo anguli A, ex adverso tangentis BC. Cumque dicta pragmatia isti fundamento innitatur, 36 gr. 52 ①, erit vera magnitudo anguli A. Similitèr demonstrabitur investigatio anguli C. Reliquorum autem demonstratio, ex ipso opere deducitur, & maximam partem è 1 propositione derivatur. Conclusio. Quare si in triangulo plano duo latera cognitum angulum comprehendentia cognita sint: Reliquum latus, reliquosque angulos invenimus. Quod erat faciendum.

5 PROBLEMA. 7 PROPOSITIO.


Cognitis tribus trianguli plani angulis: trium laterum rationem invenire.

Tres cogniti termini ut generatim exprimam istiusmodi sunt.



Datum. Esto trianguli plani ABC, angulus A 75 gr. 45 ①, B 67 gr. 23 ①, C 36 gr. 52 ①.

Quaesitum. Trium laterum rationes inveniendæ sunto.



CONSTRVCTIO.

Sinus anguli A, est pro opposito latere BC 9692.
Sinus anguli B, est pro opposito latere AC 9231.
Sinus anguli C, est pro opposito latere AB 6000.
Quare ut 9692 ad 9231, ita BC ad AC, & sic in cæteris.
Demonstratio liquidò constat è 1 propositione hujus.

Con-

CONCLVSIO. Cognitis igitur tribus trianguli plani angulis, rationem trium laterum invenimus. Quod erat faciendum.

NOTA.

Etiamsi duo anguli tantummodo dentur, ratio laterum tamen explicari poterit, nam tertius angulus è tertia propositione cognoscitur.


6 PROBLEMA. 8 PROPOSITIO.

COGNITIS tribus trianguli plani lateribus: tres angulos invenire.

COGNITI tres termini ut generatim exprimam istiusmodi sunt.



DATVM. Esto trianguli plani A B C, latus A B 13, B C 21, A C 20. QVAESITVM. Tres anguli B A C, B & C inveniendi sunto.



PRAEPARATIO. In maximum trianguli latus videlicet B C, demittito perpendicularem A D, quæ necessario, quamvis datum triangulum sit obtusangulum, cadet intra: Hinc dicito,

Quadratum minimi lateris A B 13 est	169.
Cum eo compositum quadratum maximi lateris B C 21, quod est	441.
Exhibet summam	610.
Vnde subductum, lateris A C 20, quadratum	400.
Relinquet	210.
Hujus semissis	105.
Divisus per maximum B C 21, dabit quotum pro D B	5.
Quibus subdictis de B C 21, supererunt pro D C	16.

His assertis, Erunt duo rectangula triangula A D B, A D C, atque singulorum tres termini cogniti, quorum ope ignorati eruuntur, eo quo deinceps sequitur modo.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli B.

Omnibus constitutis ut prius, quoniam triangulum A D B duo cognita habet latera, A B 13, B D 5, & angulum A D B rectum, per 5 propositionem hujus quæsitus angulus B deprehendetur 67 gr. 23.

Investigatio anguli C.

Omnibus constitutis ut prius, quoniam trianguli A D C duo latera A C, C D cognita sunt & angulus A D C rectus, hinc per 5 propositionem hujus quæsitus angulus C concludetur 36 gr. 52.

Investi-

Investigatio anguli C A B.

Omnibus constitutis ut prius, Cum triangulum A D B habeat duo latera cognita A B, B D, & angulum A D B rectum, concludam per propos. 5. hujus libri pro amplitudine anguli D A B 22 gr. 37.

Præterea, quoniam in triangulo A D C, duo latera A C, C D sunt cognita & angulus A D C rectus, hinc per 5 propositionem hujus inveniam angulum D A C 53 gr. 8.

Huc additis 22 gr. 37 ① numero hoc ordine primo, totus erit pro quæsito angulo C A B 75 gr. 45.

DEMONSTRATIO.

Ad demonstrationem præparationis sic arguo: Quandoquidem duo quadrata A B, B C simul, excedant quadratum A C, duplici rectangulo A C in B D: Consequens erit semissem suprascripti numeri 210 (quo quadrata A B, A C simul addita, quadratum A C superant) nempe 105, æquari rectangulo sub B C, B D semel comprehenso: Ideoque rectangulo 105 per latus B C 21 diviso, quotus 5, erit pro reliquo latere B D: Eoque detracto de B C 21, residuus 16 fuerit pro C D, ut supra in præparatione invenimus. Constructionis autem demonstratio, ex ipso opere liquidò constat. *13 p. 2. Eucl.*

CONCLUSIO. Quare cognitis tribus trianguli plani lateribus, tres angulos invenimus. Quòd erat faciendum.

PLANORUM * TRIGONOPINAX.

** Triangulorum index seu catalogus.*

Qui tabulæ instar est, indicium facientis quonam modo triangula ex doctrina jam dicta repeti possint, ut dato triangulo cujus ignoratus terminus terminíve inveniendi sunt, operatio illis similiter instituatur.


QVandoquidem expositæ regulæ quibus planorum triangulorum ignota latera inveniuntur quam dissimillimæ maximæque variæ sint, ideoq; difficillimè memoria comprehendi possint, certa nobis ratio ineunda fuerit ut illas molestias antevertamus, & ad quævis paradigmata explicãda simile aliquod è superioribus desumi possit, cujus ratiocinium per omnia sequi liceat, ne animum sua varietate discrucient. Huic fini sequentem istam planorum triangulorum descriptionem tabulæ in morem concenturiavimus, cujus usum per exempla declarabimus.

PLANO-

PLANORVM TRIANGVLORVM INDEX.

VSVS HVIVS PLANORVM TRIGONOPINACIS.

IGNOTVS terminus terminive trianguli A B C inveniendi sunto. Primum, ut eos assequar, video duos angulos B, C, item latus A C eorum alteri oppositum nota esse. In Trigonopinace igitur hujusmodi triangulũ quæsitum & secundo loco inventum ad 1 exemplum 4 prop. 149 pag. lectorem remittit. Cujus ratiocinium secutus voti compos erit. De aliis simile judicium esto.



SI in dato triangulo non latus A C, sed A B notum esset, operatio eadem foret cum triangulũ specie idem sit. Hoc casu dati trianguli loco aliud designare, licebit conforme illi quod in libro designatum fuerit, ejusq; terminos literis quos imitabile triangulũ habet notare, ne literarũ diversitate animis distrahãtur.

ADDI-

ADDITAMENTUM
DE PLANIS MULTANGULIS.


Hactenus de inventione ignotorum terminorum in triangulo plano dictum est: Quamvis autem hinc inveniri possint ignoti termini cujusvis plani rectilinei modo certò sint definiti, quia vel in triangula dividua sunt, aut additione ad triangula redigi possunt, tamen quia res explicationem postulat, descriptionem paulò pleniorem adjiciemus, quod Additamentum vocamus.

DEFINITIONES.

1 DEFINITIO.

Inversum angulum dicimus quicunque 180 gradibus major est.

Talis angulus in triangulum non cadit, quod ejus anguli 180 gradibus aequentur, sed in multangulum quod angulos quam triangulum plures habet, ut in quadrangulo A B C D, ubi angulus B 180 gradibus major inversus nobis dicitur. Ratio nominis ista est: Illud, ut vulgò loquimur, in angulo esse dicitur, quod propè duarum linearum angulum comprehentium mutuam inclinationem & concursum fuerit, magnitudo autem arcus, ea parte qua linearum fit inclinatio, descripti amplitudo anguli appellatur. Quia vero cum arcubus, qui altera parte seu inverso latere communis anguli 180 gradibus majores sunt, negotium nobis erit, majorem linearum seu crurum devaricationem angulum inversum appellamus.




2 DEFINITIO.

Si quadrangulum quatuor angulos habeat, absque angulo inverso vel lateribus se mutuo secantibus, Quadrangulum usitatum dicimus: Si angulum habeat inversum, Quadrangulum * cavangulum: Sin lineas habeat se mutuò secantes quadrangulum * decussatum.

* Zenodoro κοιλογώνιον
* χιαστόν,

Inter quatuor puncta quorum tantum duo quælibet in directum sunt constituta, quatuor lineæ trifariam duci possunt, tria quadrangula triplicis figuræ comprehendentes, ut inter quatuor puncta A, B, C, D.



P Primum

Primum communi modo absque inverso angulo aut secantibus se lineis est designatum, quamobrem Quadrangulum usitatum appellamus: Alterum inverso angulo & quasi cavo ad B quod propterea inversi anguli quadrangulum vel potius cavangulum dicimus. Tertium duobus lateribus sese decussatim secantibus, ideoque decussatum quadrangulum nomen invenit, & quamvis novissimum istud ex communi quadranguli definitione, Quadranguli nomine indignum videatur, appelletur tamen quadrangulum quia & quatuor habet angulos, & propter doctrinam trium specierū communem in terminorum ignotorum, quinque cognitis, inventione, de qua in sequentibus propositionibus deinceps dicetur.

PROPOSITIONES.

I THEOREMA. I PROPOSITIO.

PLANVM rectilineum æquat angulos totidem rectorum paribus, quot angulos habet minus duobus.


SENSVS hic est. Posito quinquangulo ordinato, inordinato quale quale sit, omnes ejus anguli simul sumpti æquales sunt tribus rectorum paribus seu ter binis rectis, nempe totidem binis angulis, quot data figura angulos habet duobus minus. Eodem planè modo universi anguli septendecanguli quindenis rectorum paribus æquabuntur, & quinquagintangulum bis quadragenis octonis rectis, &[illegible]deinceps in infinitum. Hoc intellecto ad rem progredimur.

DATVM. Esto ABCDE rectilineum quinquangulum.

QVAESITVM. Demonstrandum est quinque ejus angulos æquales esse bis ternis rectis. PRAEPARATIO. Lineas AD, AC duco quæ quinquangulum in tria triangula ABC, ACD, ADE, dirimunt.

DEMONSTRATIO.

32.pr.1.lib. Eucl. TRIANGVLI ABC tres anguli æquantur duobus rectis, vel quod idem est rectorum pari (qui cum theoremate convenit trianguli enim tres anguli sunt æquales duobus rectis tot nempe binis rectis quot anguli sunt, minus duobus) Ad duos rectos in triangulo ABC comprehensos, adde trianguli ACD, tres angulos ACD, CDA, DAC, qui itidem duobus rectis æquantur, constitues duo rectorum paria quæ angulis quadranguli ABCDE, æqualia sunt: Cum istis denique bis binis rectis, tres angulos ADE, DEA, EAD, trianguli ADE, itidem duobus rectis æquales compone, universorum summa ter bini recti sunt æquales quinque angulis quinquanguli ABCDE.



Aliud exemplum ubi fuerit angulus inversus.


DATVM. Esto ABCD quadrangulum cavangulum, in quo sit angulus inversus ABC. QVAESITVM. Demonstrandum est quatuor angulos ut A, inversum angulum ABC tum C, denique ADC bis binis rectis æquari.

PRAEPARATIO. Ducatur recta BD.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

TRIANGVLI ABD tres anguli A, ABD, BDA, æquales sunt duobus rectis, quemadmodum & trianguli BCD tres anguli C, CBD, BDC: Sex autem anguli duorum triangulorum bis binos rectos efficiunt. Atqui duo anguli ABD, CBD comprehendunt angulum inversum ABC: Præterea duo anguli BDA, BDC angulum ADC cōponunt: Quare quatuor anguli ut A, inversus ABC, C, & ADC, simul sumpti æquantur bis binis rectis.



CONCLVSIO. Anguli igitur plani rectilinei, æquantur totidem rectorum paribus quot ipsum rectilineum angulos habet minus duobus. Quod demonstrare oportuit.

1 PROBLEMA. 2 PROPOSITIO.

DATIS omnibus rectilinei angulis præter unum: incognitum angulum invenire.

DATVM. Esto quinquangulum ABCDE, ejusque angulus A 60 grad. B 280 gr. C 50 gr. D 80 gr. E verò incognitus est.


QVAESITVM. Angulus E inveniendus esto.

CONSTRVCTIO.

A dati rectilinei angulis duo subducantur, ut hic à quinquanguli quinque angulis duobus subductis, reliquus est 3, qui per 180 gr. semper multiplicatus, faciet pro omnibus angulis	540 gr.
Vnde subductâ datorum angulorum summâ	470 gr.
Relinquitur pro angulo E	70 gr.

DEMONSTRATIO.

Quandoquidem summa quinque angulorum 540 gr. sunt, & quatuor anguli inde subducti sint 470 grad. necesse est 70 grad. pro angulo quinto ad E relinqui.



2 *Exemplum quadranguli decussati.*


DATVM. Detur ABCD quadrangulum decussatum, cujus latera AD & BC semutuo intersecant, ejusque anguli A, D, C, sunt cogniti, nimirum A 30 gr. D 60 gr. & C 40 gr. B verò incognitus.

QVAESITVM. Itaque B angulus inveniendus esto.

CONSTRVCTIO.

Duo cogniti anguli qui in eodem sunt triangulo ut C & D, simul additi valent	100 gr.
Hinc deductus tertius cognitus angulus A	30 gr.
Relinquit pro quæsito angulo B	70 gr.

DEMONSTRATIO.



TRES anguli trianguli CED, simul sumpti æquivalent 180 grad. quibus quoque anguli in triangulo AEB æquantur. Hinc angulus CED trianguli CED, æqualis est angulo AEB trianguli AEB quia ad verticem sunt, subducto igitur angulo CED de tribus angulis trianguli CED, similiter angulo AEB subducto de tribus angulis trianguli AEB remanent anguli C & D, æquales angulis A & B: Cum autem bini anguli unius trianguli æquentur binis angulis alterius, sequitur subducto angulo A de summa angulorum C & D (ut in constructione) reliquum esse pro angulo ad B. CONCLVSIO. Datis igitur rectilinei plani angulis præter unum: ignotum angulum invenimus. Quod erat faciendum.

NOTA.

AD rem ipsam accedere jam tempus esset, inventionem nimirum ignotorum terminorum cujusvis plani rectilinei. Verum quemadmodum supra proposit. 6. in triangulis planis inextricabilis difficultas & ἀδυνατία quædam unde se nemo expediverit proposita fuit, qualis est trianguli plani trium ignotorum laterum inventio, ita etiam hic in multangulis planis, aliæ plures difficultates, quæque nullam certam determinationem admittant, occurrunt, de quibus tria theoremata præmittere operæpretium putavi.


2 THEOREMA. 3 PROPOSITIO.

SI plani rectilinei tria latera incognita sint, & si reliqui termini sint cogniti: tria tamen latera incognita, per reliquos terminos notos cognosci non possunt.

VERITAS theorematis hujus specialiter in triangulis demonstrata est 2 propos. de Triangulis planis, nunc autem de quovis plano rectilineo generaliter demonstranda est.

1 *Exemplum in Quadrangulo.*

DATVM. Esto quadrangulum ABCD & quidem triplex primum usitatum, alterum cavangulum, tertium decussatum, quorum quatuor anguli sunt cogniti cum uno latere, ut CD, tria verò reliqua AB, BC, AD incognita.




QVÆSI-

Quaesitum. Tria latera incognita per ista cognita inveniri non posse demonstrandum est. Praeparatio. Ducatur uni laterum parallela, ut EF ad AB, cujus terminus E sit in AD, & F in BC.

DEMONSTRATIO.

Angulus DEF angulo DAB æquatur, & CFE angulo CBA, ut dati numeri (fingamus datos) duorum angulorum DAB, CBA, angulis DEF, CFE quoque communes sint, & propterea consequens est quinque datos numeros horum cognitorum quinque terminorum, communes esse, nec magis ad quadrãgulum ABCD quàm ad EFCD, aliaq; infinita similia quadrangula pertinere, unde consequitur nihil certi hinc concludi posse.




Si verò rectarum se mutuò secantium altera sit cognita ut hic CB, cum omnibus angulis, cæteræ verò incognitæ, linea EF parallela ad AD ducatur, cognitorum terminorum dati numeri tam decussato quadrangulo EBCF quam ABCD & infinitis similibus congruunt.

2 *Exemplum de plano rectilineo prout occurrit.*

Datum. Propositi sexanguli ABCDEF tria latera BC, DE, FA, ignorentur, reliqui autem omnes termini cogniti sint. Quaesitum. Ignota latera hinc inveniri non posse demonstrandũ est. Praeparatio. Quandoquidem alia sexangula delineari possunt, quorum cogniti termini, datis æquentur, ignoti autem, ignotis propositæ figuræ terminis inæquales sint. Ideò istiusmodi sexangulum deinceps formabimus: Infinitam aliquam parallelam ducito ad ED, ut GH, deinde AF continuetur infinitè in I, & BC in K, atque ab E ducta EG parallela contra FI secet rectam infinitam GH, tum GI sit æqualis & parallela ad EF; Præterea à D, infinitam GH intersecans recta DH ducatur parallela ad CK, deniq; HK æqualis & parallela rectę DC.

DEMONSTRATIO.

Horum duorum sexangulorum ABCDEF, ABKHGI, cogniti termini invicem æquãtur, primò enim anguli A & B utrique sexangulo communes sunt, anguli autem BCD, CDE, DEF, EFA, eodem ordine æquantur angulis CKH, KHG, HGI, GIA, propter parallelismum rectarum CD & KH, DE & HG, EF & GI: Et latus AB utrique sexangulo quoque commune est, postremò KH rectæ CD, & GI ipsi EF æquatur, quia CKHD, & FEGI parallelogramma sunt, ex præparatione. Iam autem tres incogniti termini BK, HG, IA, non æquantur tribus propositæ figuræ ignotis terminis BC, DE, FA, verum manifestè iisdem majores sunt, ideoque con-




ſequens eſt iſtos certè definiri non poſſe. Eodemque modo de cæteris planis multangulis demonſtrabitur.

CONCLVSIO. Si itaque plani rectilinei tria latera ignorentur, quamvis reliqui omnes termini cogniti ſint, tria ignota latera hinc inveniri non poſſunt. Quod demonſtrandum fuit.

3 THEOREMA. 4 PROPOSITIO.

SI plani rectilinei duo latera ignota ſint parallela, etſi reliqui termini cogniti ſint: duo tamen incognita latera hinc inveniri non poſſunt.

DATVM. Sit ABCDEFGH octangulum rectilineum, cujus duo latera parallela CD, HG ignorentur, reliqui verò omnes termini cogniti ſint. Ratio autem unde rectarum HG, CD, paralleliſmus deprehenditur, in eo conſiſtit: Si ducta recta HC vel GD, ſit ſanè HC, duo anguli GHC, DCH, 180 gr. æquales ſint (quod vel è datis angulis, vel è ſequenti propoſitione cognoſcetur) erunt inter ſe parallelæ, ſi verò ab his deficiant aut excedant, non erunt parallelæ.



QVAESITVM. Duo ignota latera inveniri non poſſe demonſtrandum eſt.

DEMONSTRATIO.

ETENIM quamvis duo ignota latera CD, HG, producantur aut contrahantur, cogniti tamen termini non variantur, quamobrem dati termini (fingantur enim dati) non minus accommodi erunt immutatæ figuræ, quam propoſitæ. Vnde conſequens eſt certam horum laterum determinationem dari non poſſe. Idem de cæteris planis rectilineis judicium eſto. CONCLVSIO. Si itaque plani rectilinei duo latera parallela ignorentur, reliquis omnibus terminis cognitis, illa incognita latera tamen inveniri non poſſunt. Quod erat demonſtrandum.


4 THEOREMA. 5 PROPOSITIO.

SI plani rectilinei plures quàm tres termini ignorentur, ex reliquis omnibus cognitis inveniri non poſſunt, niſi angulus ignotus quãdo reliqui omnis anguli cogniti fuerint.

QVOD ſi cum ignoti termini tribus plures ſunt, ut puta quatuor, unus angulus & tria latera ignorentur, angulus ille per 2 propoſ. hujus additamenti quidem invenietur, verùm reliqui tres termini inveniri nequeunt, ut patet propoſ. 3. Si autem ex iſtis tres aut quatuor anguli ignoti ſint, nullius planè lateris, aut anguli quantitas inveniri poterit, ut in diagrammate ſequenti demonſtrabimus. DATVM. Sexanguli ABCDEF, quatuor termini ignorentur, nimirum duo anguli C, & DEF, item duo latera AB, EF, cæteri autẽ omnes termini

termini cogniti ſunto. QVAESITVM. Quatuor ignotos terminos hinc inveniri non poſſe demonſtrandum eſt.

PRAEPARATIO. Quandoquidem alia ſexangula quorum cogniti termini, cognitis propoſitæ figuræ terminis æquentur, deſcribi poſſint, ex infinitis iſtiuſmodi unicum A G H I K F ſexangulum figuremus, in quo A G pars ſit rectæ A B, G H æqualis & parallela rectæ B C, deinde H I æqualis C D, angulus autem H angulo C inæqualis ſit, tum I K æquetur D E, & angulus I angulo D, ſed angulus K qui adjacet continuatæ F E, angulo D E F inæqualis eſto. His poſitis, omnes termini cogniti in ſexangulo A G H I K F, æquantur cognitis ſexanguli A B C D E F terminis, ignoti autem inter ſe diſcrepant.



DEMONSTRATIO.

Quandoquidem cogniti termini ſexanguli A G H I K F, cognitis terminis ſexanguli A B C D E F æquales ſint, dati numeri (puta dari) utrique figuræ pariter inſervient, nec non infinitis aliis iſto modo delineatis, unde cõſequitur hinc nihil certo definiri. Ex iſto diagrãmate ubi duo anguli & duo latera ignorantur, facile de cæteris judicium fieri poterit quando tres anguli & unum latus, aut quatuor latera ignorabuntur, idq; in quolibet plani rectilinei genere. Cum verò quatuor ignoti termini nullam determinationem certam recipiant, ideo longè firmiori ratione ſi plures quam quatuor ignorentur eoſdem inveniri non poſſe, convincetur. CONCLVSIO. Quare ſi in plano rectilineo, plures termini quam tres ignorentur, ex omnibus reliquis cognitis inveniri nequeunt, niſi unus angulus ignotus, quando reliqui omnes anguli cogniti fuerint. Quod demonſtrandum erat.

2 PROBLEMA. 6 PROPOSITIO.

DATI quadranguli plani, quod quinque terminos notos, & tres quæ tamen non ſint meræ lineæ ignotos & ex his duo ignota latera non parallela habet, ignoratos terminos invenire.

CVR hac 6 & deinceps ſuccedente 7 propoſ. tres ſummùm termini ignorari poſſint, qui neque meræ ſint lineæ, neque duo latera parallela habeant, 3, 4 & 5 propoſitione abundè demonſtratum fuit: eoque ritè intellecto ad rem ipſam aggrediemur.

Quinque cogniti atq; tres ignorati termini octo modis variari poſſunt, quos omnes in ſubjectis quadrangulis A B C D ſpectandos exhibemus, quibus tria quadrangulorum genera nimirum uſitatum, cavangulum, & decuſſatum, complexi ſumus, atque è ſingulis octo figuras deſcripſimus.

Primò, tria prima quadrangula tres habent ignotos angulos A, A B C, A D C, reliquos autem quinque terminos cognitos.

Secundò, duos ignotos angulos A, A B C, & latus inter eos medium ignotum habent, reliquos autem quinque terminos cognitos.

Tertiò, duos ignotos angulos A, A B C, & latus A D inter notum & ignotum angulum intermedium quoque ignotum habent, reliquos autem quinque terminos cognitos.

Quartò, habent ignotum angulum A à duobus ignotis lateribus comprehensum, reliquos autem quinque terminos cognitos.

Quintò, duo ignota latera habent, angulum cognitum A comprehendentia, ex adverso ignoti anguli C, reliquos autem quinque terminos cognitos.

Sextò, duo habent ignota latera A B, A D, quæ angulum notum A comprehendunt, prope ignotum angulum B, reliquos autem quinque terminos cognitos.

Septimò, duo habent opposita latera A B, D C ignota, eorumque alterum utpote A B, inter cognitum A, & ignotum A B C intermedium, alterum autem ut D C inter duos notos angulos constitutum, reliquos autem quinque terminos cognitos.

Denique Octavò, latus D C ignotum duobus ignotis angulis A, A B C oppositum habent, reliquos autem quinque terminos cognitos.


Verum omnem istam varietatem tribus Exemplis explicabimus.

NOTA.

In omnibus his diagrammatis reliquos angulos excepto B quadranguli usitati, & inverso angulo B acutos ponimus. Quamvis autem obtusi anguli nonnullam pragmatiæ dissimilitudinem inducere possint, ut pro subductione additio usurpanda sit, & contra: & præterea quamvis recti anguli compendium pragmatiæ suppeditent: Tamen quia nimis prolixum & tædiosum foret omnem istam varietatem sigillatim persequi, & additio aut subductio aut etiam compendia ista operantibus satis planæ & obviæ sunt, arbitramur diversitatem istam, è tribus his acutorum angulorum exemplis satis intelligi.

Quantum ad præparationem uniuscujusque sequentium diagrammatum attinet, præcepta de his tradita, omnibus ejusdem generis Figuris communia sunt, sive obtusorum seu rectorum sive etiam acutorum angulorum major sit multitudo.

1 Exem-



1 *Exemplum ad 1,2,3,4,5 & 6 diagramma.*

DATVM. Sit primùm proposita figura quadrangula ABCD, in qua omnia latera, & angulus C cognita sint.

QVAESITVM. Tres reliqui ignorati anguli inveniendi sunto.

PRAEPARATIO. Ducito rectam DB.

CONSTRVCTIO.

Quandoquidem quadrangulum à recta DB in duo triangula dispescitur, atque triangulum DBC tres terminos habet cognitos, nempe C, BC, & CD. Igitur reliqui tres ignorati termini horum ope explicantur, per propos.

propos. 5. triangulorum planorum utpote angulus DBC.
Item angulus BDC.
Et latus DB.
His assertis, tria trianguli A D B latera erunt cognita, unde tres anguli, per propos. 8. triang. planorum, cognoscentur, quæsitus quippe angulus A.
Angulus ADB.
Item angulus DBA.
Si in quadrangulo usitato, & cavangulo, D B C primus addatur ad D B A hoc ordine sextum, & in quadrangulo decussato D B C subducatur de D B A, cognoscetur quæsitus angulus ABC.
In quadrangulo usitato, & cavangulo addatur A D B hoc ordine quintus ad B D C secundū, sed in quadrangulo decussato, A D B subducatur de B D C, & cognoscetur quæsitus angulus ADC.
Cujus demonstratio ex ipso opere apparet. Planè consimilis modus erit in 2, 3, & 4 figura, acta recta D B, ac ubique pro ratione dati operatione instituta. Quantum ad 5 & 6 triangulum attinet, ubi ducta D B statim tres termini trianguli D B C in cognitionem non veniunt, eos assequemur prius invento angulo C per cognitos tres angulos juxta 2 propos. hujus additamenti.

2 *Exemplum ad 7 diagramma.*

DATUM. Sit septima figura quadrangula, cujus opposita latera A B, D C ignorentur, horum alterum ut A B esto commune crus cogniti anguli A, & ignoti A B C, reliquum vero ignotum latus D C inter duos cognitos angulos consistat, & duo latera A D, B C, cognita sint.

QUAESITUM. Tres ignoti termini inveniendi sunto.

PRAEPARATIO. Cum ducta recta D B, aut A C, quadrangulum ut in antecedenti exemplo in duo triangula nō diducatur quorū alterum tres cognitos habeat terminos, quod in superioribus sex exemplis eveniebat, itaque præparatio alitèr instituenda erit: Nimirum altero ignotorum laterum continuato donec reliquum ignotū latus ipsum aut ejus continuationem secet in puncto E.

CONSTRUCTIO.

Primùm è tribus cognitis angulis A, D, D C B, invenitur per 2 propositionem hujus additamenti quartus quæsitus angulus ABC.
Triangulum E A D tres cognitos habet terminos, ut pote angulū A, angulum D, & latus A D ex dato, hinc per propositionem 4 planorum triangulorum, reliqui tres ignoti inveniuntur, nimirum angulus E.
Latus AE.
Et DE.
In triangulo B C E tres cogniti sunt termini, videlicet angulus E qui hoc ordine secundus est, latus B C ex dato, & indidem quoque angulus B C E, Nam in quadrangulo cavangulo & decussato ipse planè ex dato cognitus est, in quadrangulo autem usitato est complementum semiperipheriæ dati B C D: Unde inveniuntur per propos. 4. reliqua duo plani trianguli latera nimirum BE.
Et CE.

Si in

Si in quadrangulo usitato à DE, hoc ordine quarta, subducatur
CE hoc ordine sexta: In quadrangulo autem cavangulo DE addatur ad CE: Verum in quadrangulo decussato DE detrahatur de CE tum habebitur quæsita DC.

Et BE hoc ordine quinta subducta de AE hoc ordine tertia, relinquet quæsitam AB.

Cujus demonstratio è constructione liquidò constat.

Eadem ratio erit octavi diagrammatis, altero ignotorum laterum producto, donec cum reliquo ignoto latere aut ejus continuatione concurrat: Et quamvis triangulum EAD needum tres cognitos habeat terminos; tamen illi cognoscuntur prius invento angulo A, è datis tribus cognitis angulis, juxta modum 2 propositionis hujus additamenti.

3 *Exemplum ad 8 diagramma.*

Datum. Octavum diagramma sit quadrangulum cujus ignotum latus DC, duobus ignotis angulis A, ABC opponitur, reliqui autem quinque termini cogniti sunt. Quæsitum. Tres ignoti termini inveniendi sunto.

Præparatio. Quandoquidem quadrangulum ducta DB aut AC ut in primo exemplo, aut etiam continuatione duorum laterum ut in secundo exemplo, ad duo triangula quorum alterum tres cognitos habeat terminos reduci nequit, quemadmodum in superioribus exemplis contingit, ideò præparationem sic institues: ducito BE æquale & parallelam rectæ CD, deinde connectas AE, & DE, hæc necessario æqualis & parallela erit ipsi CB.

Constructio.

Datus angulus C, detractus de 180 grad. relinquet (quia ED & CB parallelæ sunt) angulum CDE.

Unde deductus datus angulus ADC, restabit angulus ADE.

Trianguli ADE tres termini sunt cogniti, nempe angulus ADE hoc ordine secundus, latus AD ex dato, & DE quæ ex præparatione æquat datam CB, quorum ope tres ignorati termini inveniuntur per propos.6. triang. planorum, nimirum latus AE.

Angulus EAD.

Item angulus AED.

Hinc subducto angulo BED, qui dato angulo C æquatur, reliquus erit angulus AEB.

Triangulum AEB tres habet cognitos terminos, nimirum angulum AEB hoc ordine sextum, latus AB ex dato, & AE hoc ordine tertium. Quorum ope tres ignorati termini per propos.5. triang. planorum invenientur, ut latus EB, quæ ex præparatione æqualis est DC ideoque assumitur pro quæsita DC.

Angulus EBA.

Item EAB.

Ab hoc in quadrangulo usitato & cavangulo subducatur angulus EAD hoc ordine quartus, sed in quadrangulo decussato EAB subducatur de angulo EAD reliquus erit angulus BAD.


Atque è tribus cognitis angulis BAD, C & D per 3 propos. invenitur quartus quæsitus angulus ABC.

Cujus demonstratio ex pragmatiæ deductione manifesta est.

NOTA.

NOTA.

QVAMVIS multiplex & varia sit ratio qua præparatio horum diagrammatum confici possit, ideóque diversæ sint pragmatiæ ad conclusionem ignoti termini, nos brevitati studentes unicam modo adhibuimus viam. Veruntamen quia Ptolomæus ad inventionem ignotorum terminorũ 8 diagrammatis, paulò secus præparationem instituit 9 cap. 10 lib. magni operis, eandem hic referre non videtur alienum. DATVM. Esto, dicis causa, Quadrangulum A B C D octavi modi. QVAESITVM. Ignoti termini nimirum anguli D A B, A B C & latus D C invenienda sunto.



PRAEPARATIO. Ab A & B in rectam subjectam D C etiam continuatam si opus sit, duas perpendiculares A E, B F, demittito, denique B G normaliter insistat in A E.

CONSTRVCTIO.

Trianguli A D E tres termini cognoscuntur, nam A E D ex præparatione rectus est, angulus D, & latus A D ex dato cogniti sunt. Vnde tres ignoti termini per 4 propos. triang. planorum inveniuntur, nimirum angulus D A E.
Recta D E.
Et A E.
Trianguli B F C tres termini cognoscuntur, videlicet angulus B F C rectus ex præparatione, angulus C, & latus B C ex dato. Quorum subsidio ignoti termini per propos. 4. triang. planorum eruuntur, nempe angulus F B C.
Recta F C.
Et B F.
Cumque B F æquetur G E, ipsa G E tantundem valebit, quare hac G E subducta de A E hoc ordine tertia, supererit cognita G A.
Triangulum A G B tres terminos cognitos habet, nimirum G A hoc ordine septimum, angulum A G B rectum ex præparatione, & A B cognitum ex dato. Quorum auxilio reliqui tres ignoti termini per 5 propos. triang. planorum inveniuntur, nimirum latus G B.
Angulus B A G.
Item angulus A B G.
Cum hoc compositus angulus rectus G B F, & F B C hoc ordine quartus totus erit quæsitus angulus A B C.
Ad angulum G A B hoc ordine nonum, addatur angulus D A E hoc ordine tertius totus erit quæsitus D A B.
Et quia E F æquatur G B termino hujus ordinis octavo ipsa quoque cognita est, ad quam additis D E & F C hoc ordine prima & quinta, dabitur tota D C.

Atque hæc præparationis ratio ad 2, 7 & 8 diagramma, idque in unoquoque quadrilateri generi, adhiberi potest.


CONCLVSIO. Cognitis itaque dati quadranguli plani, quinque terminis, & tribus ignoratis, quæ non sint meræ lineæ neque ex ignotis duo latera parallela habent: Tres ignotos terminos invenimus. Quod erat faciendum.

3 PRO-

3 PROBLEMA. 7 PROPOSITIO.

DATI plani rectilinei, cognitis omnibus terminis præter tres qui non ſint meræ lineæ, neque duo ignota latera parallela habent: Tres ignotos terminos invenire.

DATUM. Eſto ſexangulū ABCDEF, cujus latus EF, & duo anguli E, AFE ignorentur, reliquis tamen omnibus terminis cognitis.



CONSTRUCTIO.

RECTAE, quibus multangula plana ad triangula aut quadrangula reſolvuntur, variis modis duci poſſunt, ut tamen nihilominus tandem idem cōcludatur. Nos hoc ſexangulum actis rectis BD, BF in duo triangula BCD, ABF, & unum quadrangulum BDEF diſpeſcimus, deinde ſic procedimus.

Triangulum BCD tres cognitos habet terminos, nimirum angulum C, & latera BC, CD. Quorum adjumento tres ignoti termini, per 6 propoſ. triang. planorum inveniuntur, utpote angulus CBD.
Item CDB.
Et latus BD.
Deinde triangulum ABF tres terminos cognitos habet, videlicet angulum A, latus AF, & AB. Unde tres ignorati termini deprehenduntur per 6 propoſ. triang. planorum, nimirum angulus ABF.
Angulus AFB.
Et latus BF.
Subducto angulo CDB hoc ordine ſecundo à dato CDE, ſupererit angulus BDE.
Subductis duobus angulis CBD hoc ordine primo, & ABF quinto, à dato inverſo angulo ABC, reſtabit angulus FBD.
His aſſertis; In quadrangulo BDEF quinque termini ſunt cogniti, nimirum angulus BDE hoc ordine ſeptimus, FBD octavus, BF ſextus, BD tertius, & ED ex dato. Quorum ope ignoti termini invenientur per hujus additamēti 6 propoſitionis 1 exemplum, (quia hoc quadrangulum conforme eſt ſecundo diagrammati illius) quæſitus nempe angulus E.
Latus EF.
Et angulus BFE.
Ad hunc addatur AFB hoc ordine quintus, totus erit quæſitus angulus AFE.
Cujus demonſtratio ex pragmatiæ conſequentia apparet.

Eadem methodus in omnibus planis rectilineis obſervetur, namque propter terminos qui ut cogniti dantur, ad triangula aut quadrangula reducuntur, unde quæſi eruuntur ut ſupra.

CONCLVSIO. Cognitis itaque universis plani rectilinei terminis præter tres, qui non sunt meræ lineæ neque duo ignota latera parallela habent: Hos tres ignoratos terminos invenimus. Quod erat propositum.

Planorum Triangulorum

FINIS.

LIBER

LIBER TERTIVS
COSMOGRAPHIAE
DE
SPHÆRICIS
TRIANGVLIS.

ARGVMENTVM.

Librum hunc in tria Membra partiti sumus: Primum 22 Theoremata complectitur, quæ tanquam fundamentum & basis sequentibus propositionibus serviant. Secundum 9 Theoremata, unde ratio pragmatiæ problematum tertii membri derivatur. Tertium 13 Problemata de inventione quæsitorum angulorum & laterum in datis sphæricis triangulis.

His subjunximus ADDITAMENTUM *de sphæricis multangulis.*

Deinde APPENDICEM *tractatus triangulorum.*

DEFINITIONES.

1 DEFINITIO.


SPHÆRICUM triangulum est, quod in globi superficie à tribus maximæ peripheriæ arcubus, quorum singuli semiperipheriâ minores sunt, comprehenditur.

SI quando igitur in doctrina sequenti vel peripheriæ vel arcus mentio incidet, de maxima peripheria vel maximæ peripheriæ arcu intelligendum est. Causa cur hic arcus semiperipheria minor sumitur in APPENDICE declarabitur.

2 DEFINITIO.

MAGNITUDO sphærici anguli designatur à maximæ peripheriæ arcu, qui tamen quam semiperipheria minor est, quique inter duos arcus, utpote crura anguli, ex vertice ejusdem tanquam polo descriptus sit.

Sunto AB, AC duo maximæ peripheriæ arcus, sphæricum angulũ BAC comprehendentes: Hinc DE alterius peripheriæ arcus esto inter duos angulares arcus AB, AC è puncto A tanquam polo delineatus: Hoc posito magnitudinem anguli BAC arcu DE definiri dico. Exempli gratia, si arcus DE sit 80 gr. magnitudinem anguli A 80 gradibus definiri dicimus. Plenioris autem intelligentiæ causa inter DA & EA puncta F & G signantor, & ductis maximis arcubus FG, BC cum angulus BAC, DAE, FAG idem sit, non minus arcu DE quantitatem anguli BAC in triangulo BAC, & anguli FAG in triangulo FAG, definiri intelliges, quam anguli DAE in triangulo DAE.



Ad majorem rei evidentiã & illud addere licet, quod magnitudo anguli A, æstimari potest angulo qui à duobus maximorum circulorum planis comprehenditur quorum arcus sunt AB, AC. Si enim duo plana rectum angulum comprehendant angulus A est rectus, si acutum acutus, si obtusum obtusus, & quot graduum est apertura vel recessus horum duorum planorum, totidem est magnitudo anguli A: Vt autem apertura planorum è linearum recessu gradibus commodè definiri possit, duas rectas à punctis D & E ad globi centrum duci fingamus, quandoquidem magnitudo plani anguli (quam arcus DE indicat) etiam sphærici anguli magnitudo est: Atque hic modus in quibusdam exemplis non sine compendio cogitari potest. Quantum ad terminos adjunctorum globi, ut forma universa, superficies, axis, polus & alia hujusmodi, tanquam nota à geometricis elementis assumpsimus.

NOTA.

Quandoquidem in doctrina mathematicarum artium magno compendio est, si formæ quibus ad propositi nostri explicationem utimur cum rebus significatis convenientem similitudinẽ habeant, & quia sphærica triangula eorumq;

arcus, in plano ut charta vel abaco plerumque inimitabilia sunt, unde etiam plus obscuritatis & erroris ad hãc doctrinam accedit: fit ut celestis aut terrestris globus suis circulis & circulorum gradibus distinctus, aut globus è ligno aliave duriore materia, in quo notæ longitudinis arcus ducantur, adhiberi soleat: Aut si tantum theorematum intelligentiæ serviat & expressa graduum multitudine opus non sit, cereo globo uti licebit, quali globulo è flava cera cujus diameter pollice major non fuit ILLVSTRISSIMVS PRINCEPS usus est, in eo peripherias, arcus majores, minores, angulos rectos, acutos, obtusos, prout occurrebant delineans, eaque omnia postea inducens, non secus quam quæ in abaco scripta sunt deleri solent, iisque nova pro arbitrio substituens, quod ad firmandam memoriam non parum adjumenti adfert. Itaque quisquis ad doctum hunc pulverem se accinget, simili modo prospicere sibi potest ut facilè & manifestò intelligat, quæ in planis descripta obscuritatem afferunt & nebulas menti offundunt.

Denique si ob causas, supra in notis ad novissimam definitionem lib. 1. de Fabrica sinuum additis, dictas, in ignotorum terminorum dati trianguli sphærici inventione aliquis exercere se volet, licet initio causas & fundamenta operationum non intelligat, ad usum tamen in sphæricorum triangulorum indice declaratum accedere poterit, imo etiam multangulorum sphæricorum quæ in Additamento illi subjecto explicantur, imitatus exemplum pro ratione dati. Et usu intellecto ad causarum investigationem demum animum applicare poterit.

PRIMVM

PRIMVM TMEMA THEOREMATVM, QVAE TANQVAM BASIS SEQVENTIBVS PROPOSITIONIBVS SERVIVNT.


I THEOREMA. I PROPOSITIO.

Si maximus circulus per maximi circuli polum transeat, sibi mutuo normaliter insistunt.

Datum. Sphæræ A B C D centrum est E, & ex puncto A tanquam polo maximus circulus B F D G descriptus est.

Quæsitum. Duos hos circulos inter se normales esse demonstrandum esto.

Præparatio. Agatur dimidius axis AE.



DEMONSTRATIO.

Quandoquidem dimidius axis A E subjecto plano circuli B F D G perpendicularis est, id enim ex præparatione sequitur, & idem axis quoque sit in plano circuli A B C D, necessariò circulus hic circulo B F D G perpendicularis erit.

Conclusio. Si igitur maximus circulus per maximi circuli polum transeat, inter se sunt normales. Quod erat ostendendum.

NOTA.

Quia nonnullæ hujus generis propositiones ita perspicuæ sunt ut peculiaribus propositionibus non egeant, eas brevitatis gratia his sequentibus consectariis exponemus.

I Consectarium.

Liquidò constat arcum A B esse peripheriæ quadrantem, per cujus terminum B, arcus seu peripheria B F D G ducta est perpendicularis in A B, ideoq; A polum esse peripheriæ B F D G: unde generale porisma derivatur.


Alter quadrantis terminus est polus illius arcus, qui normalitèr per reliquum terminum transit.

2 Consectarium.

Si ab A puncto, maximæ peripheriæ arcus delineetur, donec peripheriæ B F D G occurrat, ut A H, constat hunc quoque quemadmodum A B quadrantem peripheriæ esse, & eidem peripheriæ B F D G perpendicularem. Vnde generale præceptum deducitur.

Si ab altero quadrantis termino arcus ducatur, donec occurrat arcui cui idem quadrans normalis est, descriptus hic arcus erit peripheriæ quadrans, & arcui in quem ducitur quoque normalis erit.

Ad majorem perspicuitatem esto I K in hac subjecta speciali figura circuli quadrans, perpendicularis arcui K L, à cujus extremitate I ductus sit arcus donec ipsam K L secet, ut I M: Quibus positis, eadem hæc I M est circuli quadrans, anguli autem I M K, & I K M recti.



3 CONSECTARIUM.

Præterea evidens est singulos arcus A B C, A H C semiperipheriam æquare, sese mutuò in duobus punctis A & C intersecãtes, adeò ut duo anguli quos comprehendunt, ut A C H, B A H inter se æquales sint, quia arcus B H utriusque amplitudinem definit ex definitione 2: Quare:


Duo maximæ peripheriæ arcus utrinque cõtinuati donec se mutuò secent, singuli semiperipheria sunt, ad utrumque sectionis terminum æquales angulos comprehendentes.

4 CONSECTARIUM.

Si ab aliquo peripheriæ B F D G puncto ut H, maximæ peripheriæ arcus infinitè producatur quæ in eandem B F D G normaliter insistat, hæc necessariò arcum B A D secabit ut in A, ideoque erunt A D & A H duo quadrantes circularis perimetri, & cõmunis eorum sectio A, erit polus circuli B F D H: Unde hoc generaliter deduco.

Si in arcum aliquem, alter ei perpẽdicularis erigatur donec tertium intersecet qui in primum quoque perpendicularis sit: secundus & tertius quadrantem à se mutuò auferunt, & communis eorum sectio est polus primæ peripheriæ.

Plenioris intelligentiæ causa sit in hoc peculiari diagrammate arcus N O, in quem alter N P perpendicularis sit. Deinde à quocunque arcus O N puncto ut Q excitetur arcus aliquis perpendicularis in O N, donec N P arcum secet, id puta fieri in R: Hoc posito, tam arcus Q R quam R N singuli erunt quadrans peripheriæ, & R punctum polus peripheriæ O N.




5 CONSECTARIUM.

Si puncta E, & H connectantur recta E H, duo anguli H E B, H E D duobus

duobus rectis rectilineis angulis æquabuntur: Sed planus angulus H E B, & sphæricus H A B æquales sunt, quia amplitudo utriusque eodem arcu B H definitur ex def. 2: simili modo sphæricus H A D plano angulo H E D æqualis est, quare duo sphærici anguli H A B, H A D (quos arcus H A in arcum B A D insistens facit) duobus rectis æquales sunt, & æquales sinus habent per def. 2. de Fab. sinuum: Vnde istud generatim concluditur.

Arcus in arcum insistens facit duos deinceps angulos, duobus rectis æquales, atque eorum sinus, tangentes, secantes quoque æquales sunt.

Sic majoris evidentiæ gratia in subjecto hoc diagrammate, arcus V X insistat in arcum S T, quare duo anguli S V X, T V X æquantur duobus rectis: Ideoq; si alter sit acutus reliquus erit obtusus, sin rectus & reliquus rectus erit, & uno cognito reliqui quantitas quoque innotescet. Exempli causa si angulus T V X sit 50 gr. hic de duobus rectis hoc est 180 gr. detractus relinquet S V X 130 grad. Præterea 50 gr. & 130 gr. æquales habent sinus utpote 7660445 per 2 def. de Fabrica sinuum.



6. Consectarium.

Si arcus A H continuetur usq; ad C, arcus A C, intersecans arcum B H D in H, quatuor angulos facit, nempe A H D, D H C, C H B, B H A, è quibus anguli ad verticē æquales sunt, ut A H D & C H B, item D H C & B H A, quia duo deinceps anguli B H A, A H D, æquantur duobus rectis, itidem quoq; duo anguli A H D, D H C per 5 consect. quare duo anguli B H A, A H D, duobus A H D, D H C æquales erunt: Si igitur utrimque tollatur communis angulus A H D, reliquus B H A, æquat reliquum sibi ad verticem D H C: Simili planè demonstratione ostendemus angulum A H D, angulo C H B sibi ad verticem opposito æqualem esse: Vnde tanquam generali regulâ istud concluditur.

Duo maximarum peripheriarum arcus sese mutuò secantes, angulos qui ad verticem sunt æquales habent.

7 Consectarium.

Si ex A tanquam polo minor peripheria Y Z describatur, hæc necessariò peripheriæ B F D H parallela erit, quæ ex thesi, ex eodem polo delineata est, præterea cum maxima peripheria A B C D, maximæ peripheriæ B F D H perpendicularis sit, planum ejus plano circuli Y Z quoque perpendiculare erit: Vnde istud generale consectarium derivatur.

Si in sphæra maximā peripheria per minoris polum trāseat, illius planum hujus plano normale erit.

8 Consectarium.

Quia latus A H rectanguli trianguli A H B crus est recti anguli ad H, necessario

cessario angulus A B H, quem latus A H subtendit, quoque rectus erit. Vnde ita concludo:

Si in triangulo crus anguli recti sit peripheriæ quadrans, angulus ei oppositus rectus erit.

9 CONSECTARIUM.

Quia alterum latus A H rectanguli trianguli A H B peripheriæ quadrans est, sine controversia recti anguli H, basis A B, etiam quadrans erit. Vnde istud derivatur:

Si unum crus recti anguli quadrans sit, basis recti quoque quadrans erit.

10 CONSECTARIUM.

Quia in rectangulo triangulo A H B, A B basis recti anguli H, peripheriæ quadrans est, dubio procul alterum recti crus ut A H, quoque quadrans erit: Vnde corollarium:

Si in sphærico rectangulo triangulo, basis recti sit peripheriæ quadrans, alterum crus recti, quoque quadrans erit.

11 CONSECTARIUM.

Quandoquidem in triangulo A H B angulus B, qui adjacet basi A B recti anguli H, quoque rectus est, consequens est eandem basin A B peripheriæ quadrantem esse: Vnde hoc porisma deducitur:

Si in sphærico rectangulo triangulo, alter angulus qui basi recti adjacet, etiam rectus sit, basis hæc peripheriæ quadrans erit.

12 CONSECTARIUM.

Quandoquidem in triangulo A H B, A B basis recti anguli H, peripheriæ quadrans est, necesse est unum angulorum quorum commune crus est, ut angulum B rectum esse: Vnde in genere ita propono.

Si in sphærico rectangulo triangulo, basis recti peripheriæ quadrans sit: Alter angulus quorum commune est crus rectus erit.

13 CONSECTARIUM.

Manifesto tenetur A B, A H duos esse quadrantes, ab eodem polo A, in eundem tertium arcum B H ductos, & ideo angulos A B H, A H B rectos esse: Vnde lemma tale.

Duo quadrantes ab eodem polo in tertium arcum demissi, eidem normales sunt.

2 THEO-

2 THEOREMA. 2 PROPOSITIO.

Si in sphærico rectangulo triangulo, recti anguli crus quadrante minus sit, angulus quem subtendit erit acutus: Sin vero majus, angulus quem subtendit erit obtusus.

Datum primæ partis. Esto A B C sphæricum rectangulum triangulum cujus angulus B rectus sit, & alterum crus recti ut A B sit minus quadrante.

QUAESITUM. Angulum ei subtensum acutum esse demonstrandum est. PRAEPARATIO. B A continuetur in D, ut B D quadrans sit, & connectatur arcus D C.



DEMONSTRATIO.

Cum latus B D quadrans sit, punctum D (nam D B in B C perpendiculariter insistit) polus erit arcus B C per 1 consect. 1. propos. cumque ab hoc polo demissus sit arcus usque in C, hic arcui B C normalis erit, & angulus D C B rectus per 2 consect. 1. propos. & per consequens angulus A C B acutus, utpote minor recto D C B.

Datum secundæ partis. Sit rursum B D quadrans ut supra, qui continuetur in E, hinc describatur maximæ peripheriæ arcus E C.

DEMONSTRATIO.

Cum angulus D C B quià quadrante D B subtenditur rectus sit, ex antecedente, angulus E C B qui illo major est necessariò obtusus fuerit. Ideoque si latus E B majus sit quadrante, angulus E C B ab eo subtensis erit obtusus.

CONCLUSIO. Si itaque sphæricum rectangulum triangulum, unum recti crus habeat minus quadrante, angulus ei subtensus est acutus: Sin majus, obtusus: Quod demonstrare oportuit.

CONSECTARIUM.

Quandoquidem, si latus A B minus sit quadrante, angulum sibi oppositum A C B acutum facit, etiam reciprocè angulus acutus A C B latus sibi subtensum quadrante minus efficiet: Et similitèr angulus obtusus E C B latus sibi subtensum quadrante majus constituet, Quare hoc theorema ita converto:


Si in sphærico rectangulo triangulo alter obliquorum angulorum sit acutus, latus eum subtendens est quadrante minus: Sin obtusus sit, latus subtendens erit majus.

3 THEOREMA. 3 PROPOSITIO.

Si sphæricum rectangulum triangulum, singula recti anguli crura quadrante paritèr minora, aut paritèr majora habeat, Basis recti erit quadrante minor: Sin alterũ majus alterum minus, basis recti erit major.

Datum

Datum primæ partis. Sit A B C sphæricum rectangulum triangulum, cujus angulus B rectus, & singula latera rectum ambientia ut A B, C B minora quadrante peripheriæ.



QVÆSITVM. Basin recti A C quadrante minorem esse demonstrandum est.

PRÆPARATIO. B A continuetur in D, & C B in E, ut tam B D quam C E quadranti æquentur: Deinde ducatur maximæ peripheriæ arcus D E, & C A continuetur donec ipsi D E in F occurrat.

DEMONSTRATIO.

Cum angulus A B C rectus sit, & B D quadrans, ideò D erit polus peripheriæ C E per 1 consec. 1 propos. & angulus D E C rectus per 1 propos. Præterea cum D E C angulus rectus sit, & C E peripheriæ quadrans, ideo C, per citatum 1 consect. erit polus peripheriæ D E quare C F quoque quadrans erit, per 2 consect. 1. propos. cujus segmentum C A ipso minus est.

Datum secundæ partis. Quadrans B D continuetur in G, & B C continuetur in H ut C H peripheriæ quadrans sit, deinde ducatur arcus H G: Quo posito, trianguli G B H angulus G B H rectus est, & duo ejus crura G B, H B, majora sunt quadrante. QVÆSITVM. Anguli recti B, basin G H quadrante minorem esse demonstrandum est. PRÆPARATIO. A' puncto C per D maximæ peripheriæ arcum ducito qui occurrat H G producto in I.

DEMONSTRATIO.

Cum enim angulus D B H rectus sit, & B D peripheriæ quadrans, D erit polus arcus B H, per 1 consect. 1 propos. & angulus D C B rectus per 2 consect. Præterea cum arcus C H quadrans sit, H propter rationes jam dictas, erit polus arcus I C, quare etiam arcus H I quadrans erit, cumque G H ejus pars sit, eadem G H illo minor erit.

Datum tertiæ partis. Statuatur inter H & C punctum K, atque ab eo maximæ peripheriæ arcus ducatur per D, donec continuatum quadrantem H I secet in L. Cum autem D sit polus peripheriæ E H, ut ex antecedente patuit, D K quoque quadrans erit, & K L major, H K (pars quadrantis H C) minor peripheriæ quadrante, & angulus D K H rectus, cujus basis est H L Quare triangulum L K H ex sententia hujus propositionis habet duo recti anguli crura L K, H K, hoc minus, illud majus quadrante.

QVÆSITVM. Recti anguli L K H basin H L, majorem esse peripheriæ quadrante demonstrandum est.

DEMONSTRATIO.

Siquidē H I sit quadrans, ex demōstratis ad partem secundam, sitq; segmentum arcus H L, etiam ipso H L minor erit. CONCLVSIO. Quare si sphæricum rectangulum triangulum utraque recti anguli crura, &c.

CONSECTARIUM.

E prima parte constat, si in rectangulo triangulo A B C recti anguli A B C utrumque crus A B, A C, à quadrante deficiat, & recti anguli A B C basin A C quadrante minorem esse.

Secundò

Secundò autẽ ostensum est, si rectanguli trianguli G B H, recti anguli G B H utrumque crus G B, H B quadrantem excedat, G H basin recti G B H, quadrante minorem esse.

Denique tertiò demonstratum est, quod si rectanguli trianguli L K H, alterum recti anguli L K H, crus H K minus quadrante, alterum vero L K majus sit, L H basin recti L K H, quadrante majorem esse. E cujus reciprocatione (ut in diagrammate clarè patet) etiam hujus theorematis conversum concluditur, in hunc modum:

Si sphæricum triangulum rectangulum basin recti quadrante minorem habet, utraque recti anguli crura aut paritèr minora aut paritèr majora sunt quadrante: Si verò basis quadrante major sit, alterum recti crus erit quadrante minus, alterum majus.

4 THEOREMA. 4 PROPOSITIO.


Si in sphærico rectangulo triangulo, & basis & crus recti quadrante majus sit: Tertium latus erit minus.

DATVM. Sit A B C sphæricum rectangulum triangulum, & angulus B rectus, hujus basis A C & crus B C, singula quadrante majora sint.

QVAESITVM. Demonstrandum est tertium latus A B quadrante minus esse. PRAEPARATIO. C A, C B continuentur donec sese mutuò intersecent, ut in D.

DEMONSTRATIO.

Singuli hi arcus C A D, C B D semiperipheriæ sunt per 3 conf. 1. propos. unde subductis arcubus C A, C B qui singuli quadrante majores sunt, reliqui erunt A D, B D, quadrante minores: cum autem angulus A B C rectus sit, etiã A B D per 1 consect. 1 propos. rectus erit. Sed A B D rectangulum triangulũ, habet recti basin A D quadrante minorem, quare recti anguli duo crura A B, B D paritèr quadrante minora, aut majora erunt per cõversam 3 propos. B D autem minor, A B igitur quoque minor erit.



CONCLVSIO. Si igitur & basis & crus recti in sphærico rectangulo triangulo majus sit quadrante: tertium latus erit minus. Quod ostendendum fuit.


5 THEOREMA. 5 PROPOSITIO.

Si in sphærico rectangulo triangulo, duo obliqui anguli paritèr acuti aut pariter obtusi sint, recti anguli basis quadrante minor erit: Si vero unus acutus alter obtusus sit, basis erit major.

Datum 1 partis. Esto sphæricum rectangulum triangulum A B C, cujus angulus B rectus sit, duo obliqui A, C, paritèr acuti vel paritèr obtusi sint.

R QVAE-

QVAESITVM. Recti basin A C quadrante minorem esse demonstrandum est.



DEMONSTRATIO.

Cum enim duo anguli A, C, aut pariter acuti aut pariter obtusi sint, duo crura A B, & B C pariter quadrante minora, aut pariter majora fuerint per 2 propos. Et consequentèr per 3 propos. A C minor erit.

Datum 2 partis. Sit jam alter horum angulorum A, C, acutus, alter obtusus. QVAESITVM. Basin A C quadrante majorem esse demonstrandū est.

DEMONSTRATIO.

Quandoquidem angulorum A, C, alter acutus, alter obtusus est, etiam alterum crus A B, B C quadrante majus, alterum minus erit ex consect. 2. propos. ideoque basis A C major per 3 propositionis partem 3.

CONCLVSIO. Itaque si in triangulo sphærico, duo obliqui anguli pariter acuti aut pariter obtusi sint, recti basis quadrante minor erit: Si verò alter acutus reliquus obtusus sit, basis erit quadrante major. Quod demonstrare oportuit.

CONSECTARIUM.

Ex reciprocatione hujus propositionis (nam istud in diagrammate suprascripto manifestè videre licet) istud quoque evidens est.


Si in sphærico rectangulo triangulo, basis recti quadrante minor sit, duo obliqui anguli aut simul acuti, aut simul obtusi erunt: Si verò basis quadrante major sit, alter eorum erit acutus, alter obtusus.

6 THEOREMA. 6 PROPOSITIO.

SI in sphærico triangulo duo acuti aut duo obtusi sint anguli, perpendicularis à tertio angulo demissa intra triangulum cadit: Si vero unus acutus reliquus obtusus sit, cadit extra.

Datum 1 partis. Esto A B C sphæricū triangulum, cujus duo anguli A B C, A C B acuti sint. QVAESITVM. Perpendicularem ab angulo tertio A, in latus oppositum demissam, intra triangulum cadere demonstrandum est.

PRAEPARATIO. Sit D polus peripheriæ C B, & arcus D C, D B ducti sunto.



DEMONSTRATIO.


Quandoquidem arcus D B, à polo D in peripheriam suam C B demissus est, angulus D B C rectus erit, per 1 propos. Verùm angulus A B C minor est nempe acutus, ideoque punctum A erit ad sinistram arcus D B, consimili planè modo ostēdetur punctum A esse ad dexteram arcus D C, quare etiam necessario intra triangulum D B C erit: nec non arcus D A: Et si D A continuetur in E intra

intra triangulum A B C cadet, fecus enim si extra caderet quadrans D A E ad A haberet angulum minorem angulo D A B quod absurdum est: Igitur A E non cadit extra triangulum ad dextram: Eadem ratione demonstratur neq; ad sinistrum cadere, quare intra triangulum cadet: Eadem ratio est si anguli C, B, obtusi ponantur.

Datum 2 partis. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus angulus C acutus, B obtusus sit. QVAESITVM. Perpendicularem ab angulo tertio A in oppositum latus etiam infinitè productum, demissam, extra triangulum cadere demonstrandum est.

DEMONSTRATIO.

Si enim non caderet extra triangulum, aut perpendicularis ipsa erit alterum latus A B, A C, aut intra triangulum cadet: Perpendicularis autem illa latus alterum non est, quia tum angulus B aut C rectus foret, contra thesin. Si vero intra cadat, puta ab A ad D, duo anguli A D B, A D C essent recti, eos autem rectos non esse ita convincetur: Si enim anguli A D B, A D C, recti sint, duo erunt rectangula triangula A D B, A D C, cujus commune crus est A D, cumque subtendat acutum angulum C, quadrante minus erit per consf. 2 propositionis: Sed cum subtendat quoque obtusum angulum B etiam quadrante majus erit per idem consect. Sed eodem majus & minus esse absurdum est. Quare perpendicularis ab angulo C A B in latus oppositum demissa, extra triangulum cadet. CONCLVSIO. Itaque si in triangulo sphærico duo acuti, aut duo obtusi sint, perpendicularis à tertio angulo in basin suam demissa intra triangulum cadet: Si alter eorum acutus alter obtusus sit, cadet extra. Quod demonstrare oportuit.




7 THEOREMA. 7 PROPOSITIO.

Si in sphærico triangulo sint tres acuti anguli: unumquodque latus quadrante minus est.

DATVM. Esto sphæricum triangulum cujus tres anguli acuti sint.

QVAESITVM. Singula latera quadrante minora esse ostendendum est.

PRAEPARATIO. Ducatur enim ab A arcus perpendicularis in C B, utpote A D, qui per sextam propositionem necessario intra triangulum cadet, ambo enim anguli C, B acuti sunt.



DEMONSTRATIO.

Etenim anguli A D C, A D B ex præparatione seu fabrica sunt recti, sed quandoquidem D A B & B anguli acuti sunt, A B quadrante minus erit, per propos. 5. consimili modo demonstrabitur de A C, nec non de C B, si A B tanquam basis trianguli intelligatur ut C B ante assumptus fuit.

CONCLVSIO. Quare si in sphærico triãgulo tres acuti anguli sunt, unumquodque latus quadrante minus est. Quod ostendum erat.

8 THEOREME. 8 PROPOSITIO.

Si sphæricum triangulũ duos acutos angulos æquales habeat: latera quæ eos subtẽdunt quadrante minora sunt.

DATVM. Esto sphæricum triangulum A B C, quod habeat duos angulos ad B & C æquales & acutos. QVAESITVM. Horum basis A B, A C quadrante minores esse demonstrandum est. PRAEPARATIO. Ducatur à D puncto in latere B C medio, arcus A D, & continuetur in E, ut arcus E D quadranti æqualis sit: denique describantur duo arcus E C, E B.

DEMONSTRATIO.

Cum A B C & A C B anguli ex thesi æquentur, A B & A C quoque æquabuntur, & propterea A D qui arcum C B bisecat, eum rectè secabit, ideoque etiam E D eidem normalis erit, & E polus arcus C B per 1 consect. 1 propos. item E C, E B, qui in eundem C B normalitèr incidunt, erunt quadrantes per 2 consect. 1 propos. & quia angulus A B C acutus, E B C autem rectus est, punctum A infra E consistit, & A D arcus quadrante minor. Præterea arcus D B etiam minor est quia totus C B, cujus semissis est D B, à semiperipheria deficit per 2 def. In triangulo igitur rectangulo A D B, utrumque recti anguli crus A D, D B est quadrante minus, ideoque etiam tertium latus A B per 3 propos. Simili modo A C à quadrante deficere demonstrabitur. CONCLVSIO. Itaque si sphæricum triangulum duos angulos æquales habeat, bases eorum quadrante minores sunt. Quod erat demonstrandum.




9 THEOREMA. 9 PROPOSITIO.

Si sphæricum triangulum duos angulos acutos inæquales habeat, & tertium obtusum: Basis acutissimi erit quadrante minor, reliqua autem latera quadranti æqualia, minora, majoravé esse possunt.

DATVM. Sic sphæricum triangulũ A B C habeat duos inæquales, acutos angulos A B C, A C B, quorum minimus sit A B C, angulus autem C A B obtusus esto.

QVAESITVM. Demonstrandum est A C, basin acutissimi anguli A B C, quadrante minorem esse, bases autem reliquorum variari & modò quadranti æquales, modò majores, modò minores esse.



Præparatio primæ partis. Ducatur ab A in B C arcus perpendicularis A D: hic intra triangulum cadet per propos. 6, quia duo anguli A B C, A C B, acuti sunt, eritque hic A D vicinior angulo A C B, quam A B C, quia A B C acutior est quam angulus A C B, ideoque in B C poterit E punctum signari ut segmenta D E & D C æqualia sint; hoc facto describatur arcus A E.

Demon-

Demonstratio primæ partis. Triangulum enim A C E, duos acutos habet angulos ad C & E, quare A C per propos 8. quadrante minor est.

Præparatio secundæ partis. Arcus A B & A C producantur donec mutuo secent in F, deinde punctum H in semiperipheria A C F, & punctum G in A B F, quadrantem ab A remota, connectantur arcu G H, inque eo signetur I ut H I quoque quadrans sit, & describatur arcus C I. Cumq; arcus C B quadranti æqualis, major, aut minor sit, sumatur hic C B quadranti æqualis, atque inter A & B signetur punctum K ut tamen A K major sit quam A C, nam ducto arcu C K, angulus A K C, ut è demonstratione primæ partis liquet, acutior & minor erit angulo A C K. Deniq; ad punctum L inter B & G constitutum, adjungatur arcus G L.

Demonstratio 2 partis. Quandoquidem C B ut quadrans assumitur, igitur primùm basis obtusi C A B quadranti æquatur. Secundò C K quadrante C B minor est, C K autem est basis dati obtusi anguli, in triangulo A C K, juxta formam hujus propositionis, per fabricam seu præparationem 2 partis, ideoque latus ei subtensum fuerit quadrante quoque minus. Deinde C L major est quadrante C B, verùm C L est basis dati obtusi C A B, idque in triangulo ad hujus propositionis thesin descripto (nam angulus C A L obtusus ponitur, & angulus A L C acutior est angulo A B C, angulus autem A C L minus acutus quam A C B, neque tamen obtusus cum adhuc minor sit recto A C I, adeò ut A L C acutior sit angulo A C L) Quare basis obtusi etiam quadrante major esse potest.

Vt ad basin anguli minus acuti A C B deveniamus, sic arguo: Arcus A B aut quadrans est aut quadrante major, vel minor, si sit quadrans etiam basis anguli minus acuti quadrans fuerit: Simili modo cum A K minor sit quadrante A B, & A L major, cumque A K, & A L sint basis anguli minus acuti in proprio triangulo consideratæ per priorem partem, etiam reliqua pars demonstrata est. Conclusio. Si igitur sphæricum triangulum duos inæquales acutos angulos habeat & tertium obtusum, basis acutissimi quadrante minor est, reliqua autem latera quadranti æqualia, majora, aut minora esse possunt.

10 THEOREMA. 10 PROPOSITIO.


Si sphærici trianguli singula latera quadrante minora sint, anguli à duobus minimis lateribus subtensi acuti erunt is autem qui à maximo subtenditur acutus, rectus aut obtusus esse poterit.

Cum angulus à maximo latere subtensus acutus, rectus, vel etiam obtusus sit, demonstrationem pro triplici varietate trifariam dividimus.

Prima pars constat ex 7 propositione, nimirum si triangulum tres acutos habeat angulos, singula latera quadrāte minora esse, ideoque duos angulos à duobus minimis lateribus subtensis acutos esse, & tertium quoque à maximo latere subtensum.

Secunda pars patet in rectangulo triangulo cujus singula latera quadrante minora sunt, ut A B C, ubi A, & C anguli subtēsi à minimis lateribus A B, B C,

quæ crura sunt anguli recti B, acuti sunt per 2 propos. sed angulus B à tertio maximo latere A C subtensus, rectus est.



Tertia pars ita demonstratur, continuetur arcus C A usque ad D; & adjungatur arcus B D, ut tamen C D quadrante minor sit, & B D quam C A quoque minor: Eo posito, cum angulus C acutus sit, angulus D minor acuto angulo C A B, D quoque acutus erit. Quantū ad angulum D B C attinet qui à maximo latere D C subtenditur is necessariò obtusus fuerit, cum major sit recto A B C.

CONCLVSIO. Si igitur sphæricum triangulum singula latera quadrante minora habeat: anguli minimis lateribus oppositi acuti erunt, is autem qui maximo lateri subtenditur acutus, rectus, vel obtusus esse potest. Quod ostendere oportuit.

II THEOREMA. II PROPOSITIO.

Si sphæricum triangulum duo latera habeat singula quadrāte minora, tertium autem utrolibet majus: perpendicularis demissa ab angulo qui à duobus minimis comprehenditur intra triangulum cadet.

DATVM. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus utrumque latus tam A B, quam A C, quadrante minus sit, tertium autem B C majus utrolibet A B vel A C, & A D sit perpendicularis ab angulo C A B in maximum latus B C. QVAESITVM. A D intra triangulum A B C cadere demonstrandum est.

DEMONSTRATIO.

Tertium latus ut B C quadrāte minus, æquale aut majus est, sit primo minus, igitur cum A B C trianguli singula latera quadrante minora sint, duo anguli à minimis subtensi C, & A B C acuti erunt per 7 propos. & perpendicularis A D per 6 propos. cadet intra. Secundo tertium maximum latus quadrantem æquet, puta arcum C B continuatum in E trianguli A E C, ut tamen A E minus sit quadrante & minus quoque quam C E: erit A D basis acuti C, in rectangulo triangulo A D C quadrante minor per 2 propos. & A E D quem idem A D subtendit in rectangulo triangulo A D E per eandem propositionem acutus erit, ideoque A D inter utrumque intra triangulum cadet per 6 propos. Similis demonstratio fuerit de tertio maximo latere si quadrantem superet, videlicet productā C E in F trianguli A F C, ut tamen A F minor sit quadrante & minor quoque quam C F.



CONCLVSIO. Itaque si triangulum sphæricum duo habeat latera quadrante minora, tertium autem utrolibet horum majus: Perpendicularis ab angulo à minimis duobus comprehenso intra triangulum cadit. Quod ostendendum fuit.

12 THEOREMA. 12 PROPOSITIO.

Si sphærici trianguli duo latera separatim minora sint quadrante, tertium autem non minus: Duo anguli à minimis subtensi acuti sunt, angulus autem maximo lateri subtensus obtusus est.

Quia latus quod quadrante non minus assumitur, vel quadrante majus vel æquale est, ideò duo hujus theorematis paradigmata proponemus.


I EXEMPLUM.

DATUM. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus duo latera A B, A C utraque deficiant à quadrante, tertium autem quadrantem excedat.

QUÆSITUM. Demonstrandum est duos angulos A B C, A C B à minimis lateribus subtensos acutos esse, angulum autem C A B maximo lateri C B subtensum obtusum esse. PRAEPARATIO. Arcus A B, A C producantur ad D & E, ut A D, A E, quadrantes sint, tumque ex A tanquam polo, describtus sit arcus E D, & A F perpendicularis in C B, hæc A F intra triangulum A B C cadet per 14 propos. cum A B, A C separatim quadrante minores sint & C B major utrovis; Eadem perpendicularis A F continuetur donec E D secet in G.

DEMONSTRATIO.

Etenim cum E D ex A tanquam polo descriptus sit, angulus A E D rectus erit, & A G in E D incidens quoque quadrans fuerit per 2 consect. 1. propos. Sed A F pars est arcus A G, ideoq; A F quadrante minor est: cumque basis sit anguli A C F in rectangulo triangulo A F C, angulus A C F id est A C B acutus erit per 2 propos. Eodem argumento A B C acutus ostendetur. Angulum autē C A B obtusum esse ita demonstrabitur: Si E D



quadrantem tantum æquaret, triangulum A E D æquilaterum & æquiangulum foret, singula quippe latera quadranti æqualia, & tres angulos rectos haberet, ideoque maximus arcus in eo descriptus ad summum quadranti æqualis esse posset: C B autem quadrantem superat ex thesi, & E D hoc ipso adhuc major est: Verum hic E D amplitudinem anguli E A D definit per 2 definitionem. Quare E A D vel quod idem est C A B recto major est, ideoque obtusus.

2 EXEMPLUM.

Sit secundò C B quadrans, reliquis manentibus: Hoc posito, erunt duo anguli A C B, A B C acuti ut patet è demonstratione primi exempli, angulus autem C A B obtusus esse ita coarguitur: Si E D quadranti æqualis esset, triangulum A E D æquilaterum & æquiangulum foret, nimirum singulis lateribus quadrantem æquantibus, & singulis angulis rectis, ut maximus arcus in eo descriptus, videlicet ab angulo ad basin sibi oppositam quadrans sit, reliqui verò arcus qui ab angulo ducti non sunt, ut C B, necessariò minores fuerint; at C B non est minor quadrante ex thesi, quare E D major erit: Sed E D ma-

gnitudinem anguli E A D determinat per 2 definitionem, Igitur E A D vel quod idem est C A B recto major est, ideoque obtusus.

CONCLVSIO. Si igitur sphæricum triangulum habeat duo latera separatim quadrante minora, tertium autem latus non minus: Duo anguli à minimis lateribus subtensi acuti erunt, & angulus tertio lateri subtensus obtusus. Quod demonstrandum fuit.

13 THEOREMA. 13 PROPOSITIO.


SI sphærici trianguli unum latus quadranti æquale, alterum minus, tertium majus sit, duo anguli minimis lateribus subtensi acuti, angulus autem maximo lateri subtensus obtusus erit.

DATVM. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus latus A B quadrans sit, A C minus, B C majus. QVAESITVM. Angulos A B C, A C B, minimis lateribus subtensos acutos esse, angulum autem C A B maximo lateri C B subtensum obtusum esse, demonstrandum est.

PRAEPARATIO. Arcus A C producatur in D, ut A D quadrans sit: tum ex A tanquam polo, arcus B D describatur, & perpendicularis A E in C B demittatur.

DEMONSTRATIO.

Angulos A C B, A B C acutos esse hinc patet: Quia A B quadrans est, & angulus A E B rectus, E B quoque quadrans erit per 10 consf. 1. propositionis, & E C minor cum totus arcus C B semiperipheriâ minor sit per 1 defin. tum etiam A E minor est per cõs. 3. propositionis, nam cum recti anguli A E C basis A C minor sit, reliqui A E, C E separatim aut majores aut minores sunt, sed C E minor est, itaque etiam A E, & huic subtensus angulus C acutus per 2 propos. Cumque hic A E quadrante minor magnitudinem anguli A B E definiat per 2 def. angulus A B E vel A B C acutus erit.



Angulus autem C A B obtusus ita convincitur, Quia si D B quadrans esset, triangulum A D B æquilaterum & æquiangulum foret, cum singula latera quadrantes sint, & anguli omnes recti, adeò ut maximus angulus in eo descriptus duntaxat quadrans sit: C B autem ex dato major est, & D B hoc ipso adhuc major, qui amplitudinẽ anguli D A B determinat per 2 defin. Quare D A B vel quod idem est C A B recto major est, ideoque obtusus.

CONCLVSIO. Si igitur sphærici trianguli unum latus quadrans sit, alterum minus, tertium majus: Duo anguli minimis lateribus subtensi acuti erunt, sed angulus maximo lateri subtensus obtusus. Quod demonstrandum erat.

14 THEOREMA. 14 PROPOSITIO.

SPHÆRICI trianguli tres anguli, duobus rectis sunt majores.

DATVM. Trianguli sphærici A B C, tres sint anguli A, B, C.


QVAESITVM. Hos paritèr tribus rectis majores esse demonstrandum sit.

PRAEPA-

PRAEPARATIO. Duo quilibet arcus ut AB, AC continuentur donec se mutuò secent in D, deinde (cum ABD, ACD, semiperipheriæ sint per 3 cons. 1. propos.) sit axis AD, & trium arcuum AB, BC, CA chordæ AB, BC, CA: signetur quoque punctum E in chorda AB, unde EF ad angulos rectos in axem AD demittatur, deinde ab F, in chorda AC, recta FG, perpendicularis in axem AD erigatur, denique connectatur recta GE.

DEMONSTRATIO.

Cum enim GF perpendicularis sit in AF, GA major erit quam GF, nam quadratum GA æquatur quadratis GF, FA: eodem argumento EA major fuerit quam EF, ideoque GFE major erit angulo GAE, sed GFE est quoque amplitudo anguli sphærici GAB per defin. 2. (quia GFE est angulus à planis duarum maximarum peripheriarum comprehensus quarum segmenta sunt AB, AC) quare angulus sphæricus CAB major est plano CAB: consimili modo demonstrabitur angulus sphæricus ABC major plano angulo ABC, & sphæricus angulus BCA major plano BCA, & per consequens tres anguli sphærici tribus planis angulis majores sunt, tres verò plani anguli æquātur duobus rectis, tres igitur sphærici duobus rectis majores erunt.



CONCLVSIO. Itaque trianguli sphærici tres anguli simul sumpti, duobus rectis majores sunt.

CONSECTARIUM.

Ex his manifestum est, si trianguli sphærici duo anguli quadrante minores sint, tertium necessario majorem esse.

15 THEOREMA. 15 PROPOSITIO.

TRIANGULI sphærici maximus angulus maximo lateri subtenditur.

DATVM. Esto in sphærico triangulo ABC 14 propositionis, maximum latus AC, & AB minus, minimum autem BC.

QVAESITVM. Angulum ABC, à maximo latere AC subtensum, majorem esse alterutro reliquorum demonstrandum est.

DEMONSTRATIO.

Maximus arcus à maxima chorda subtenditur, quare chorda AC harum trium maxima fuerit: chordarum autem, quæ maximum planum angulum cōstituunt, arcus maximum angulum sphæricum quoq; efficiunt, ut è 14 propos. patet: sed duæ minimæ chordæ AB, AC maximum planum angulum comprehendunt, oppositum maximo lateri AC, quare duo minimi arcus AB, BC quoque maximum sphæricū angulum continebunt subtensum à maximo arcu AC. Eadem ratione ostendetur angulus ACB, qui à latere AB subtenditur, major angulo CAB, qui à BC subtenditur, quia AB ex hypothesi major est quam BC. CONCLVSIO. Quare trianguli sphærici majus latus majori angulo subtenditur. Quod demonstrare oportuit.

16 THEO-

16 THEOREMA. 16 PROPOSITIO.

Si sphærici rectanguli trianguli unius angulus acutus sit, arcus à reliquo obliquo angulo ad oppositum sibi latus ductus, minor quidem erit recti base, major autem base acuti. Sin verò obliquus alter obtusus sit, arcus à reliquo obliquo ad oppositum latus ductus, major erit base recti, minor autem base acuti.


1 *Exemplum ubi alter obliquus acutus sumitur.*

DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus, C acutus, & A D arcus à reliquo obliquo A, ad oppositum latus B C ductus sit.

QUAESITUM. Arcum A D minorem esse recti base A C, majorem verò quam A B basis acuti anguli C, demonstrandum est.

DEMONSTRATIO.

Cum enim angulus C, in rectangulo triangulo A B C, acutus ponatur, oppositum latus A B quadrante minus erit per consect. 2. propositionis: Ideòque angulus huic A B oppositus in rectangulo triangulo A B D, acutus erit, per 2 propositionem, & A D C obtusus per cons. 1. propositionis: Quare A D C trianguli angulus C, utpote acutus, minor erit obtuso A D C, inde per 15 propositionem, A D basis minoris anguli C, minor est quam A C basis majoris A D C. Præterea cum A B basis acuti C, quadrante minor sit, angulus A D B ab eo subtensus, in rectangulo triangulo A D B, acutus erit, per 2 propos. Et cum rectanguli trianguli A D B, rectus angulus B, major sit acuto A D B, erit per 15 propositionem, A D basis majoris anguli B, major quam A B basis minoris A D B.



2 *Exemplum ubi alter obliquus obtusus ponitur.*

DATUM. Angulus C obtusus sit, cætera autem ut supra.

QUAESITUM. Demonstrandum est quod A D major sit quam basis recti A C, minor autem quam A B basis obtusi C.

DEMONSTRATIO.

Quandoquidem angulus C, trianguli rectanguli A B C, obtusus sumitur, latus A B eum subtendens quadranté excedit, per cons. 2. propositionis: Ideoq; angulus A D B huic A B subtensus, in triangulo rectangulo A B D, obtusus erit, per 2 propos. & A D C acutus, per consect. 1. propositionis: Quare A D C trianguli, angulus C, utpote obtusus, acuto A D C major est, & per 15 propos. A D basis majoris anguli C, major est quam A C, basis minoris A D C. Præterea cum A B basis obtusi C, quadrante major sit, angulus A D B ei subtensus, in rectangulo triangulo A D B, obtusus erit per 2 propositionem: Et cum A D B rectanguli trianguli rectus angulus B, minor sit obtuso A D B, erit per 15 propos. A D basis minoris anguli B, minor quam A B basis majoris anguli

guli ADB. CONCLVSIO. Quare si sphærici rectanguli trianguli unus obliquus angulus acutus sit, &c.

17 THEOREMA. 17 PROPOSITIO.


SPHÆRICI trianguli duo quælibet latera tertio sunt majora.

SI triangulum sit æquilaterum, aut duo maxima latera æqualia habeat, demonstratione nullâ opus fuerit, ideoque de eo triangulo nobis res erit, cujus tertium latus maximum est.

DATVM. Esto ABC triangulum sphæricum, cujus latus BC utrolibet reliquorū majus sit. QVAESITVM. Duo quælibet latera tertio majora esse, demonstrandū est. PRAEPARATIO. Quandoquidem BC majus est quam AB, ab arcu BC auferatur arcus BD æqualis ipsi AB, & adjungatur AD: Deinde BA, BD, continuentur donec se intersecent in E.

DEMONSTRATIO.

Cum latus BC maximum sit, hoc altero reliquorum auctum, tertio multò majus erit, cumque illud demonstrationis non indigeat, solummodò ostendemus AC & AB simul majora esse quam BC, quamobrē sic arguo: BAE & BDE semiperipheriæ sint per 3 consſ. 1. propositionis, cumq; EA, ED æquales sint (nam AB & BD æquātur) etiā angulus EAD angulo EDA æqualis erit: Et angulus EAC, detractatus de angulo EAD, relinquet CAD angulum minorem toto EAD, ideoque minorem quoq; angulo EDA, vel CDA, quare per 15 propos. AC basis majoris anguli CDA, major erit quam CD basis minoris: & quantò AC major est quam CD, tantò etiam CA, AB simul majora erunt ipsā CB.



CONSECTARIVM.

Vnde manifestum est, si duo trianguli latera simul sumpta quadrantem non excesserint, tertium quadrante minus esse. Sin verò eorum excessus quadrante non sit minor, tertium latus quadrante majus esse.

18 THEOREMA. 18 PROPOSITIO.

SPHÆRICI trianguli tria latera integrâ peripheriâ minora sunt.


DATVM. Esto sphæricum triangulum ABC. QVAESITVM. Tria latera integra peripheria minora esse demonstrandum est.

PRAEPARATIO. Duo enim quælibet latera, ut AB, AC, producantur, donec sese intersecent in D.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Singuli arcus ABD, ACD, per 3 conſ. 1 propoſitionis, ſemiperipheria ſunt, ideoq́, ſimul integram peripheriam æquant: duo autem arcus AB, AC ſimul, peripheriæ, adfectæ multâ arcuum BD, DC, æquales ſunt: Si igitur CB, æquaretur arcubus DB, DC, tria trianguli latera peripheriam æquarent: verum CB trianguli CBD, minor eſt reliquis duobus BD, CD, per 16 propoſitionem, Quare tria latera trianguli ABC, ſimul ſumpta minora ſunt integrâ peripheriâ.



CONCLVSIO. Quamobrem tria ſphærici trianguli latera ſimul ſumpta integrâ peripheriâ minora ſunt. Quod demonſtrare oportuit.

CONSECTARIUM.


Hinc perſpicuum eſt, Si duo trianguli latera non ſint minora tribus quadrantibus, tertium minus eſſe quadrante circularis perimetri.

19 THEOREMA. 19 PROPOSITIO.

*ſeu totus.

SINVS * recti media proportionalis eſt inter propoſiti arcus tangentem, & tangentem arcus differentiæ.

DATVM. Eſto ſemicirculi ABC centrum D, & BC quadrans, in quo ſumatur arcus CE, cujus tangens CF, & BE arcus differentiæ, hujus tangẽs BG, CD autem ſinus recti. QVAESITVM. Demonſtrandum eſt DC medio loco proportionalem eſſe inter CF & BG.



DEMONSTRATIO.

Duo trianguli CFD, BDG rectos habent angulos ad C & B, & angulus FDC, alterno angulo DGB æqualis eſt, ideoq́ue ipſa triangula inter ſe ſimilia, & crura æqualium angulorum proportionalia ſunt, hoc eſt:

Vt CF ad CD, ita DB ad BG:

Sed CD, DB æqualia ſunt, erit igitur

Vt CF ad CD, ita CD ad BG.

CONCLVSIO. Itaque ſinus recti eſt media proportionalis inter dati arcus tangentem, & tangentem arcus differentiæ ejuſdem. Quòd demonſtrandũ fuit.

20 THEOREMA. 20 PROPOSITIO.

TANGENTES duorum arcuum, reciprocè proportionales ſunt tangentibus arcuum differentiæ eorundem.

DATVM. In diagrammate 19 propoſitionis, ducatur recta à D ad punctum H in recta CF, arcum BC ſecans in I: & BG continuetur ad K punctum rectæ DH: His poſitis, erunt duorum arcuum CI, CE, tangentes CH, CF, & arcuum differentiæ tangentes BK, BG.

QVAESITVM. Duorum arcuum CI, CE, tangentes CH, CF, reciprocè

procè proportionales esse arcuum differentiæ tangentibus BG, BK: id est, quemadmodum CH ad BG: ita CF ad BK.


DEMONSTRATIO.

Cum enim DC per 18 propos. media proportionalis sit inter CF & BG: & eodem argumento etiam DC media proportionalis sit inter CH & BK, quadratum ex DC æquatur rectangulo CF in BG: Verùm idem quadratum æquatur quoque rectangulo CH, BK, ideoque duo hæc rectangula inter se æqualia sunt, & latera reciprocè proportionalia, hoc est. Quemadmodum CH ad CF, ita BG ad BK. CONCLUSIO. Itaque tangentes duorum arcuum reciprocè proportionales sunt tangentibus arcuum differentiæ eorundem. Quod demonstrandum fuit.

21 THEOREMA. 21 PROPOSITIO.

SINUS recti media proportionalis est, inter propositi arcus sinum & secantem arcus differentiæ.

DATUM. Esto ABC semicirculi centrum D, & BC quadrans, in quo assumpti arcus BE, sinus sit FE: Et CE arcus differentiæ, hujus secans est DG, & CD sinus recti seu totus. QUAESITUM. Demonstrandum est CD mediam proportionalem esse inter FE sinum arcus BE & DG secantē arcus differētiæ EC.



DEMONSTRATIO.

Triangulorum GDC, DEF, anguli C & F recti sunt, angulus autem GDC, angulo DEF æqualis est, quare hæc duo triangula similia erunt, & crura æqualium angulorum proportionalia, id est

Quemadmodum FE ad ED, ita DC ad DG:
Sed DC & ED æquantur, itaque
Quemadmodum FE ad DC, ita DC ad DG.
Et DC media proportionalis erit inter FE & DG.

CONCLUSIO. Itaque sinus recti seu totus media proportionalis est, inter propositi arcus sinum & ejusdem arcus differentiæ secantem. Quod demonstrare propositum erat.

CONSECTARIUM.

Manifestum etiam est sinum recti, medio loco proportionalem esse inter sinum arcus differentiæ & propositi arcus secantem: Etenim si CE ut propositus assumatur, hujus arcus differentiæ fuerit BE, dicimus itaque DC sinum recti, mediam proportionalem esse inter FE sinum arcus differentiæ BE, & DG secantem propositi EC.

22 THEOREMA. 22 PROPOSITIO.

SINUS duorum arcuum, reciprocè proportionales sunt secantibus arcuum differentiæ eorundem.

DATVM. In catagraphe 21 propositionis, agatur recta à D ad H punctum in recta C G, quæ arcum B C secet in I: Deinde perpendicularis I K in rectam D B demittatur: Duorum itaque arcuum B I, B E, sinus sunt K I, F E, & arcuum differentiæ I C, E C, secantes D G, D H.

QVAESITVM. Demonstrandum est horum duorum arcuum B I, B E, sinus K I, F E reciprocè proportionales esse suorum arcuum differentiæ secantibus, hoc est, ut K I, ad D G, ita F E, ad D H.

DEMONSTRATIO.

Etenim D C per 21 propos. est media proportionalis inter E F & D G: & eodem argumento D C quoque analogiâ media est inter extremas K I, D H, ut quadratum ex D C, æquale sit rectangulo comprehenso ab E F, D G, atque idem quadratum æquatur rectangulo K I in D H, ideoque ipsa rectangula inter se æqualia erunt, & latera reciprocè proportionalia: id est, ut K I ad D G, ita F E ad D H. CONCLVSIO. Duorum itaque arcuum sinus, reciprocè proportionales sunt secantibus arcuum differentiæ eorundem.

CONSECTARIVM.

Hinc evidens est, quod duorum arcuum differentiæ sinus quoque reciprocè proportionales sint secantibus propositorum arcuum, nam si K I & F E intelligantur ut sinus arcuum differentiæ I C, E C, dicimus hos etiam reciprocè proportionales esse B I, B E, initio positorum arcuum secantibus D H, D G: hoc est ut K I ad D G, Ita F E ad D H. Quid ostendendum erat.

SECVN-

SECVNDVM TMEMA 9 THEOREMATVM:

VNDE RATIO PRAGMATIÆ PROBLEMATVM TERTII TMEMATIS DERIVATVR.

23 THEOREMA. 23 PROPOSITIO.

In sphærico rectangulo triangulo est ut sinus recti ad sinum lateris oppositi: Ita sinus alterutrius obliqui ad sinum lateris sibi oppositi.

Duo recti anguli crura, quæ in hoc theoremate distingui necesse est, triplici modo variari possunt, aut enim singula quadrante minora, aut singula majora, aut denique hoc majus illud minus est, quorum tria diversa paradigmata exhibebimus.

NOTA.

Quia non nemo mirari posset, cur tantum hos tres casus recenseamus ut singula crura, paritèr aut minora, aut paritèr majora, aut unum majus alterum minus sit, non factâ mentione crurum quadrantes æquantium, hujus rationem paucis reddemus. Scitu dignum est, si trianguli unum aut etiam alterum latus quadrantes sint, investigatione ignoratorum terminorum opus non esse, nam anguli (hâc thesi observatâ) à quadrantibus subtensi semper recti sunt: Præterea tertium latus, & tertius angulus eâdem graduum multitudine definiuntur, ut ad istorum inventionem præcepta describere supervacuum sit, eadem ratio quoq; fuerit trianguli æquilateri quando singula latera quadrantes erunt, universi enim anguli recti sunt.


Quæ hic annotavimus, omnibus sequentibus propositionibus communia esse intelliguntor ubi similia his contingent, neque id solum in iis triangulis in quibus duo, aut tria latera quadrantes fuerint, verum etiam in iis quando trianguli duo aut tres anguli recti erunt, ista enim his similia sunt.

1 Exemplum cum singula recti anguli crura à quadrante deficiunt.

Datvm. Esto ABCD maximus sphæræ circulus, item alter maximus AEFC, quorum communis sectio sit axis AC: Et G polus circuli ABCD, à quo in peripheriam ABCD ducatur arcus GH, peripheriam AEFC intersecans in E. Tum triangulum rectangulum EHA habet singula recti anguli EHA, crura EH, HA, quadrante minora.

Qvaesitvm. Sinum recti EHA, ad sinum AE lateris recto oppositi eandem rationem habere, quam sinus obliqui anguli EAH ad sinum oppositi lateris EH, demonstrandum esto.

Praeparatio. Ad punctum I quadrantem ab A remotum, adjungatur arcus GI, qui peripheriam AEFC secet in F, unde AF quoque qua-



drans erit: deinde demittantur in planũ subjecti circuli A B C D duæ perpendiculares F K, E L, & F K quidẽ ut sinus arcus F I vel quod idem est anguli F H I hoc est E A H: E L autem tanquam sinus arcus E H nempe lateris angulo E A H oppositi: Hinc in plano circuli A E F C duę perpẽdiculares F M, E N in axem A C demissæ sunto, F M ut sinus arcus A F hoc est anguli recti, E N ut sinus arcus A E qui est recti basis, denique ducantur rectæ K M, L N: Cum igitur F M, E N, F K, E L, eodem ordine sint quatuor in hâc propositione expositi termini nimirum, quatuor sinus trianguli E H A: Nam F M est sinus recti, E N sinus lateris recto oppositi, F K sinus obliqui anguli, & E L sinus lateris dicto obliquo subtensi, demonstrandum est (ut hoc ad pleniorem quæsiti explicationem addam) F M ad E N eandem habere rationem, quam F K ad E L.

DEMONSTRATIO.

Cum enim rectæ F K, E L in planum circuli A B C D normalitèr insistant, ideoque inter se parallelæ sint, etiam ipsa triangula F K M, E L N, eidem circulo A B C D ad angulos rectos insistent, & bases K M, L N parallelæ erunt, & angulus E N L angulo F M K æqualis: Cumque anguli E L N, E K M recti sint, etiam tertius E, tertio F æqualis erit, & ipsa triangula similia, ideoque crura æqualium angulorum proportionalia habebunt, hoc est ut F M ad E N, ita F K ad E L, cumque hi sint iidem illi in theoremate expositi termini, ut fusius in præparatione ostendimus, erit ut sinus recti F M, ad E N sinum lateris recto oppositi ita F K obliqui anguli sinus, ad F L sinum lateris sibi subtensi.

2 *Exemplum cum singula recti anguli crura quadrantem superant.*

DATVM. Sphærici trianguli A B C angulus B rectus sit, singula autem recti crura quadrante majora. QVAESITVM. Sinum recti, ad sinum lateris oppositi A C, eandem habere rationem, quam sinum obliqui anguli A C B, ad sinum sibi subtensi arcus A B, demonstrandum esto.

PRAEPARATIO. Vterque arcus B A, B C, continuentur donec sese intersecent in D.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Anguli D & B à semiperipheriis DAB, DCB comprehensi, æquales sunt per 3 consect. 1 propositionis, sed B angulus rectus est, quare D quoque rectus erit. Præterea cùm tam AB, quam BC quadrante major sit, AD, CD erunt minores. Trianguli igitur ADC angulus D rectus est, & utraque recti crura AD, DC quadrante minora, unde per primum exemplum hujus propositionis,



Quemadmodum sinus recti anguli D,
Ad sinum oppositi lateris AC:
Ita sinus obliqui anguli ACD,
Ad sinum sibi subtensi lateris AD.

Sinus autem anguli D, idem est qui sinus anguli B, cum uterque rectus sit per 3 consect. 1 propositionis: Et sinus anguli ACD ad angulum ACB quoque refertur per 5 consect. 1 propositionis: Denique sinus AD etiam arcui AB communis est per 2 definitionem de fabrica sinuum, ideoque erit

Sinus recti anguli B,
Ad sinum lateris oppositi AC:
Quemadmodum sinus obliqui anguli ACB,
Ad sinum sibi subtensi lateris AB.

3 *Exemplum cum alterum recti crus quadrante minus, alterum verò majus fuerit.*

Datum. Esto ABC secundi exempli sphæricum triangulum, cujus angulus C rectus, & unum recti anguli crus ut AC quadrante minus, alterum ut CB majus sit. Quæsitum. Sinum recti ACB, ad sinum lateris oppositi AB, eandem rationem habere, quam sinum obliqui anguli B, ad sinum lateris sibi subtensi AC, demonstrandum esto.

Praeparatio. Arcus BA, BC continuati sese intersecent in D.

DEMONSTRATIO.

DAB & DCB semiperipheriæ sunt per 3 consect. 1 propositionis: Et quia AC recti anguli crus quadrante minus est, reliquum autem BC majus, etiam arcus BC rectum angulum subtendens major fuerit per 3 propositionem, & cum singuli arcus AB, BC quadranti præstent, reliqui AD, CD deficient: Et angulus ACB rectus, angulum ACD rectum efficiet per 5 consect. 1 propositionis: Trianguli igitur rectanguli ACD, angulus C rectus, & singula recti crura quadrante minora sunt, unde per primum exemplum ad hanc analogiam devenitur,

Quemadmodum sinus recti anguli ACD,
Ad sinum oppositi lateris AD:
Ita sinus obliqui anguli D,
Ad sinum sibi subtensi lateris AC.

Sed sinus ACD, etiam sinus est anguli ACB, cum uterque rectus sit per 5 consect. 1 propositionis: Et sinus lateris recto oppositi AD, etiam ad AB refertur per 2 defin. de fabrica sinuum: Denique sinus anguli D, idem est qui anguli B per 3 consect. 1 propositionis,

Quemadmodum igitur ſinus recti A C B,
Ad ſinum lateris recto oppoſiti A B,
Ita ſinus obliqui anguli B,
Ad ſinum ſibi ſubtenſi lateris A C.

CONCLVSIO. Itaque, in rectangulo ſphærico triangulo, quemadmodum ſinus recti, ad ſinum lateris recto ſubtenſi, ita ſinus obliqui anguli, ad ſinum lateris oppoſiti. Quod demonſtrandum fuit.


24 THEOREMA. 24 PROPOSITIO.

Quemadmodum trianguli ſphærici ſinus lateris dextri, ad ſiniſtri lateris ſinum, ita ſiniſtri anguli ſinus, ad ſinum anguli dextri.

Perpendicularis ab angulo in baſin demiſſus, aut intra, aut extra triangulum, aut in latus cadit. Si in latus cadat, triangulum erit rectangulum, ideoq; eo caſu propoſitionis hujus veritas ex alternatione 23 propoſitionis manifeſta eſt, cum autem intra aut extra cadet, duo ſequentia paradigmata idem coarguent.

1 *Exemplum ubi perpendicularis intra triangulum ſtatuitur.*

DATVM. Eſto A B C ſphæricum triangulum non rectangulum hujus, latus dextrum A B, ſiniſtrum A C, angulus ſiniſter C, & dexter B. QVAESITVM. Rationem dextri lateris A B, ad latus ſiniſtrum A C, eandem eſſe quæ ſinus ſiniſtri anguli C, ad ſinum anguli dextri B, demonſtrandum eſto.



PRAEPARATIO. Arcus A D perpendicularis in C B, intra triangulum A B C cadat, ipſúmque in duo rectangula triangula A D B, A D C diſpeſcat.

DEMONSTRATIO.

Propter rectum angulum D in triangulo A D B, erit per alternationem 23 propoſitionis,
Analogia ſinus arcus recto ſubtenſi A B,
Ad ſinum arcus A D,
Eadem quæ ſinus recti anguli A D B,
Ad ſinum anguli ab arcu A D ſubtenſi, hoc eſt anguli B.

Secundò, quia trianguli A D C angulus D etiam rectus eſt, erit quoque alternando 23 propoſitionem,
Quemadmodum ſinus recto ſubtenſi A C,
Ad ſinum A D,
Ita ſinus recti anguli A D C,
Ad ſinum anguli quem arcus A D ſubtendit, id eſt anguli C.

Sinus itaque iſtorum terminorum proportionales ſunt,
A B, A D: D, B,
A C, A D: D, C.


Quamobrem rectangulum à ſinibus A D & D comprehenſum, æquatur rectangulo ſinuum A B & B, item A C & C, atq; rectangula ſinuum A B & B, item

item A C & C æqualia erunt, & latera reciprocè proportionalia, id est,
Quemadmodum sinus A B,
Ad sinum arcus A C:
Ita sinus anguli C,
Ad sinum anguli B.
Hoc est:
Quemadmodum sinus lateris dextri A B,
Ad sinum sinistri lateris A C:
Ita sinus anguli sinistri C,
Ad sinum dextri anguli B.

2 *Exemplum cum perpendicularis extra triangulum cadit.*

DATVM. Sphærici obliquanguli trianguli A B C, dextrum latus sit A B, sinistrum A C, angulus sinister C, dexter B.

QVAESITVM. Demonstrandum est sinum dextri lateris A B, & sinistri lateris A C, sinibus sinistri anguli C, & dextri B proportionales esse.



PRAEPARATIO. Perpendicularis A D, extra triangulum A B C, in continuatum C B incidens, duo triangula rectangula faciat A C D, A B D.

DEMONSTRATIO.

Cum angulus D, trianguli A D C, rectus sit, alternando rationem 23 propositionis, erit
Vt sinus lateris recto subtensi A C,
Ad sinum arcus A D:
Ita sinus recti anguli D,
Ad sinum anguli ab A D subtensi, id est anguli C.

Secundò, quoniam trianguli A D B angulus D rectus est, erit quoque alternando rationem 23 propositionis,
Vt sinus lateris recto subtensi A B,
Ad sinum arcus A D:
Ita sinus recti D,
Ad sinum anguli ab A B subtensi, id est anguli B.

Et sinus istorum terminorum analogi erunt,
A C, A D: D, C.
A B, A D: D, B.

Vnde, quemadmodum in primo paradigmate, tandem concludes
Vt sinus dextri lateris A B,
Ad sinum sinistri lateris A C:
Ita sinus sinistri anguli C,
Ad sinum dextri anguli B.

CONCLVSIO. Itaque, quemadmodum in sphærico triangulo sinus lateris dextri ad sinum lateris sinistri, ita sinistri anguli sinus ad sinum anguli dextri. Vel quod idem est, sinus arcuum sinibus angulorum quos subtendunt proportionales sunt. Quod erat propositum.

25 THEOREMA. 25 PROPOSITIO.


In sphærico rectangulo triangulo, sinus recti, ad sinum arcus differentiæ cruris alterius, eandem habet rationem, quam sinus arcus differentiæ reliqui cruris, ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi.

Crura recti anguli paritèr quadrante majora, aut paritèr minora sunt, aut demum hoc majus illud minus, ideoque hujus diversitatis tria paradigmata ob oculos ponemus.

1 *Exemplum cum crura anguli recti paritèr quadrante minora fuerint.*

DATUM. Esto sphæricum triangulum ABC, cujus angulus B rectus, & singula recti anguli crura AB, BC quadrante minora.

QUÆSITUM. Demonstrandum est, sinum recti, ad sinum arcus differentiæ CB unius lateris circa rectum, illam rationem habere, quam sinus arcus differentiæ reliqui cruris AB, ad sinum arcus differentiæ lateris AC rectum subtendentis.



PRAEPARATIO. Quia utrumque recti crus, tam AB quam BC, à quadrante deficit, basis recti quoque quadrante minor erit per 3 propositionem. Continuentur autem arcus CA, BA, CB donec quadrantes sint, & quidem CA in D, CB in E, BA in F, denique ducatur arcus ab E per punctum D ut quadrans sit, is necessariò terminabitur in F per 4 consect. 1 propositionis.

DEMONSTRATIO.

Quia angulus FBC rectus, & tam FE, quam FB quadrans est, angulus FEC rectus erit per 2 consect. 1 propositionis. Deinde cum CE quadrans sit, & arcus CD in EF ductus sit, is in arcum EF normalis est, ideoq; angulus CDF rectus, & per 23 propositionem erit

Quemadmodum sinus recti ADF,
Ad sinum lateris recto oppositi AF:
Ita sinus anguli obliqui F,
Ad sinum lateris sibi subtensi AD.

Sed sinus arcus BE, est sinus anguli F per 2 definitionem, quare

Quemadmodum sinus recti ADF,
Ad sinum lateris recto subtensi AF:
Ita sinus arcus BE,
Ad sinum arcus AD.

AF autem est arcus differentiæ expositi AB, & BE arcus differentiæ propositi CB, denique AD est arcus differentiæ expositi AC, Itaque

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum arcus differentiæ ipsius AB:
Ita sinus arcus differentiæ expositi CB,
Ad sinum arcus differentiæ ipsius AC.

Et alter-

Et alternè,

Quemadmodum ſinus recti,
Ad ſinum arcus differentiæ unius cruris C B:
Ita ſinus arcus differentiæ reliqui cruris A B,
Ad ſinum lateris recto ſubtenſi A C.


2 *Exemplum ubi ſingula recti anguli crura quadrantem ſuperant.*

Datum. Rectanguli ſphærici trianguli A B C, angulus B rectus, & utrumque crus A B, C B, quadrante majus ſit.

Quæsitum. Sinum recti, & ſinum arcus differentiæ cruris alterius recti anguli ut C B, ſinui arcus differentiæ reliqui cruris A B, & ſinui complementi lateris A C recto ſubtenſi proportionales eſſe, demonſtrandum eſto.

Praeparatio. B A & B C crura recti producantur donec ſeſe interſecent in D.

DEMONSTRATIO.



Semiperipheriæ D A B, D C B æquales continent angulos ad D & B per 3 cōſect. 1 propoſitionis: cumq; B ex theſi rectus ſit, D quoque rectus erit, & quia tam A B quam B C, quadranti præſtat, uterque arcus A D, C D à quadrante deficiet. Trianguli igitur rectanguli A D C, angulus D rectus eſt, & utrumvis recti crus quadrante minus, unde per 1 exemplū hujus propoſitionis

Quemadmodum ſinus recti,
Ad ſinum arcus differentiæ ipſius C D:
Ita ſinus arcus differentiæ ipſius A D,
Ad ſinum arcus differentiæ expoſiti A C.

Sinus autem arcus differentiæ horum C D & A D, iidem ſunt cum ſinibus arcuum differentiæ expoſitorum C B, A B, per 2 definitionem, de fabrica ſinuum, quare

Quemadmodum ſinus recti,
Ad ſinum arcus differentiæ cruris C D:
Ita ſinus arcus differentiæ reliqui cruris A B,
Ad ſinum arcus differentiæ lateris recto ſubtenſi A C.

3 *Exemplum ubi alterum recti anguli crus quadrante majus, alterum minus fuerit.*

Datum. Eſto A B C in diagrammate ſecundi paradigmatis ſphæricum triangulum, cujus angulus C rectus, & recti anguli crus A C quadrante minus, reliquum verò C B majus ſit. Quæsitum. Demonſtrandum eſt ſinum recti, ad ſinum arcus differentiæ alterius cruris recti anguli ut C B, eandem rationem habere, quam ſinum arcus differentiæ reliqui cruris A C, ad ſinum arcus differentiæ lateris recto ſubtenſi A B.

Praeparatio. Arcus A C, C B continuati ſeſe interſecent in D.

DEMONSTRATIO.

D A B, & D C B ſemiperipheriæ ſunt per 3 cōſect. 1 propoſitionis: Cumq; alterum

alterum recti crus A C à quadrante deficiat, alterum autem B C excedat, etiam basis A B quadrante major erit per 3 propositionem, & quia A B, B C singuli quadrante majores sunt, A D, C D, sigillatim minores erunt: cumque A C B rectus sit, angulus A C D ei deinceps rectus erit per 5 consect. 1 propositionis: Ideoque trianguli rectanguli A C D crura recti anguli C, sigillatim quadrante minora sunt, & per 1 exemplum,

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum arcus differentiæ ipsius C D:
Ita sinus arcus differentiæ expositi A C,
Ad sinum arcus differentiæ ipsius A D.

Sed sinus arcus differẽtiæ horum C D & A D, sunt etiã sinus arcuum differentiæ expositorum C B & A B, per 2 definitionem de fabrica sinuum, erit igitur

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum arcus differentiæ alterius recti anguli cruris C B:
Ita sinus arcus differentiæ reliqui recti cruris A C,
Ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi A B.

CONCLVSIO. Itaque in sphærico rectangulo triangulo, ut sinus anguli recti, ad sinum arcus differentiæ alterius cruris, ita sinus cruris reliqui ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi. Quod fuit propositum.

26 THEOREMA. 26 PROPOSITIO.


In sphærico rectangulo triangulo, sinus obliqui anguli, ad sinum recti eandem habet rationem, quam sinus anguli differentiæ reliqui obliqui, ad sinum arcus differentiæ lateris huic obliquo subtensi.

Quia obliqui anguli paritèr acuti, aut paritèr obtusi, aut unus acutus alter obtusus est, tribus diagrammatis hoc theorema explicabimus.

1 *Exemplum ubi uterque obliquus angulus, acutus fuerit.*

DATVM. Esto sphærici trianguli A B C, angulus A B C rectus, & reliqui acuti. QVAESITVM. Demonstrandum est sinum obliqui anguli C A B, & sinum recti, sinibus anguli differentiæ obliqui C, & arcus differentiæ lateris oppositi nempe A B, proportionales esse. PRAEPARATIO. Quia anguli C A B & C acuti sunt ex thesi, latera C B, A B iis subtensa sigillatim quadrante minora erunt, per consect. 2 propositionis, cumque angulus A B C rectus sit, latus eum subtendens à quadrante deficiet per 3 propositionem, producantur igitur arcus C A in D, C B in E, B A in F, ut C D, C E, B F quadrantes sint. Denique è polo C describatur arcus ab E in D donec continuatæ B A occurrat.

DEMONSTRATIO.



Etenim cum angulus A B C rectus sit, F B perpendicularis erit in C E, & F E quoq; in eundem perpendicularis fuerit, nam C D, C E quadrantes sunt, ideoque angulus F D C id est F D A rectus est per 2 consect. 1 propositionis. Erit itaq; alternando invertendoque rationes 23 propositione expositas,

Vt sinus obliqui anguli F A D,
Ad sinum recti F D A:
Ita sinus lateris obliquum angulum subtendentis F D,
Ad sinum lateris recto oppositi F A.

At angulus C A B æquatur angulo ad verticem F A D per 6 consect. 1 propositionis, angulus autem A B C rectus ex thesi, æquatur recto F D A, & F D est arcus differentiæ anguli C, denique F A arcus differentiæ ipsius A B, quamobrem

Vt sinus obliqui anguli C A B,
Ad sinum recti:
Ita sinus anguli differentiæ reliqui obliqui C,
Ad sinum arcus differentiæ lateris huic subtensi A B.

2 *Exemplum ubi uterque obliquus, obtusus fuerit.*

Datum. Sphærici trianguli A B C angulus B rectus, & reliqui obtusi sint.
Quaesitum. Sinum obliqui anguli C A B, ad sinum recti B, eandem habere rationem, quam sinum anguli differētię reliqui obliqui A C B, ad sinum arcus differentiæ lateris sibi subtensi A B, demonstrandum esto.
Praeparatio. B A, B C, continuati sese intersecent in D.

DEMONSTRATIO.



Semiperipheriæ D A B, D B C, æquales continent angulos ad D, & B, per 3 consect. 1 propositionis, & quia B rectus est, D quoque rectus erit. Præterea cum duo anguli B A C, B C A, obtusi sint, anguli deinceps D A C, D C A, acuti erunt per 5 consect. 1 propositionis: Et cum rectanguli trianguli A D C, angulus D rectus sit, & D A C, D C A acuti, erint per 1 paradigma

Quemadmodum sinus obliqui anguli C A D,
Ad sinum recti D:
Ita sinus anguli differentiæ alterius obliqui A C D,
Ad sinum arcus differentiæ lateris sibi subtensi A D.

At sinus anguli C A D, quoq; sinus est anguli C A B, per 5 consect. 1 propositionis: Sinus anguli D, idem est sinus anguli B, per 3 consect. 1 propositionis: Et sinus anguli differentiæ ipsius A C D, etiam sinus est anguli differentiæ ipsius A C B, per citatum 3 consectarium: denique sinus arcus differentiæ A D ad expositum latus A B quoque refertur, per 2 defin. de fabrica sinuum, itaque

Quemadmodum sinus obliqui anguli C A B,
Ad sinum recti B:
Ita sinus anguli differentiæ reliqui obliqui A C B,
Ad sinum arcus differentiæ oppositi lateris A B.

3 *Exemplum ubi unus acutus, alter obtusus assumitur.*

Datum. Trianguli sphærici A B C, angulus B rectus, C A B acutus, A C B obtusus esto. Quaesitum. Sinum alterutrius obliqui anguli ut A, & sinum recti A B C, item sinum anguli differentiæ reliqui obliqui A C B, & sinum arcus differentiæ lateris huic subtensi A B, in eâdem analogiâ esse demonstran-

monstrandum esto. PRAEPARATIO. AB, AC producti sese intersecanto in D.

DEMONSTRATIO.



Cum ABD, ACD, semiperipheriæ sint, angulus D, angulo A æquabitur, at A acutus est, acutus igitur & D. Et quia BCA obtusus est, angulus BCD ei deinceps acutus erit, ABC autem rectus etiam CBD rectum efficiet, per 5 consect. 1 propositionis. Itaque cum rectanguli trianguli BCD, angulus CBD rectus, D & BCD acuti sint, erit per 1 paradigma,

Quemadmodum sinus obliqui anguli D,
Ad sinum recti CBD:
Ita sinus anguli differentiæ reliqui obliqui BCD,
Ad sinum arcus differentiæ sibi subtensi lateris BD.

Sed sinus anguli D, quoque sinus est anguli A, quia inter se æquantur per 3 consect. 1 propositionis: Et sinus anguli recti CBD, idem est sinus recti ABC: item sinus anguli BCD, ad angulum ACB quoque refertur, per citatum 3 consectarium: Denique sinus arcus BD etiam arcui AB communis est per 2 defin. de fabrica sinuum, Quamobrem

Vt sinus obliqui anguli A,
Ad sinum recti ABC:
Ita sinus anguli differentiæ reliqui obliqui ACB,
Ad sinum arcus differentiæ lateris sibi subtensi AB.

CONCLUSIO. Itaque in sphærico rectãgulo triangulo, Quemadmodum sinus obliqui anguli, ad sinum recti: Ita sinus anguli differentiæ alterius obliqui, ad sinum arcus differentiæ lateris oppositi. Quod fuit propositum.

27 THEOREMA. 27 PROPOSITIO.

IN sphærico rectangulo triangulo, sinus recti, ad sinum cruris alterius eandem habet rationem, quam tangẽs obliqui anguli qui dicto cruri adjacet, ad tangentem reliqui cruris anguli recti.

Quia utraque recti anguli crura, sigillatim quadrante minora, aut majora sunt, aut demum hoc majus illud minus, tria hujus rei exempla dabimus.


1 *Exemplum ubi singula recti anguli crura quadrante minora fuerint.*

DATUM. Esto ABCD maximus sphæræ circulus, in quem alter maximus circulus AEFC perpendicularis sit, & horum cõmunis sectio axis AC: Deinde à G, polo peripheriæ ABCD, in ipsam ABCD demissus sit arcus GH, arcum AEFC secans in E. His assertis, triangulum EHA rectangulum, unumquodque crus recti anguli quadrante (sic enim sumo) minus habet, & reliquos angulos EAH, AEH (sic enim pono) obliquos.

QUAESITUM. Sinum recti, & sinum alterius cruris recti anguli, ut AH, tangentibus obliqui anguli EAH, qui cruri AH adjacet, & reliqui cruris EH proportionales esse, demonstrandum esto.

PRÆPA-

PRÆPARATIO. Signetur punctum I, ut A I quadrans sit, & connectatur arcus G I, hic peripheriam A F C intersecans in F, arcum A F quadrantem facit. Hinc duæ infinitæ perpendiculares I K, H L, erigantur in plano circuli A B C D, tumq; à centro M in circulo AFC, recta MF producta occurrat infinitæ I K in K, ut I K tangens sit arcus IF hoc est anguli E A H: Et in eodem circulo AEFC, recta ME producta, occurrat infinitæ H L, in puncto L: ut H L sit tangēs arcus H E: Deinde HN perpendicularis sit in AC utpote sinus arcus H A, & connectatur L N, deniq; etiam M I tanquam sinus recti. M I, N H, I K, L H eo ordine sunt quatuor termini, trianguli E A H, in theoremate propositi, nam M I est sinus recti, N H sinus lateris A H, quod crus est recti, & I K tangens obliqui anguli E A H, qui adjacet dicto cruri A H, denique L H tangens reliqui cruris E H, ostendendum est (ut ad pleniorem quæsiti explicationem istud addam) M I, N H, I K, L H proportionales esse.



DEMONSTRATIO.

Punctum L ex præparatione est plano circuli AEFC infinitè producto, itaque etiam N L erit in eodem plano circuli A E F C. Præterea cum HN, I M, parallelæ sint, nec non L H, K I, utpote perpendiculares in idem planum A B C D, tertium latus L N, tertio K M, cum in eodem sint plano, parallelum erit, ideoque ipsa triangula L H N, K I M similia, & latera similter sita erunt proportionalia, hoc est,

Quemadmodum M I, ad N H: ita I K ad L H.

At ex præparatione constat M I esse sinum recti, N H sinum lateris A H, quod crus est recti anguli, & I K tangentem obliqui anguli E A H, qui adjacet lateri A H, denique L H tangentem reliqui recti cruris E H. Itaque


Quemadmodum M I sinus anguli recti,
Ad N H sinum alterius recti cruris A H:
Ita I K tangens obliqui anguli E A H, cujus crus quoq; est arcus A H,
Ad L H tangentem reliqui recti cruris E H.

2 *Exemplum ubi utrumque recti anguli crus quadrante majus fuerit.*

DATUM. Esto ABC sphæricum triangulum, hujus angulus B rectus, atque recti anguli crura AB, BC sigillatim quadrante majora, & reliqui duo anguli obliqui sint. QUAESITUM. Quod sinus recti, ad sinum alterius recti cruris CB eandem habeat rationem, quam tangens obliqui anguli ACB adjacẽs dicto cruri BC, ad tangẽtem reliqui recti cruris AB, demonstrandũ est.

DEMONSTRATIO.

Sunto semiperipheriæ DAB, DCB; & ideo D angulus, angulo B per 3 consect. 1 propositionis, æquatur: cumque B rectus sit, D quoque rectus erit: Et quia AB, BC sigillatim quadrante majores sint, AD, DC, sigillatim minores erunt, & cum angulus ACB obliquus sit, etiam ACD obliquus erit, per 5 consect. 1 propositionis: Quare, cum ADC triangulum rectangulum sit ad D, & crura recti AD, DC sigillatim quadrante minora, atque angulus ACD obliquus, erit per 1 paradigma hujus propositionis



Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum alterius cruris recti anguli DC:
Ita tangens obliqui anguli ACD qui adjacet cruri recti DC,
Ad tangentem reliqui recti cruris AD.

At sinus DC, ad arcum CB quoque refertur per 2 definitionem de fabrica sinuum: Sinus obliqui anguli ACD idem est sinus obliqui ACB per 5 consect. 1 propositionis: Denique tangens AD, idem tangens est arcus AB per 2 defin. de fabrica sinuum, Itaque

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum alterius recti cruris BC:
Ita tangens obliqui anguli ACB qui adjacet dicto cruri BC,
Ad tangentem reliqui recti cruris AB.

3 *Exemplum ubi alterum crus recti quadrante minus, alterum majus fuerit.*

DATUM. Esto ABC sphæricum triangulum in 2 exemplo expositum, cujus angulus C rectus, & unum recti crus AC quadrante minus, alterum BC majus, & duo reliqui anguli obliqui. QUAESITUM. Sinum recti, & sinum unius recti cruris BC, tangentibus obliqui anguli B qui adjacet recti cruri BC, & reliqui recti cruris AC proportionales esse demonstrandum esto. PRAEPARATIO. BA, BC continuata sese intersecent in D.

DEMONSTRATIO.

DAB, DCB semiperipheriæ sunt, per 3 consf. 1 propositionis: Et quia recti crura AC, BC hoc majus illud minus quadrante est, AB rectum subtendens majus erit per 3 propositionem: Cumque AB, BC sigillatim quadrante majora sint, AD, CD sigillatim minora erunt: Atque angulus ACB rectus, angulum ACD quoque rectum efficiet per 5 consf. 1 propositionis:
Cum

Cum itaque trianguli rectanguli A C D, angulus C rectus sit, & recti anguli crura sigillatim quadrante minora, aut per 1 exemplum,

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum unius recti cruris D C:
Ita tangens obliqui anguli D qui adjacet dicto recti cruri D C,
Ad tangentem reliqui recti cruris A C.

Sed sinus arcus D C, est quoque sinus arcus C B per 2 definitionem de fabrica sinuum: Et tangens obliqui anguli D, idem est tangens obliqui B per 5 consect. 1 propositionis, ideoque

Vt sinus recti,
Ad sinum alterius recti cruris C B:
Ita tangens obliqui anguli B qui adjacet dicto recti cruri C B,
Ad tangentem reliqui recti cruris A C.

CONCLVSIO. In sphærico igitur rectangulo triangulo, sinus recti, ad sinum unius recti cruris eandem habet rationem, quam tangens obliqui anguli qui dicto cruri adjacet, ad tangentem reliqui lateris circa rectum. Quod demonstrandum erat.


28 THEOREMA. 28 PROPOSITIO.

In sphærico rectangulo triangulo: Sinus recti, ad tangentem lateris sibi subtensi, eam habet rationem, quam sinus anguli differentiæ alterutrius obliqui, ad tangentem recti cruris eidem obliquo contermini.

Quia recti anguli crura sigillatim quadrante minora, aut sigillatim majora, aut alterum majus alterum minus est, tribus diagraphis theorema istud explicabimus.

1 *Exemplum ubi singula recti anguli crura quadrante minora fuerint.*

DATVM. Esto sphærici trianguli A B C angulus B rectus, & duo crura A B, B C sigillatim quadrante minora. QVAESITVM. Demonstrandum est sinum recti, ad tangentem lateris recto subtensi A C, eandem rationem habere, quam sinus anguli differentiæ obliqui C, ad tangentem cruris recti anguli B C eidem obliquo termini. PRAEPARATIO. Quia A B, B C, sigillatim quadrante minores sunt, etiam A C minor erit per 3 propositionem, singula itaque latera A B, B C, C A, quadrante minora erunt, continuentur igitur C B in D, C A in E, ut C E, C D quadrantes sint, denique B A donec productum D E secet in F, & ideò B F quadrans fuerit per 2 consect. 1 propositionis, quia uterque B F, D F in eundem D C perpendiculariter insistunt.



DEMONSTRATIO.

Cum C D, C F, quadrantes sint ex præparatione, uterque perpendicularis erit in D F per 2 consect. 1. propositionis, unde angulus A E F, trianguli A E F rectus erit, ideoque alternando rationes 27 propositione expositas, erit

Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem obliqui anguli F:
Ita sinus recti cruris E F dicto obliquo contermini,
Ad tangentem reliqui recti cruris E A.

Sed arcus D B est amplitudo anguli F, per 2 definitionem, igitur
Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem arcus D B:
Ita sinus arcus E F,
Ad tangentem arcus E A.

B C autem est arcus differentiæ ipsius D B, & A C arcus differentiæ ipsius E A, cumque horum duorum arcuum B C, A C, tangentes reciprocè proportionales sint, tangentibus arcum D B, E A per 20 propositionem, tangens A C, ad tangentem B C, eandem habebit rationem, quam tangens D B, ad tangentem E A, ideoque
Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem arcus A C:
Ita sinus arcus E F,
Ad tangentem arcus B C.


At E F est arcus differentiæ ipsius D E, id est angulus differentiæ propositi C, itaque
Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem lateris recto subtensi A C:
Ita sinus anguli differentiæ obliqui C,
Ad tangentem cruris recti B C dicto obliquo contermini.

2 *Exemplum cum singula recti anguli crura quadranti præstant.*

DATVM. Esto A B C sphærici trianguli angulus B rectus, & recti crura A B, B C sigillatim quadrante majora. QVAESITVM. Sinum recti, tangentem lateris A C recto subtensi, sinum anguli differentiæ obliqui A C B, & tangentem recti cruris B C dicto obliquo contermini analogos esse, demonstrandum esto. PRAEPARATIO. Recti anguli crura B A, B C continuata sese intersecent id D.

DEMONSTRATIO.

B A D, B C D semicirculi æquales continent angulos ad D, & B, per 3 conf. 1 propositionis: At B rectus est, ideoque etiam D: Cumque A B, B C, singuli quadranti præstent, A D, C D sigillatim à quadrante deficient, & angulus A C B obliquus, angulum A C D quoque obliquum faciet per 3 consect. 1 propositionis: Trianguli igitur rectanguli A D C, angulus D rectus est, & duo recti crura A D, D C sigillatim quadrante minora, atque A C D angulus obliquus, unde per primum exemplum hujus,



Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem lateris recto oppositi A C:
Ita sinus anguli differentiæ ipsius A C D,
Ad tangentem recti cruris D C sibi contermini.

At si-

At sinus anguli differentiæ obliqui A C D, est etiam sinus anguli differentiæ obliqui A C B, per 5 consect. 1 propositionis: Et tangens recti cruris D C, idē est tangēs cruris anguli recti B C, per 7 definitionē de fabrica sinuum, itaq;

Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem lateris recto oppositi A C:
Ita sinus anguli differentiæ obliqui A C B,
Ad tangentem recti cruris B C dicto obliquo contermini.

3 *Exemplum cum alterum quadranti cedit, alterum excedit.*

DATVM. Esto A B C in secundo paradigmate expositi diagrammatis sphæricum triangulum, cujus angulus C rectus sit, & recti crus A C quadrante minus, alterum C B majus, atque anguli reliqui obliqui sunto.

QVAESITVM. Vt sinus recti ad tangentem lateris rectum subtendentis: ita esse sinum anguli differentiæ obliqui B, ad tangentem recti cruris B C dicto obliquo contermini, demonstrandum esto.

PRAEPARATIO. Arcus B A, B C, continuati sese intersecent in D.

DEMONSTRATIO.

D A B, D C B, semiperipheriæ sunt per 3 consect. 1 propositionis: Et quia A C, B C, diversæ sunt adfectionis, nempe hoc majus, illud minus quadrante, etiam tertium latus A B majus erit per 3 propositionem: Sed cum A B, B C, sigillatim quadrante majores sint, A D, C D sigillatim minores erunt: Et angulus A C B rectus, rectum quoque efficiet angulum deinceps A C D per 5 consect. 1 propositionis: Rectanguli itaque trianguli A C D, angulus C rectus est, & crura recti sigillatim quadrante minora, unde per 1 exemplum,

Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem lateris recto oppositi A D:
Ita sinus anguli differentiæ obliqui D,
Ad tangentem recti crucis C D dicto obliquo contermini.

Sed tangens A D etiam tangens est arcus A B, per 7 definitionem de fabrica sinuum: Et sinus arcus differentiæ obliqui anguli D, idem sinus est arcus differentiæ obliqui B, per 5 consect. 1 propositionis: Denique tangens recti cruris C D, tangens quoque est arcus B C per 7 definitionem de fabrica sinuum, Itaque

Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem lateris recto oppositi A B:
Ita sinus anguli differentiæ obliqui B,
Ad tangentem cruris recti B C dicto obliquo contermini.

CONCLVSIO. Quare in sphærico rectangulo triangulo, sinus recti, tangens lateris recto subtensi, sinus anguli differentię alterius obliqui, tangens recti cruris eidē obliquo cōtermini proportionales sunt. Quod ostendere oportuit.

29 THEOREMA. 29 PROPOSITIO.

In sphærico rectangulo triangulo, sinus recti ad sinum arcus differentiæ lateris recto oppositi eandem habet rationem, quam tangens alterutrius obliqui anguli, ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui.

Quandoquidem duo obliqui anguli aut paritèr obtusi, aut paritèr acuti sunt, aut deniq; unus acutus alter obtusus, trifariam hujus theorematis demonstrationem ordinabimus.

Et 1 quidem cum uterque obliquus acutus fuerit.

DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum ut in diagraphâ 1 exempli 28 propositionis, ejusque angulus A B C rectus, reliqui B A C, & C acuti sunto. QUAESITUM. Sinum totum, & sinum arcus differentiæ lateris rectum subtendentis, tangentibus obliqui anguli B A C, & anguli differentiæ secundi obliqui C proportionales esse, demonstrandum esto. Præparatio demonstrationis eadem sit, quæ ibi ad 1 exemplum exposita fuit.

DEMONSTRATIO.

Per 27 propositionem erit,

Quemadmodum in triangulo F E A, sinus recti anguli F E A,
Ad sinum unius recti cruris E A:
Ita tangens obliqui anguli E A F qui adjacet recti cruci E A,
Ad tangentem reliqui recti cruris E F.

Sed angulus F E A æqualis est angulo A B C, cum uterque rectus sit: Et E A est arcus differentiæ ipsius A C: Angulus autem E A F æquatur angulo B A C per 6 consect. 1 propositionis: Denique E F est arcus differentiæ ipsius D E, id est angulus differentiæ acuti C, ideoque


Quemadmodum sinus recti A B C,
Ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi A C:
Ita tangens alterius obliqui B A C,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui C.

2 Exemplum cum uterque obliquus obtusus fuerit.

DATUM. Esto sphærici trianguli A B C, angulus B rectus, & reliqui duo obtusi. QUAESITUM. Sinum recti B, sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi A C, tangentem obliqui anguli B A C, & tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui B C A analogos esse, demonstrandum esto.

PRAEPARATIO. Crura recti B A, B C, cōtinuata sese intersecent in D.

DEMONSTRATIO.



D A B, D C B, semiperipheriæ, æquales comprehendunt angulos D, & B per 3 consect. 1 propositionis, cumque angulus B rectus sit, angulus D quoque rectus erit. Deinde quia anguli B A C, B C A, obtusi sunt, D A C, D C A acuti erunt per 5 consect. 1 propositionis: Et triangulum A D C, rectangulum ad D, reliquos D A C, D C A acutos habet, itaque per 1 exemplum hujus propos.

Quemadmodum sinus recti D,
Ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi A C:
Ita tangens alterius obliqui D A C,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui D C A.

Sed sinus anguli recti D, idem sinus est recti B: Et tangens obliqui D C A, est quo-

est quoque tangens anguli B A C: Denique tangens anguli differentiæ ipsius D C A, etiam tangens est anguli differentiæ ipsius B C A per 5 consect. 1 propositionis, Itaque

Quemadmodum sinus recti B,
Ad sinum arcus differentiæ recto subtensi A C:
Ita tangens alterutrius obliqui B A C,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui B C A.

3 *Exemplum cum alter acutus alter obtusus fuerit.*

Datvm. Esto A B C sphærici trianguli A B C angulus rectus, C A B acutus, A C B obtusus. Qvæsitvm. Quemadmodum sinus recti A B C, ad sinum arcus differentiæ rectum subtendentis A C, Ita esse tangentem alterius obliqui A, ad tangentem reliqui obliqui B C A, demonstrandum esto.

Præparatio. Arcus A B, A C continuati sese intersecent in D.

DEMONSTRATIO.



A B D, A C D semiperipheriæ sunt, ideoque D angulus angulo A æqualis est, cumque A acutus ponatur, D etiam acutus erit: Præterea B C A angulus obtusus angulum deinceps B C D acutum efficit, & A B C rectus, C B D rectum facit per 5 consect. 1 propositionis: Trianguli igitur rectanguli B C D, angulus C B D rectus est, D & B C D acuti, unde per 1 exemplum

Quemadmodum sinus recti C B D,
Ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi C D:
Ita tangens alterius obliqui anguli B C D,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui B D C.

Sed sinus anguli C B D ad angulum A B C, quoque pertinet per 5 consectarium 1 propositionis: Et sinus arcus differentiæ hujus C D idem sinus est arcus differentiæ expositi A C per 7 definitionem de fabrica sinuum: Tangens autem anguli D, tangens quoque est anguli A, per 3 consect. 1 propositionis: Denique tangens anguli differentiæ ipsius B C D, etiam tangens est anguli differentiæ propositi B C A per 5 consect. 1 propositionis, Itaque

Quemadmodum sinus recti A B C,
Ad sinum arcus differentiæ recto subtensi A C:
Ita tangens alterius obliqui anguli A,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui B C A.

Conclvsio. In triangulo itaque sphærico rectangulo sinus recti, sinus arcus differentiæ recto subtensi, tangens alterius obliqui anguli, & tangens anguli differentiæ reliqui obliqui proportionales sunt. Quod demonstrare oportuit.

30 THEOREMA. 30 PROPOSITIO.

In sphærico triangulo planus è sinibus laterum duorum, ad quadratum sinus totius eandem habet rationem, quam differentia duarum sagittarum (quarum una sit differentiæ duorum arcuum quorum sinus dictum planum com-

prehendunt, altera ſinus tertii lateris) ad ſagittam ſinus anguli ab iiſdem lateribus, quorum ſinus dictum planum comprehendunt contenti.

DATUM. Tripleuri ſphærici A B C latera ſingula quadranti cedant.

QVÆSITVM. Demonſtrandum eſt quod fit ſub ſinibus duorum laterum A B, B C ſic ſe habere ad quadratum ſinus recti, ut differentia duarum ſagittarum (quarum una eſt, ſinus-ſagitta arcus differentiæ laterum A B, B C, altera verò ſinus-ſagitta lateris tertii A C) ad ſinus-ſagittam anguli A B C à prioribus lateribus AB, BC contenti. PRÆPARATIO.


1 MEMBRVM.

A B producatur in D, & B C in E, ut B D, D E quadrantes ſint, deinde ex B polo delineetur D E amplitudo anguli C B A: Prætereà ex eodē polo B, deſcribatur C F arcus peripheriæ minoris, ideóque B F æquabit arcum B C.

2 MEMBRVM.

Dehinc ſi ex A polo, C G minoris peripheriæ arcus deſcribatur, arcus A G & A C æquabuntur, atque ideo A F erit differentia duorū laterum B A, B C. Et G F differentia duorū arcuum, quorum A C eſt tertium expoſiti trianguli latus, alter autem A F differentia duorum dictorum laterum B A, B C.

3 MEMBRVM.



Ab H centro ſphæræ tres ſemidiametri agantur H B, H A, H D, & à terminis trium arcuum B A, F A, G A demiſſæ ſunto in ſemidiametrum H A tres perpendiculares rectæ, B I, F K, G L, quæ trium iſtorum arcuum ſinus ſunt, nimirum B I ipſius B A, F K ipſius F A, & G L ipſius G A.

4 MEMBRVM.

Et conſequenter A I erit ſinus-ſagitta arcus A B, item A K ſagitta arcus F A, ſic A L ſagitta arcus A G: Ideóque & K L differentia duarum ſagittarum,

gittarum, quarum una K A est differentiæ laterum A B, B C hoc est ipsius A F, altera L A arcus A G, id est, (nam per 2 membrum hi arcus æquales sunt) lateris A C.

5 MEMBRUM.

Præterea à termino arcus B F, agatur recta F M perpendicularis in semidiametrum H B quæ intersecet sinum G L in N, hæc F M erit sinus arcus B F id est (quia per 2 membrum æquantur) lateris B C.

6 MEMBRUM.

Demittatur in F K perpendicularis N O, hæc æquatur rectæ L K, ideoque pro eadem K L usurpari poterit hoc est ut 4 membro expositum fuit pro differentia duarum sagittarum, quarum una est K A sagitta sinus arcus A F differentiæ duorum laterum A B, B C, altera L A sagitta sinus tertii lateris A C.

7 MEMBRUM.

Ad E terminum arcus D E adjungatur E H, & semidiametro H D perpendicularis sit E P, hæc erit sinus arcus D E, id est (per 1 membrum) anguli A B C, & D P sagitta sinus ejusdem anguli A B C.

8 MEMBRUM.

Ducatur recta C N, hæc perpendicularis erit in F N. Nam A est centrum minoris peripheriæ G C, ut patet è 2 membro, & maxima peripheria B D transit per idem punctum A, igitur planum minoris circuli G C, plano maximi circuli B D normale est per 7 conf. 1 propositionis. Deinde etiam B est polus minoris peripheriæ F C, & per eundem polum B transit maxima peripheria B D, ideoque planum minoris circuli F C, plano maximi circuli B D normale est per citatum 7 conf. 1 propositionis: Cum igitur duo minores circuli G C, F C, eidem maximo B D perpendiculares, sese intersecent in punctis N, & C, eorum communis sectio N C, subjecto plano B D perpendicularis erit, & ideo C N perpendicularis fuerit rectæ N F: Quamobrem C N sinus est arcus C F, & F N sagitta sinus ejusdem arcus C F.

9 MEMBRUM.

Agantur tres rectæ M C, E D, C F, & signetur punctum Q communis sectio rectarum H A, F M.

DEMONSTRATIO.

1 MEMBRUM.

F M C, D H E triangula sunt æquilatera, quorum æqualia latera æquales continent angulos ad M & H, uterque enim est angulus inclinationis circulorum maximorum, quorum arcus sunt A B, B C, ideoque ipsa triangula F M C, D H E, similia; ut etiam eorum segmenta similiter sita, nimirum triangulum C N F triangulo E P D, & C N M ipsi E P H, & termini æqualibus angulis subtensi proportionales sunt, itaque ut F M ad D H, ita F N ad D P.

2 MEMBRUM.

Triangulorum H M Q, F K Q anguli ad M & K recti sunt, & duo verticales

cales anguli ad Q æquales, quare & tertius H, tertio F æqualis erit, & ideo triangulum H M Q simile triangulo F K Q. Sed triangulum H I B triangulo H M Q simile est, quia anguli ad M & I recti sunt, & H angulus utrique communis est: Deinde F O N triangulum triangulo F K Q simile est, quia O N & K Q parallelæ sunt per 6 præparationis membrum, quare H B I triangulum, triangulo F O N simile est, & æqualium angulorum crura proportionalia, videlicet ut B I ad B H, ita N O ad N F.

3 MEMBRVM.

Isti igitur termini proportionales sunt & quidem

E demonstratis in 1 membro FM, DH: NF, DP.

Et è demonstratis in 2 membro BI, HB: NO, NF.

Sed cum rectarum linearum duæ proportiones sint, rectangulum antecedentium primæ rationis, ad rectangulum cōsequentium ejusdem, eandem habet rationem, quam rectangulum antecedentium secundæ rationis, ad rectangulum consequentium ejusdem, ideoque

Quemadmodum rectangulum FM, BI,
Ad rectangulum DH, HB:
Ita rectangulum NF, NO,
Ad rectangulum DP, NF.

Rectangulū autem comprehensum sub DH, HB est quadratum sinus recti: Et ut rectangulum à rectis NF, NO ad rectangulum à rectis DP, NF comprehensum, ita NO (nam NF communis altitudo est) ad DP, ideo

Quemadmodum rectangulum FM, BI,
Ad quadratum sinus recti:
Ita NO
Ad DP.

At FM est sinus lateris BC per 5 præparationis membrum: BI sinus lateris AB per 3 præparationis membrum: Et LK quia æquatur rectæ NO per 6 membrum, erit differentia duarum sagittarum, quarum una KA est sagitta sinus arcus AF quo latera AB, BC, inter se discrepant, altera autem LA est sagitta sinus tertii lateris AC per citatum 6 præparationis membrum. Et DP est sagitta sinus anguli qui à duobus primis lateribus AB, BC continetur per 7 præparationis membrum, itaque

Quemadmodum rectangulum à duorum laterum BC, AB, sinibus FM, BI comprehensum,
Ad quadratum sinus recti:
Ita LK differentia duarum sagittarum, (quarum una KA est sagitta sinus arcus AF quo latus AB, à latere BC exceditur, altera LA est sagitta sinus tertii lateris AC)
Ad DP sagittam sinus anguli ABC à duobus primis lateribus contenti.

Similem demonstrationem institues in triangulis cujus latera quadranti præstant. CONCLVSIO. Itaq; in sphærico triangulo ut planus sinuum, &c. Quod demonstrasse oportuit.

31 THEOREMA. 31 PROPOSITIO.


Si sphærici trianguli duo aut tres anguli acuti sint: Erit primò

primò, ut planus ſub ſinubus minimorum angulorum, ad quadratum ſinus recti: ſic differentia duarum ſagittarum, quarum una ſit differentiæ dictorum angulorum, altera verò differentiæ tertii anguli à ſemiperipheria, ad lateris eidem tertio ſubtenſi à ſemicirculo differentiam.

Secundò, ut planus ſub ſinubus maximi anguli & unius reliquorum ad ſinum recti: ſic differentia duarum ſagittarum quarum una ſit differentiæ ſimul utriuſque anguli à ſemiperipheria, alterà verò anguli tertii, ad ſinus-ſagittam lateris huic tertio ſubtenſi.

NOTA.

Demonſtrationis vis hinc fere dependet polorum diſtantiam ſuorum circulorum inclinationi æquari quod *Ptolomeus* 10 cap. 1. lib. uſurpat, & in commentario Theon demonſtrat. Vnde *Vieta* ſuam Enallagen quam πλευρογωνικὴν appellat primus deduxit, in quo hujus propoſitionis argumentum propemodum occupatur, ęqualitatem verò hanc inclinationis & diſtantiæ polorum ideo ſemel hic annotare placuit, quî tautologiam in ſex prioribus membris evitemus, & inclinatio hęc acuti intelligatur anguli, polorumque diſtantia quà proximè à ſe mutuo abſunt.



Propoſitionis hujus, quã ratione mihi uſitata digeſſi, inventio Clatiſsimo *Lantsbergio* debetur, qua de re in Triangulorum appendice capite 6. agetur uberius.

DATVM. Exponatur A B C ſphæricum triangulum duobus angulis B A C, A C B acutis, tertius autem A B C acutus obtuſusnè ſit nihil intereſt, dummodo utrilibet reliquorũ pręſtet.

QVAESITVM. Demonſtrandum eſt, primò,
Ita eſſe planum ſub ſinubus minimorum angulorum B A C, A C B,
Ad quadratum ſinus recti, ſeu totius;
Vt duarum ſagittarum differentia, quarum una ſit duorum minimorum angulorum B A C; A C B; altera verò differentiæ tertii anguli A B C à ſemiperipheria,
Ad ſinus-ſagittam differentiæ ipſius A C à ſemiperipheriâ, quod latus dicto tertio angulo A B C ſubtenditur.

Secundò,

Vt planus ſub ſinubus anguli maximi A B C & unius reliquorum B A C;

Ad qua-

Ad quadratum ſinus recti ſeu totius.

Sic differentia duarum ſagittarum,quarum una eſt differentiæ ſimul utriuſque anguli A B C, B A C à ſemiperipheria; altera verò anguli tertii A C B,
Ad ſinus-ſagittam lateris A B tertio angulo A C B ſubtenſi.

PRAEPARATIO. Arcus A B continuatus,circulum A B E,à quo deſumitur, perficiat, & B C occurrat eidem in D, atque ideo B C D ſemiperipheria erit; & A C cõtinuetur in E,quamobrem etiam pari ratione A C E ſemiperipheria erit,& F polus ſit peripheriæ A B D, G ipſius B C D, denique H polus ipſius A C E,& per binos quoſque polos maximus circulus tranſeat, I G H K L per G & H, ſub C tanquam polo decircinatus ſecans A C E in I & L: ſic per G F ſemicirculus M G F N O ſub B polo deſcribatur, ſecans B C D in N: Denique per H F ſemiperipheria P H F Q ſub polo A, ſecans A C E in R. Sed ad theorematis demõſtrationem hæc 10 membra præmittam.

1 MEMBRVM.

Latus G F, tripleuri ſphærici per polos G F H deſcripti,æquale eſt differentiæ anguli A B C, ſeu A D C à ſemiperipheria.

Etenim cum F polus eſt circuli A B O, & G ipſius B C D, erit G F polorum diſtantia æqualis inclinationi circulorum A B O, B C D hoc eſt angulo C B O qui eſt differentia anguli A B C ſeu, quod idem ſit, ipſius A D C à ſemiperipheria.

2 MEMBRVM.

Latus F H æquatur angulo B A C, ſeu differentiæ anguli C A D à ſemiperipheria.

Etenim ut ſupra, F polus eſt circuli A B Q, H autem ipſius A R E ex fabrica, quare diſtantia polorum F H inclinationi circulorum ſuorum A B Q, A R E, hoc eſt B A C angulo æquatur, ſive quod idem valet anguli ſibi deinceps C A D differentiæ à ſemiperipheria.

3 MEMBRVM.

Latus G H æquatur angulo A C B, ſeu differentiæ anguli A C D à ſemiperipheria.

Enimverò ex fabrica ut ante G,H, poli ſunt circulorum B K D, A L E atque ideo ipſorum diſtantia G, H, ſuorum circulorum inclinationi, hoc eſt angulo A C B æqualis eſt,ſeu differẽtiæ anguli ſibi deinceps A C D à ſemiperipheria.

4 MEMBRVM.

Angulus G F H, æquatur differentiæ lateris A C à ſemiperipheriâ.

Etenim C ex præparatione polus eſt circuli I H L,& A ſeu etiam punctum oppoſitum E polus ipſius Q R P & angulus inclinationis ipſorum G H F æqualis eſt diſtantiæ polorum E C quæ eſt differentia lateris A C à ſemiperipheria.

5 MEMBRVM.

Angulus G F H æquatur lateri A B, ſive differentiæ A D à ſemiperipheria.

Nam per præparationem A polus eſt circuli Q F P, & B ipſius O F M, ideò angulus inclinationis G F H æquatur ipſi A B polorum diſtantiæ, ſeu quod idem eſt differentiæ arcus A D à ſemiperipheriâ.

6 MEM-

6 MEMBRUM.

Angulus H G F æquatur lateri B C, seu differentiæ C D à semiperipheriâ. Nam per præparationem B polus est circuli O N M, & C ipsius K G I, quare angulus inclinationis H G F æqualis distantiæ polorum B C, sive ipsius C D à semiperipheriâ differentiæ.

7 MEMBRVM.

Cum igitur angulus B A C: arcui H F per 2 membrum æqualis sit: & A C B angulus arcui H G per 3 membrum; consequens est horum angulorum sinus sinubus istorum arcuum æquari: Atque ideo

Quod fit sub sinubus angulorum B A C, A C B trianguli A B C, æquatur ei quod fit sinubus arcuum H F, H G.

8 MEMBRVM.

Et cum anguli B A C, A C B, lateribus H F, H G per 2 & 3 membrum æquentur, & per 1 membrum anguli A B C differentia à semlperipheriâ æquale sit ipsi G F, hinc efficitur.

Differentiam duarum sagittarum, quarum una sit differentiæ angulorum B A C, A C B, altera differentiæ anguli tertii A B C à semiperipheriâ, æquari differentiæ duarum item sagittarum, quarum una sit differentiæ laterum H F, H G, altera tertii lateris G F.

9 MEMBRVM.

Differentia A B C anguli à semiperipheria per 1 membrum lateri G F æquatur: verum idem sinus angulo A B C & ejus à semiperipheria differētiæ competit; sinus ergò anguli A B C, sinui lateris G F æqualis est. Porrò sinus B A C sinui F H per 2 membrum æquatur: Itaque

Quod fit sub sinubus A B C & B A C æquatur ei quod sub sinibus G F in F H.

10 MEMBRVM.

Differentia anguli A B C è semiperipheriâ, lateri G F per 1 membrum æquale est, & B A C angulus lateri F H per 2 membrum; quamobrem anguli A B C differentia à semiperipheria, & angulus B A C eodem intervallo inter se dissident, quo latera G F, F H. Sed intervallum quo anguli A B C à semiperipheria differentia abest ab angulo B A C æquale est differentiæ simulutriusque anguli A B C & B A C à semiperipheria. Itaque differentia simulutriusque anguli A B C & B A C à semiperipheria, æquatur differentiæ laterum G F ab F H.

Præterea (ut supra dixi) A C B æquatur lateri G H per 3 membrum, atque hinc sequitur.

Differentiam duarum sagittarum quarum una sit differentiæ simulutriusq; anguli A B C, B A C à semiperipheria, altera verò anguli A C B, æquari differentiæ duarum sagittarum quarum una sit differentiæ laterum G F, F H, altera verò lateris tertii G H.

Demonstratio prioris partis.

Per 30 propositionem

Sic est planus sub sinubus laterum H G, H F, trianguli G F H,
Ad quadratum sinus recti;

Quemad.

Quemadmodum duarum sagittarum differentia, quarum una sit differentiæ laterum H G, H F, altera verò sagitta lateris tertii G F,

Ad sagittam anguli F H G sub cujus crurum sinubus dictum rectangulum continetur.

Sed quatuor termini primâ parte propositionis expositi, in triangulo A B C æquantur propositis terminis trianguli G F H ut jamjam ostendam, unde efficitur etiam proportionales esse. Dictorum autem terminorum æqualitas sic se habet.

In triangulo A B C quod fit sub sinubus minimorum angulorum B A C, A C B æquatur, per 7 membrum, primi termini rectangulo sub sinubus laterum H F, G H, comprehenso.

Quadrarū sinus recti tam in A B C, quam in triangulo G F H idem est.

Tum duarum sagittarum differentia, quarum una sit differentiæ minimorum angulorum B A C, A C B, altera vero differentiæ tertii anguli A B C à semiperipheriâ, per 8 membrum æqualis est itidem duarum sagittarum differentiæ, qui est terminus expositæ proportionis tertius, quarum una sit, differentiæ duorū laterum H F, G H, altera verò sagitta tertii lateris G F.

Denique per 4 membrum latus A C angulo G H F æqualis est, unde efficitur sagittam lateris A C æquari sagittæ anguli G H F.

Itaque erit

Vt rectangulum sub sinubus minimorum angulorum B A C, A C B comprehensum

Ad quadratum sinus recti,

Sic differentia duarum sagittarum quarum una sit differentiæ minimorum angulorum B A C, A C B, altera differentiæ verò tertii anguli A B C à semiperipheriâ,

Ad sagittam differentiæ lateris A C à semiperipheriâ, quod tertio angulo A B C subtenditur.

Demonstratio partis secundæ.

E' propositione 30

Vt in triangulo G F H, planus sub sinubus G F, F H,

Ad quadratum sinus recti,

Sic duarum sagittarum differentia, quarum una sit differentiæ eorundem laterum F G, F H, altera vero lateris tertii G H,

Ad sagittam anguli G F H ab iisdem duobus lateribus, quorum sinus dictum planum comprehendunt, contenti.

Verumenimverò quatuor termini secundâ propositionis hujus parte propositi in triangulo A B C æquantur quatuor hujus proportionis terminis trianguli G F H, ut paulo post ostendam: Vnde efficitur etiam proportionales esse. Verum æqualitas ista hujusmodi est.

In triangulo A B C planus sub sinubus maximi anguli A B C & altero minorum B A C, per 9 membrum, æquatur plano primi termini sub sinubus G F, F H comprehensi.

Et quadratum sinus recti tam in triangulo A B C quam in G F H sibi ipsi perpetuò æqualis est.

Tertiò differentia duarum sagittarum, quarum una sit differentiæ simul utriusque anguli A B C, B A C à semiperipheria, altera verò tertii

tertii anguli A C B, æquatur, per 10 membrum, tertii termini duarum sagittarum differentiæ, quarum una sit differentiæ laterum G F, F H, altera verò tertii lateris G H.

Denique cum latus A B per 5 membr. angulo G F H æquale sit, sequitur sagittam A B sagittæ quarti termini hoc est anguli G F H æquari.

Itaque erit

Vt rectangulum sub sinu maximi anguli A B C & uno reliquorum C A B

Ad quadratum sinus recti,

Sic differentia duarum sagittarum, quarum una sit differentiæ simulutriusque anguli A B C, C A B à semiperipheria, altera vero anguli tertii A C B,

Ad sagittam lateris A B, eidem tertio angulo A C B subtensi,

Similis demonstratio instituetur in triangulo trium acutorum angulorum.

Conclusio. Itaque si sphærici trianguli, &c.

Consectarium.

Triangulum A D C cujus tres anguli obtusi sunt, habet angulorum laterúmque trium à semiperipheriâ differentias æquales correspondentibus lateribus & angulis trianguli transpolaris G F H, quod è 6 prioribus membris perspicitur. Eadem res esset licet angulus A D C acutus foret & reliqui duntaxat duo obtusi.

THEOREMA.

Si sphærici trianguli duo aut tres anguli obtusi sint: Quemadmodum planus sub sinubus duorum angulorum, ad quadratum sinus recti; sic differentia duarum sagittarum, quarum una sit differentiæ dictorum angulorum, altera verò differentiæ tertii anguli à semiperipheriâ, ad sagittam differentiæ à semiperipheria lateris eidem tertio angulo subtensi.

Ratio ista in triangulis duorum triumvé acutorum angulorum, quale fuit A B C non est catholica, quod ipsum hinc patet, quia omnium laterum & angulorum suorum magnitudo, transpolaris trianguli G F H correspondentibus angulis & lateribus haud æquantur, namque his partim quoque istorum à semiperipheriâ differentiæ respondent, ut in primis sex membris videre est.

TER-

TERTIVM TMEMA DE PROBLEMATIS, AD

inventionem quæſitorum angulorum, & laterum in datis ſphæricis triangulis.

CVM primo & ſecundo tmemate theoremata ad demonſtrationem problematũ tertii tmematis neceſſaria nobis explicata ſint, priuſquam ipſa ordior paucis ante quędã prælibare viſum eſt, ut 1ª diſtinctione de triangulis in quibus rectus angulus cognitus datur: Deinde 2ª de triangulis quorũ unum latus ſit 90 gr. ubi tamen angulus rectus nõ datur ut cognitus. Denique 3ª de triangulis in quibus nec angulus rectus nec latus 90 gr. ut cognita dantur.

Et quia loco prolixarũ vocũ breves quaſdã notas uſurpare eſt animus, & quidem iſti ſini qui infra dicetur, prius illas paucis exponam, ut ſequitur. In quovis ſphærico triãgulo, tres anguli (quod & nomẽ arguit) totidemq́; ſunt latera, quæ ſimul numero ſunt ſex, quos cõmuni nomine terminos appellamus; ex his ſemper tres cogniti dãtur, ut totidẽ reliqui inveniantur. Sic duob. angulis unoq́; latere cognitis, tertius angulus & duo latera incognita reperiũtur: Viciſſim duob. laterib. & uno angulo notis, tertiũ latus reperitur, & reliqui duo anguli ignorati: Porro tribus lateribus, tres anguli: Deniq; è trib. angulis tria latera innoteſcũt.

Vt autem tres cogniti termini certis quibuſdam notis breviter indicentur (quod & in triangulis planis nobis factum eſt) notandũ eſt K (primum elementum τῦ κλίνειν) in latere trianguli poſitum indicio eſſe illud quadrante peripheriæ minus eſſe; G autem majus. R in angulo poſitũ eum rectũ eſſe, K minorem quadrante peripheriæ, vel quovis modo acutũ, G majorem, id eſt obtuſum.

Arcus & anguli abſque jam dictis literis notati, ſunt ii qui quidem ut noti ſumuntur, ſed tantum ex data hypotheſi id eſt ſine definitione magnitudinis, parvitatis, aciei, aut habetudinis, & abſque graduum numeris, quibus amplitudo illorum definiri ſolet, ut puncta non definitos numeros denotent. Hiſce, vel temporis momento, explicare poſſumus quæ aliàs longa verborũ periphraſi & circuitione indigerent. Exemplum nobis ſic eſto, in infra poſito diagrammate enunciando iſta verborum circuitione utendum eſſet.

Sphæricum triangulum, cujus duo anguli noti ſunt, unus rectus, alter acutus, & cognitum recti anguli crus quadrante majus cognito acuto ſubtenſum.



Compendium hoc utile erit cùm è cognitis tribus trianguli terminis, reliquus ignoratus ignorativé inveniendi erunt. Iſtiuſmodi enim ſignata triangula infra, in unum locum, tanquam in tabellam quandam, congregabimus, quam ibi TRIGONOPINACA indigitabimus, quia inde indicium ſumitur ut ſtatim hoc tertio tmemate ſimile exemplum nanciſcaris ei, quod imitari voles, nec opus ſit mentem excruciare aliquo præcedentium præceptorum: hunc autem triangulorum indicem apertius explicabimus ad calcem hujus libri.

NOTA

Præterea, nos inventionem ignoratorum terminorum cum propoſitum triangulum fuerit rectangulum, aut habuerit latus 90 grad. unica multiplicatione abſque diviſione confecturos, quia hæc ratio omnium facillima eſt: Qua de re iterum & fuſius agemus ad 1 exemplum 32 propoſitionis.


DISTIN-

DISTINCTIO PRIMA DE SPHÆRICIS TRIANGVLIS IN QVIBVS RECTVS ANGVLVS COGNITVS DATVR.

1 PROBLEMA. 32 PROPOSITIO.

Cognito sphærici rectanguli trianguli angulo recto, base, & crure recti cognitis: Tertium latus & reliquos angulos invenire.


Cogniti tres termini in horum quatuor modorum aliquem incidere possunt.



Cumque horum quadruplex pragmatia sit, uniuscujusque exemplum dabimus.

1 *Exemplum de 1 hujus formæ triangulo.*





Datum. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, basis recti AC 50gr. & crus AB 29gr. 30 ①.

Quæsitum. Tertium latus BC, & reliqui duo anguli A, C, inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

Investigatio lateris BC.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum arcus differentiæ recti cruris AB	8704.
Ita secans arcus AC	15557 ad quem:
Concludetur secans	13541.
Cujus arcus pro quæsito latere BC	42 gr. 24.

NOTA.

NOTA.

Pro hâc constructione seu pragmatia, per 25 propositionem istam usurpare licuisset:

Quemadmodum sinus arcus differentiæ recti cruris A B	8704.
Ad sinum arcus differentiæ basis recti A C	6428.
Ita sinus recti	10000 ad quem?
Concludetur sinus	7385.
Cujus arcus	47 gr. 36.
Deductus de	90 gr.
Relinquet quæsitum B C	42 gr. 24.

Cum utroque modo eundem scopum attigerimus, mirabitur forsan aliquis quid causæ sit cur priorem pragmatiam potius, quam secundã aut aliam quamvis, (de quibus fusius in Appendice) quâ latus quæsitum B C inveniri potest, usurpaverimus? ratio hæc est: In prima operatione secundus terminus in tertium multiplicandus erat, nempe 8704 cum 15557: In secunda autem dividendum fuit videlicet 64280000 per 8704, cum autem commodior sit multiplicationis quam divisionis via, primam, secundâ aut aliâ quavis pragmatiâ potiorem duximus.

Quæ de primo exemplo dicta sunt, ea generalia esse omnium sequentium intelligantor, in quibus quivis ignoratus rectanguli trianguli terminus unica multiplicatione investigabitur: Neque id duntaxat in rectangulis triangulis, verum etiam in obliquangulis cum unum latus erit 90 gr. Et in iis duobus rectangulis triangulis in quæ obliquangulum triangulum, ut ignorati termini inveniantur, dispescitur.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad basis recti A C tangentem	11918.
Ita ipsius A B arcus differentiæ tangens	17675 ad quem?
Concludetur secans	21065.
Cujus arcus pro quæsito angulo A	61 gr. 39.


Investigatio anguli C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad arcus differentiæ basis recti A C secantem	13054.
Ita sinus arcus A B	4924 ad quem?
Concludetur sinus	6428.
Cujus arcus pro quæsito angulo C	40 gr.

2 *Exemplum ad 2 hujus formæ triangulum.*



DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, latus A C 110 grad. & A B 37 grad. 10 ①.



QUAESITUM. Tertium latus C B, & reliqui duo anguli A, C, inveniendi sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſinum arcus differentiæ recti cruris A B	7969.
Ita ſecans arcus A C	29238 ad quem?
Concludetur ſecans	23300.
Cujus arcus	64 gr. 35.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæſito latere B C	115 gr. 25.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad tangentem baſis recti	27475.
Ita tangens arcus differentiæ ipſius A B	13190 ad quem?
Concludetur ſecans	36240.
Cujus arcus	73 gr. 59.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæſitum angulum A	106 gr. 1.


Investigatio lateris C.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſecantem arcus differentiæ recti baſis A C	10642.
Ita ſinus arcus A B	6441 ad quem?
Concludetur ſinus	6429.
Cujus arcus pro quæſito angulo C	40 gr. 1.

3 *Exemplum ad* 3 *hujus formæ triangulum.*



Datvm. Eſto A B C ſphæricum triangulum, cujus angulus B rectus ſit, latus A C 50 grad. & B C 131 grad. 2 ①.



Qvaesitvm. Tertium latus B C, & reliqui anguli A, C, inveniendi ſunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſinum arcus differentiæ recti cruris A B	6565.
Ita ſecans arcus A C	15557 ad quem?
Concludetur ſecans	10213.
Cujus arcus	11 gr. 44.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæſito latere B C	168 gr. 16.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem recti basis A C	11918.
Ita tangens arcus differentiæ ipsius A B	8703 ad quem?
Concludetur secans	10372.
Cujus arcus	15 gr. 23.
Deductus de	180.
Relinquet pro quæsito angulo A	164 gr. 37.


Investigatio anguli C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ recti basis A C	13054.
Ita sinus arcus A B	7543 ad quem?
Concludetur sinus	9847.
Cujus arcus	79 gr. 58.
Deductus de	180.
Relinquit quæsitum angulum C	100 gr. 2.

4 *Exemplum ad 4 hujus formæ triangulum.*



DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, latus A C 110 grad. & A B 170 grad.



QVAESITVM. Tertium latus B C & reliqui duo anguli A, C, inveniendi sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum arcus differentiæ recti cruris A B	9848.
Ita secans arcus A C	29238 ad quem?
Concludetur secans	28794.
Cujus arcus pro quæsito latere B C	69 gr. 41.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem basis recti A C	27475.
Ita tangens arcus differentiæ cruris A B	56713 ad quem?
Concludetur secans	155819.
Cujus arcus pro quæsito angulo A.	86 gr. 19.

Investi-

Investigatio anguli C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ basis recti A C	10842.
Ita sinus cruris A B	1717 ad quem?
Concludetur sinus	1849.
Cujus arcus	10 gr. 39.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito angulo C	169 gr. 21.

DEMONSTRATIO.

Et primùm quidem ad investigationem lateris B C.

Per 25 propositionem est

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum arcus differentiæ alterius recti cruris:
Ita sinus arcus differentiæ secundi recti cruris,
Ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi.

Sed antecedens & consequens secundæ rationis cum sint arcus differentiæ, erunt reciprocè proportionales secantibus suorum expositorum arcuum, per conf. 25 propositionis, hoc est quemadmodum sinus arcus differentiæ secundi recti cruris, ad sinum arcus differentiæ lateris recto subtensi: Ita secans basis, ad secantem secundi recti cruris. Ex æquo igitur

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum arcus differentiæ alterius recti cruris:
Ita secans basis,
Ad secantem reliqui recti cruris.

At isti sunt termini constructionis seu pragmatiæ in inventione lateris B C primi exempli, ideo quartus 13451 est secans quæsiti B C. Atque eadem demonstratio ex erit ad inventionem secantium lateris B C in reliquis tribus paradigmatis. Verùm quia 13541 secans ad duos arcus refertur quorum hic quadrante minor, ille major sit per 8 definitionem de fabrica sinuum, quæri potest uter eorum sit quæsitus? respondeo minorem, idque hac de causa: Cum basis recti A C quadrante minor sit, reliqua latera aut paritèr deficient, aut paritèr quadranti præstabunt per 3 propositionem: Sed A B ex thesi minor est: itaque etiam B C.

In secundo autem exemplo B C quadrante major sumptus est; Quia cum basis recti A C quadranti præstet, alterum crus majus, alterum minus erit per 3 propositionem: At A B minor est: itaque B C major. In tertio exemplo B C necessariò major erat, cum enim basis recti A C minor sit, reliqua latera aut pariter deficiunt, aut paritèr excedunt per 3 propositionem: sed A B major est: itaque etiam B C. Denique in quarto paradigmate B C necessariò minor erat, quòd recti basis A C esset major ex thesi, & ideo reliquorum laterum alterum majus, alterum minus per 3 propositionem; At A B major est: B C igitur minor.

Secundò demonstratur inventio anguli A.

1 MEMBRVM.

Enimverò per 28 propositionem est
Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem basis recti:
Ita sinus anguli differentiæ alterutrius obliqui,
Ad tangentem recti cruris eidem obliquo contermini.

2 MEMBRVM.

Sed si tertius terminus sit sinus anguli differentiæ, sinus recti est media proportionalis inter eundem tertium & secantem sui expositi per conf. 21 propositionis, quare rectangulum à tertio termino & secante sui expositi comprehensum, æquatur quadrato sinus recti.

3 MEMBRVM.

Porrò cum quartus 1 membri terminus sit tangens recti cruris, sinus recti est media proportionalis inter eundem quartum & sui arcus differentię tangentem per 19 propositionem, ideo rectangulum à quarto termino & sui arcus differentiæ tangente comprehensus, æquatur quadrato sinus recti, quare etiam idem rectangulum æquale est rectangulo è tertio termino & sui expositi secante, nam per 2 membrum eidem dicto quadrato æquatur: His assertis, latera erunt reciprocè proportionalia, id est ut tertius terminus, ad quartum: ita tangens, arcus differentiæ quarti termini, ad tertii termini secantem. Et iterum, quemadmodum sinus anguli differentiæ obliqui anguli, ad tangentem recti cruris eidem obliquo contermini: Ita tangens arcus differentiæ dicti cruris, ad secantem obliqui anguli eidem contermini. Et æqueordinatè
Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem basis recti:
Ita tangens arcus differentiæ cruris recti,
Ad secantem obliqui anguli eidem recto contermini.

Hi autem sunt quatuor termini pragmatiæ ad inventionem anguli A primi exempli: Quartus igitur 21065 erit secans quæsiti anguli A. Eadem demonstratio erit investigationis anguli A in reliquis tribus exemplis. Verùm quandoquidem secans 21065 duobus arcubus pariter inservit, quorum hic major ille minor sit quadrante, per 8 definitionē de fabrica sinuum, quæri potest uter eorum quæstioni satisfaciat? respondeo minorem, idque hac de causa: Cum basis recti A C à quadrante deficiat, utraque reliqua pariter quadranti præstabunt, aut pariter deficient per 3 propositionem. Sed A B deficit. Itaque etiam B C: & angulus ei subtensus acutus est per 2 propositionem.

Quod autem in secundo paradigmate angulus A obtusus sumptus sit, id ea de causa fit: Cum basis recti A C quadrantem excedat, alterum recti crus quadranti præstabit, alterum deficiet, per 3 propositionē, sed A B minor est. Itaque B C major: & angulus A huic subtensus obtusus per 2 propositionem. Angulus autem A in tertio paradigmate necessariò obtusus erat, quia enim A C basis recti quadrante minor, duo crura aut pariter minora, aut pariter majora erunt per 3 propositionem. Sed A B est major. Itaque etiam B C: & angulus A ab hoc subtensus obtusus per 2 propositionem. Denique in 4 exemplo A acutus erat, cum enim basis recti A C quadrante major sit, alterum crus erit majus, alterum

terum verò minus, per 3 propositionem. Sed A B majus est: B C igitur minus & angulus A huic subtensus acutus, per 2 propositionem.

Tertiò demonstratur investigatio anguli C.

Per inversionem rationum 23 propositionis est
Quemadmodum sinus basis recti,
Ad sinum recti:
Ita sinus alterutrius recti cruris,
Ad sinum anguli ab eo subtensi.

Sed quemadmodum sinus basis recti, ad sinum recti: Ita sinus recti, ad secantem arcus differentiæ ipsius basis, per 21 propositionem. Itaque
Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem arcus differentiæ ipsius basis:
Ita sinus recti cruris,
Ad sinum anguli quem subtendit.

Verùm illi ipsi sunt quatuor termini pragmatiæ ad investigationẽ anguli C primi paradigmatis adhibiti, & ideo quartus 6428 erit sinus quæsiti anguli C. Eadem demonstratio fuerit investigationis anguli C in reliquis tribus paradigmatis: cum autem 6428 duorum arcuum sinus sit, quorum unus quadrante major, alter minor est per 8 definitionem de fabrica sinuum, quæri posset uter eorum proposito problemati serviat? respondeo minorem, cum enim A B minor sit, angulus C ab eo subtensus acutus erit per 2 propositionem. Et in 2 exemplo latus ei subtensum minus ponitur, ergo C quoque acutus erit. In 3 autem & 4, A B major angulũ C obtusum facit, per eandem 2 propositionem.

CONCLUSIO. Itaq; cognitis trianguli sphærici rectanguli angulo recto, base, & crure recti, tertium latus & reliquos duos angulos invenimus. Quod facere oportuit.

2 PROBLEMA. 33 PROPOSITIO.

COGNITO sphærici rectanguli trianguli angulo recto, & utroque crure recti: basin & reliquos angulos invenire.

Tres cogniti termini cadunt in horum trium modorum aliquem.



Cumque horum pragmatiæ tribus modis varientur, uniuscujusque exemplum dabimus.

1 *Exemplum ad 1 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, latus AB 29 gr. 30 ①, & BC 42 gr. 24 ①.

QVÆSITVM. Basis recti AC, & reliqui duo anguli A, C, inveniendi sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio basis recti A C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem alterius recti cruris ut puta BC	13542.
Ita secans reliqui cruris AB	11489 ad quem?
Concludetur secans	15558.
Cujus arcus pro quæsito AC	50 gr.

Investigatio anguli A.


Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ alterius cogniti recti cruris quæsito angulo A contermini, id est AB	20308.
Ita tangens reliqui cruris BC	9131 ad quem?
Concludetur secans	18543.
Cujus arcus pro quæsito angulo A	61 gr. 40.

Investigatio anguli C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ cogniti recti cruris quæsito angulo C contermini, id est BC	14830.
Ita tangens reliqui cruris AB	5658 ad quem?
Concludetur tangens	8391.
Cujus arcus pro quæsito angulo C	40 gr.

2 *Exemplum ad 2 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto sphærici trianguli ABC angulus B rectus, AB 170 grad. & BC 69 gr. 41 ①.

QVÆSITVM. Basis recti AC, & reliqui duo anguli A, C, inveniendi sunto.

CON-

CONSTRVCTIO.

Investigatio basis recti A C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem alterius recti cruris ut puta B C	28801.
Ita secans reliqui cruris A B	10154 ad quem.
Concludetur secans	29245.
Cujus arcus	70 gr.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito A C	110 gr.

Investigatio anguli A.


Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ cogniti lateris quæsito angulo A contermini, id est arcus A B	57588.
Ita tangens reliqui cruris B C	27009 ad quem.
Concludetur secans	155539.
Cujus arcus pro quæsito angulo	86 gr. 19.

Investigatio anguli C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ cogniti lateris quæsito angulo C contermini, id est arcus B C	10663.
Ita tangens reliqui cruris A B	1763 ad quem.
Concludetur tangens	1880.
Cujus arcus	10 gr. 39.
Deductus de	180 gr.
Relinquit quæsitum angulum C	169 gr. 21.

3 *Exemplum de 3 hujus formæ triangulo.*





Datum. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, latus A B 131 gr. 2 ①, & B C 168 gr. 16 ①.

Quæsitum. Basis recti A C, & reliqui anguli A, C, inveniendi sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio basis recti A C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem alterius recti cruris ut B C	10213.
Ita secans reliqui cruris A B	15232 ad quem.
Concludetur secans	15556.
Cujus arcus pro quæsita basi A C	50 gr.

Investi-

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ cogniti lateris quæsito angulo A contermini, id est arcus AB	13254.
Ita tangens reliqui recti cruris BC	2077 ad quem?
Concludetur tangens	2753.
Cujus arcus	15 gr. 23.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum angulum A	164 gr. 37.

Investigatio anguli C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
At secautem arcus differentiæ cogniti lateris quæsito angulo C contermini, id est arcus BC	49175.
Ita tangens reliqui recti cruris AB	11490 ad quem?
Concludetur tangens	56502.
Cujus arcus	79 gr. 58.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito angulo C	100 gr. 2.

DEMONSTRATIO.

Et primùm quidem ad investigationem basis recti AC.

Per 25 propositionem est

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum arcus differentiæ alterius recti cruris:
Ita sinus arcus differentiæ reliqui recti cruris,
Ad sinum arcus differentiæ basis recti.

Sed secans recti cruris, qui in hac proportione secundus est terminus, ad sinum recti eandem habet rationem, quam sinus recti, ad sinum arcus differentiæ ejusdem dicti recti cruris, per conf. 21 propositionis, itaque

Quemadmodum secans alterius recti cruris,
Ad sinum recti:
Ita sinus arcus differentiæ reliqui recti cruris,
Ad sinum arcus differentiæ basis recti.

Sed antecedens & consequens secundæ rationis sunt reciprocè proportionales secantibus suorum expositorum per conf. 22. propositionis, id est, quemadmodum sinus arcus differentiæ reliqui cruris, ad sinum arcus differentiæ basis recti: Ita secans basis, ad secantem dicti reliqui cruris, ex æquo igitur

Quemadmodum secans alterius recti cruris,
Ad sinum recti:
Ita secans basis recti
Ad secantem reliqui recti cruris.

Et inversè,

Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem alterius recti cruris:
Ita secans reliqui cruris,
Ad secantem basis recti.

Isti autem termini nobis adhibiti sunt ad investigationem basis recti AC in pri-

in primo paradigmate, & 15558 igitur fuerit secans quæsiti lateris A C recto subtensi. Atque eadem demonstratio erit inventionis basis recti A C in duobus reliquis exemplis. Verum quia 15558 ad duos arcus refertur, quorum hic quadrante major, ille minor sit per 8 definitionem de fabrica sinuum, quæri potest uter eorum huic problemati serviat? respondeo minorem, quia recti anguli crura A B, B C, sigillatim quadrante minora sunt, etiam basis recti A C minor erit per 3 propositionem. Cur autem A C in 2 exemplo major positus sit, ratio patet ex eadem 3 propositione, quia alterum recti crus B C minus est, alterum A B majus. Cumque duo crura recti anguli in 3 paradigmate majora sint, basis A C necessariò minor fuerit.

Secundò demonstratur inventio angulorum A, C.

Per 27 propositionem est

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum alterius recti cruris:
Ita tangens obliqui anguli eidem cruri contermini,
Ad tangentem reliqui cruris recti anguli.

Sed secans arcus differentiæ recti anguli cruris (qui hic consequens est primæ rationis,) ita se habet ad sinum recti: ut sinus recti, ad sinum ejusdem dicti recti cruris, qui consequens est primæ rationis per 21 propositionem, & æque ordinatè

Vt secans arcus differentiæ alterius recti cruris,
Ad sinum recti:
Ita tangens obliqui anguli dicto cruri contermini,
Ad tangentem reliqui recti cruris.

Et inversè,

Vt sinus recti,
Ad secantem arcus differentiæ alterius recti cruris:
Ita tangens reliqui recti cruris,
Ad tangentem obliqui anguli primo cruri contermini.

Cumque hi sint termini in investigatione anguli A usurpati, etiam 18543 fuerit tangens quæsiti anguli A. Eadem demonstratio est investigationis anguli A in reliquis duobus, vel etiam anguli C in omnibus tribus paradigmatis. Sed tamen quia 18543 tangens est duorum arcuum, quorum hic quadrante major, ille minor sit, per 7 definitionem de fabrica sinuum, quæri potest uter horum quæsito satisfaciat? respondeo minorem, cum enim B C subtendens angulum A minor sit, etiam A acutus erit, per 2 propositionem: Atque eâdem ratione angulus C in primo exemplo acutus esse arguitur. In 2 autem angulus A necessariò acutus, & C obtusus positus est, latus enim angulo A oppositum quadranti cedit, sed angulo C subtensum præstat. Denique cum latera A B, B C, in tertio paradigmate sigillatim quadrante majora sint, anguli A, C, obtusi sunt per 2 propositionem.


Conclvsio. Cognitis igitur sphærici rectanguli trianguli angulo recto, & utroque crure recti, basin & reliquos angulos invenimus. Quod faciendum erat.

3 PRO-

3 PROBLEMA. 34 PROPOSITIO.

SPHÆRICI rectãguli triãguli angulo recto, uno obliquorum, & baſe cognitis: Tertium angulũ & reliqua invenire.


Tres cogniti termini in aliquem horum quatuor modorum incidunt.



Cumque eorum pragmatia ſit quadruplex, uniuſcujuſque exemplum dabimus.

1 *Exemplum de 1 hujus formæ triangulo.*





DATUM. Eſto A B C ſphæricum triangulum, cujus angulus B rectus ſit, C obliquus 40 grad. & baſis recti A C 50 grad.

QUAESITUM. Tertius angulus A, & reliqua latera AB, BC invenienda ſunt.

CONSTRUCTIO.

Inveſtigatio anguli A.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſecantem baſis recti A C	155557.
Ita tangens anguli differentiæ propoſiti C	11918 ad quem?
Concludetur tangens	18541.
Cujus arcus pro quæſito angulo A	61 gr. 40.

Inveſtigatio lateris AB.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſinum baſis recti A C	7660.
Ita ſinus obliqui anguli C	6428 ad quem?
Concludetur ſinus	4924.
Cujus arcus pro quæſito latere A D	29 gr. 30.


Inveſtigatio lateris BC.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſinum anguli differentiæ ipſius C	7660.
Ita tangens baſis recti A C	11918 ad quem?
Concludetur tangens	9129.
Cujus arcus pro quæſito latere B C	42 gr. 24.

2 *Exem-*

2 *Exemplum de 2 hujus formæ triangulo.*





DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, C obliquus 40 gr. basis recti A C 110 grad.

QUAESITUM. Tertius angulus A, & reliqua latera A B, B C invenienda sunto.

CONSTRUCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem basis recti A C	29238.
Ita tangens anguli differentiæ obliqui anguli C	11918 ad quem?
Concludetur tangens	34846.
Cujus arcus	73 gr. 39.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum angulum A	106 gr. 1.

Investigatio lateris A B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum basis recti A C	9397.
Ita sinus obliqui anguli C	6428 ad quem?
Concludetur sinus	6040.
Cujus arcus pro quæsito latere A B	37 gr. 10.


Investigatio lateris B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli differentiæ ipsius C	7660.
Ita tangens basis recti A C	27475 ad quem?
Concludetur tangens	21046.
Cujus arcus	64 gr. 35.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito latere B C	115 gr. 25.

3 *Exemplum de 3 hujus formæ triangulo.*



DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, C obliquus 100 gr. & basis recti AC 50 gr.



QVAESITVM. Tertius angulus A, & reliqua duo latera AB, BC invenienda sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem basis recti AC	15557.
Ita tangens anguli differentiæ ipsius C	1763 ad quem?
Concludetur tangens.	2743.
Cujus arcus	15 gr.20.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito angulo A	164 gr.40.

Investigatio lateris AB.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum basis recti AC	7660.
Ita sinus obliqui anguli C	9848 ad quem?
Concludetur sinus	7544.
Cujus arcus	48 gr.58.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito latere AB	131 gr.2.


Investigatio lateris BC.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum arcus differentiæ ipsius C	1737.
Ita tangens basis recti AC	11918 ad quem?
Concludetur tangens	2070.
Cujus arcus	11 gr.42.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito latere BC	168 gr.18.

4 *Exemplum de 4 hujus formæ triangulo.*



DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, C obliquus 169 gr.21 ①, & latus AC 110 gr.



QVAESITVM. Tertius angulus A, & reliqua latera AB, BC invenienda sunto.

CON-

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
At secantem basis recti A C	29238.
Ita tangens anguli differentiæ, anguli C	53178 ad quem?
Concludetur tangens	155482.
Cujus arcus pro quæsito angulo A	86 gr. 19.

Investigatio lateris A B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum basis recti A C	9397.
Ita tangens obliqui anguli C	1848 ad quem?
Concludetur sinus	1737.
Cujus arcus	10 gr.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito latere A B	170 gr.

Investigatio lateris B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli differentiæ ipsius C	9828.
Ita tangens basis recti A C	27475 ad quem?
Concludetur tangens	27002.
Cujus arcus pro quæsito latere B C	69 gr. 41.

DEMONSTRATIO.

Et primùm quidem ad investigationem anguli A.

Enimverò per 29 propositionem fuerit

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum arcus differentiæ basis recti:
Ita tangens unius obliqui anguli,
Ad tangentem arcus differentiæ reliqui obliqui.

Sed secans basis recti eandem habet rationem ad sinum recti, quam sinus recti, ad sinum arcus differentiæ basis, per 21 propositionem. Ex æquo igitur,

Quemadmodum secans basis recti,
Ad sinum recti:
Ita tangens unius obliqui anguli,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui.

Et inversè,

Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem basis recti:
Ita tangens anguli differentiæ unius obliqui anguli,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui.

Verum istiusmodi fuerunt quatuor pragmatiæ termini ad inveniendum angulum A in primo paradigmate: ideo 18541 fuerit tangens quæsiti anguli A. Eadem demóstratio est inventionis anguli A in reliquis tribus exemplis. Cum autem 18541 tangens sit duorum arcuum, quorum hic quadrante major, ille

minor ſit, per 7 definitionem de fabrica ſinuum, quæri poteſt uter eorum quæſito ſatisfaciat? reſpondeo minorem, idque hac de cauſa. Cum angulus C acutus ſit, latus ei oppoſitum A B minus erit per 2 propoſitionem: Porro cum baſis recti A C minor quoque ſit, reliqua duo latera A B, B C pariter minora, aut pariter majora erunt per 3 propoſitionem. Sed A B minus eſt. Igitur & B C: & propterea angulus A ab hoc ſubtenſus acutus per 2 propoſitionem. In 2 A obtuſus eſt: nam quia C acutus eſt, A B minus erit, & quia baſis A C major eſt, reliquum crus B C majus quoque erit, & oppoſitus angulus A obtuſus.

Quod autem in tertio paradigmate angulus A obtuſus ſumptus ſit, id eâ causâ fit: cum angulus C obtuſus ſit, latus ei oppoſitum A B quadrante majus fuerit: Et cum baſis recti A C minor ſit, reliqua duo latera aut pariter majora, aut pariter minora erunt per 3 propoſitionem. Sed A B majus eſt. Igitur & B C: Ideo angulus ab hoc ſubtēſus obtuſus per 2 propoſitionem. In quarto paradigmate angulus A acutus eſt. Cum enim angulus C obtuſus ſit latus ei ſubtenſum A B quadrāte majus erit per 2 propoſitionē: Porro cum A C majus ſit, reliquorū laterum alterum majus, alterū minus erit, per cōſectarium 3 propoſitionis, ſed A B majus eſt. B C igitur minus: ideoq; angulus oppoſitus A acutus.

Secundò demonſtratur inventio cruris recti A B.

Etenim per 23 propoſitionem eſt,
Quemadmodum ſinus recti,
Ad ſinum baſis recti:
Ita ſinus alterius obliqui,
Ad ſinum lateris hunc ſubtendentis.

Hi autem ſunt quatuor termini ad inveſtigationē lateris A B in primo exemplo adhibiti, & ideo 4924 eſt ſinus quæſiti A B. Eadem demonſtratio erit inveſtigationis tangentium lateris A B in reliquis tribus exemplis. Verum enimvero cum 4924 ſit ſinus duorum arcuum, quorum hic major, ille minor ſit quadrante, per 2 definitionem de fabrica ſinuum, quæri poſſet ut eorum problemati ſatisfaciat? reſpondeo minorem: Cum enim angulus C ei oppoſitus acutus ſit, per 2 propoſitionem ipſum latus minus erit. Quod verò A B in ſecundo paradigmate minor ſumptus ſit, in 3 autem & 4 major, hinc eſt, quod angulus illi oppoſitus acutus ſit, qui verò ab his ſubtenduntur obtuſi.

Tertiò demonſtratur inveſtigatio recti cruris B C.

Etenim per 28 propoſitionem eſt,
Quemadmodum ſinus recti,
Ad tangentem baſis recti:
Ita ſinus anguli differentiæ obliqui anguli,
Ad tangentem recti cruris eidem obliquo contermini.

Hi autem ſunt quatuor termini in inveſtigatione recti cruris B C in primo paradigmate uſurpati, ideo quartus 9129 eſt tangens lateris B C. Eadem erit demonſtratio ad inveſtigationem tangentis B C in reliquis tribus paradigmatis: Veruntamen cum 9129 ſit tangens ſit duorum arcuum, quorum hic quadrante major eſt, ille minor, per 7 definitionem de fabrica ſinuum, quæri poteſt uter eorum quæſtioni ſatisfaciat? reſpondeo minorem: Etenim baſis A C quadrante minor eſt, quare anguli A, C, pariter acuti, aut pariter obtuſi ſunt per conſ. 5 propoſitionis. At C acutus eſt. Igitur & A, & per conſequens latus huic oppoſitum quadrante minus, per conſ. 2 propoſitionis.

Latus


Latus autem B C in secundo paradigmate minus sumpsimus: Cum enim anguli recti basis A C quadranti præstet, alter reliquorum angulorum A, C, acutus, alter obtusus erit per cons. 5 propositionis. Sed C acutus est, itaque A obtusus: & latus ei oppositum B C quadrante majus per cons. 2 propositionis. At in tertio exemplo latus B C necessariò quadrante majus erat. Nam cum basis recti A C minor esset, anguli A, C, pariter acuti, pariter obtusi fuerint, per cons. 5 propositionis. Sed C obtusus est. Igitur & A; atque ideo latus hunc subtendens quadrante majus, per cons. 2 propositionis. In quarto exemplo latus B C necessariò minus sumptum est, cum enim basis recti A C major sit, alter angulorum A, C, acutus, alter obtusus fuerit, per cons. 5 propositionis. Sed C obtusus est, itaque A acutus; & latus B C & oppositum quadrante minus, per cons. 2 propositionis.

Conclusio. Trianguli igitur rectanguli sphærici angulo recto, obliquorum altero, & base recti cognitis, tertium angulum & reliqua latera invenimus. Quod erat propositum.

4 PROBLEMA. 35 PROPOSITIO.


Rectanguli sphærici trianguli angulo recto, obliquorum altero, & latere eidem opposito cognitis: Tertium angulum & reliqua latera invenire.

Tres termini cogniti in horum trium modorum aliquem incidunt.



Et cum utriusque operationis eadem sit ratio, exemplum duntaxat unicum dabimus.

Datum. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, C obliquus 40 gr. & latus A C 29 grad. 30.



Quaesitum. Tertius angulus A, & reliqua duo latera A C, B C invenienda sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem lateris A B	11489.
Ita sinus anguli differentiæ ipsius C	7660 ad quem:
Concludetur sinus	8801
Cujus arcus pro quæsito angulo A primæ determinationis	61 gr. 40.
Qui deductus de	180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione	118 gr. 20.

Investigatio basis recti A C.


Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli differentiæ ipsius C	15557.
Ita sinus arcus A B	4924 ad quem?
Concludetur sinus	7660.
Cujus arcus pro quæsito latere A C primæ determinationis	50 gr.
Hic deductus de	180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione.	130 gr.

Investigatio recti cruris B C.


Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem anguli differentiæ ipsius C	11918.
Ita tangens A B	5658 ad quem?
Concludetur sinus	6743.
Cujus arcus pro quæsito latere B C primæ determinationis	42 gr. 24.
Hic deductus de	180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione	137 gr. 36.

NOTA AD GEMINAM CONCLVSIONEM.

SVPRA attigimus, quemvis quæsitum terminum duplicem admittere determinationem, alteram majorem, alteram minorem 90 gradib. ubi non intelliges unum atque idem latus, aut angulum ejusdem trianguli majus, & minus esse posse, sed majus, aut minus. Quod ut apertius exprimam, ita habe, duo triangula, quorum cogniti termini æquales sint, terminos ignoratos inæquales habere posse. Sic dicis causâ expositum esto sphæricum triangulum A B C, item alterum A B D, ut angulus D acutus, angulo A C B



æqualis sit. Quibus positis, tres cogniti termini unius trianguli, tribus cognitis alterius æquantur, ignorati autem non item. Vnde intelliges primas determinationes conclusionesvé referri ad triangulum A B C, secundas verò ad triangulum A B D. Vt autem exemplum demus ubi C angulus obtusus sit, esto secundò ABC sphæricum triangulum, & alterum A B D, cujus angulus obtusus D, angulo A B C æquetur: His assertis, tres cogniti termini trianguli unius, æquant tres cognitos terminos alterius, ignorati autem inæquales sunt. Vbi animadvertes minimam determinationem anguli A, & maximam oppositi lateris, servire triangulo A B C: Sed maximam anguli A, & minimam oppositi lateris determinationem ad triangulum A B D referri.



Quæ hic nobis dicta sunt super hac ancipiti laterum & angulorum definitione, eadem locum habent in sequentibus, ubicunque duplicis determinationis mentio fiet.

DEMON-

DEMONSTRATIO.

Et primùm quidem ad investigationem anguli A.

Enimverò alternando invertendoque rationes 26 propositionis, erit;
Quemadmodum sinus arcus differentiæ unius recti cruris
Ad sinum recti:
Ita sinus anguli differentiæ obliqui anguli dicto cruri oppositi,
Ad sinum reliqui obliqui.

Sed quemadmodum sinus arcus differentiæ unius recti cruris, ad sinum recti: Ita sinus recti, ad secantem ejusdem expositi recti cruris, per consf. 21 propositionis, ex æquo igitur
Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem recti cruris:
Ita sinus anguli differentiæ obliqui anguli, qui dicto cruri opponitur,
Ad sinum reliqui obliqui anguli.

Isti autem sunt quatuor termini ad pragmatiam investigationis quæsiti anguli A adhibiti. Ideo 8801 est sinus quæsiti anguli A. Cum autem 8801 duorum arcuum sinus sit, quorum hic quadrante major, ille minor est, per 2 definitionem de fabrica sinuum, quæri posset uter illorum quæsito satisfaciat? respondeo utrumque (in diversis tamen triangulis, quæ eosdem cognitos habeant terminos, ut in Notis paulo ante expositū est) idque hac de causa: Cum angulus A, & duo latera B C, A C ignorentur, sequitur si angulus A fingatur acutus, latus B C ei oppositum quadranti cedere, per consf. 2 propositionis; & quia B C, & reliquum cognitū recti crus sigillatim quadranti cedunt, etiam basin per 3 propositionem minorem esse. Sin A sumatur obtusus, latus B C ei oppositum, per consf. 2 propositionis præstare, & similiter basin recti A C majorem esse per 3 propositionem.

Secundò demonstratur inventio basis recti A C.

Enimverò per alternationem 23 propositionis
Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum anguli obliqui;
Ita sinus basis recti,
Ad sinum lateris dicto obliquo subtensi.

Sed secans anguli differentiæ obliqui anguli, sinus recti, & ejusdem obliqui anguli sinus continuè analogi sunt, per 21 propositionem. Ex æquo igitur
Quemadmodum secans anguli differentiæ alterutrius obliqui,
Ad sinum recti:
Ita sinus basis recti,
Ad sinum lateris dicto obliquo subtensi.

Et inversè,
Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem anguli differentiæ obliqui anguli:
Ita sinus lateris dicto obliquo oppositi,
Ad sinum basis recti.

Verùm istiusmodi sunt quatuor termini constructionis seu pragmatiæ in investigatione basis recti A C usurpati. Ideo 7660 erit sinus quæsitæ basis A C: Verumtamen cum is ad duos arcus referatur, interrogari posset uter eorum problemati satisfaciat? respondeo utrumque (in diversis tamen triangulis, quo-

rum cogniti termini æquales sint, ut in Notis paulò ante expressimus) idq; hac de causa: Quia angulus A, & latera B C, A C, ignorantur, si basis recti A C quadrãti cedat, & crus recti B C, per conf. 3 propositionis, quadranti cedet, tum enim A B, & B C sigillatim deficiunt. Sin verò basis recti A C quadrantem excedat, B C quoque excedet, per idem conf. 3 propositionis, quia alterum crus A B minus est.

Tertiò demonstratur investigatio cruris anguli recti BC.

Enimverò per alternationum rationum 27 propositionis, est
Quemadmodum tangens obliqui anguli,
Ad sinum recti:
Ita tangens lateris obliquo oppositi,
Ad sinum reliqui cruris anguli recti.

Sed ut tangens obliqui anguli, ad sinum recti: ita sinus recti, ad tangentem anguli differentiæ ejusdem obliqui per 19 propositionem. Et ex æquo,
Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem anguli differentiæ obliqui anguli:
Ita tangens recti cruris eidem obliquo oppositi,
Ad sinum reliqui recti cruris.


Istiusmodi autem sunt quatuor termini ad inventionem recti cruris B C adhibiti, ideo 6743 est sinus quæsiti cruris B C. Verumenimverò cum sinus 6743 ad duos arcus referatur, quorum hic quadranti cedit, ille autem, per 2 definitionem de fabrica sinuum, excedit, quæri posset uter eorum quæsito satisfaciat? respondeo utrumque (in diversis tamen triangulis, quorum cogniti termini æquales sint, ut fusius in Notis expositum est) Nam cum angulus A, & duo latera B C, A C, ignorentur, hinc efficitur si B C quadranti cedat, oppositum angulum A acutum esse per 2 propositionem, & ideo recti basin A C quoque deficere per 3 propositionem, quia A B, B C sigillatim minores sunt. Verum si B C quadranti præstet, oppositum angulum A obtusum, per 2 propositionem, & basin A C per 3 propositionem majorem esse, quia alterum crus A B minus, alterum B C majus est.

CONCLUSIO. Trianguli igitur rectanguli sphærici angulo recto, obliquorum altero, & base recti cognitis, tertium angulum & reliqua latera invenimus. Quod erat propositum.

5 PROBLEMA. 36 PROPOSITIO.

TRIANGULI rectanguli sphærici angulo recto, obliquorum altero, & eorum communi crure cognitis: tertium angulum & reliqua latera invenire.

Tres cogniti termini incidunt in horum quatuor modorum aliquem.




Cumque horum pragmatia sit quadruplex, uniuscujusque peculiare exemplum dabimus.

1 *Exem-*

1 *Exemplum ad 1 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, C 40 gr. & BC commune utriusque anguli crus 42 gr. 24 ①.

QVAESITVM. Tertius angulus A & reliqua latera AB, AC, invenienda sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli differentiæ expositi C	15557.
Ita secans lateris BC	13542 ad quem?
Concludetur secans	21067.
Cujus arcus pro quæsito angulo A.	61 gr. 40.

Investigatio cruris recti anguli AB.


Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum lateris BC	6743.
Ita tangens anguli C	8391 ad quem?
Concludetur tangens	5658.
Cujus arcus pro quæsito latere AB	29 gr. 30.

Investigatio basis recti AC.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli C	13054.
Ita tangens lateris BC	9131 ad quem?
Concludetur tangens	11920.
Cujus arcus pro quæsita anguli recti base AC	50 gr.

2 *Exemplum de 2 hujus formæ triangulo.*





DATVM. Esto ABC sphæricū triangulum, cujus angulus B rectus, C 169 gr. 21 ①, & BC commune utriusque crus sit 69 graduum 41 ①.

QVAESITVM. Tertium angulum A, & reliqua latera AB, AC invenienda sunto.

CON-

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſecantem anguli differentiæ ipſius C	54110.
Ita ſecans arcus B C	28801 ad quem?
Concludetur ſecans	155842.
Cujus arcus pro quæſito angulo A	86 gr. 19.

Investigatio recti cruris A B.


Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſinum lateris B C	9378.
Ita tangens anguli C	1881 ad quem?
Concludetur tangens	1764.
Cujus arcus	10 gr.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæſito latere A B	170 gr.

Investigatio baſis recti A C.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſecantem anguli C	10175.
Ita tangens lateris B C	27009 ad quem?
Concludetur tangens	27482.
Cujus arcus	70 gr.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæſita recti anguli baſe A C	110 gr.

3 *Exemplum de 3 hujus formæ triangulo.*





DATVM. Eſto A B C ſphæricum triangulum, cujus angulus B rectus ſit, C 40 gr. & commune crus B C 115 gr. 25 ①.

QVAESITVM. Tertius angulus A, & reliqua latera A B, A C, invenienda ſunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſecantem arcus differentiæ ipſius C	15557.
Ita ſecans lateris B C	23299 ad quem?
Concluditur ſecans	36246.
Cujus arcus	73 gr. 59.
Deductus de	180 gr.
Relinquit pro quæſito angulo A	106 gr. 1.

Investi-

Investigatio recti cruris AB.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum lateris BC	9032.
Ita tangens anguli C	8391 ad quem?
Concludetur tangens	7579.
Cujus arcus pro quæsito crure AB	37 gr. 9.

Investigatio basis recti AC.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli C	13054.
Ita tangens lateris BC	21044 ad quem?
Concludetur tangens	27471.
Cujus arcus	70 gr.
Deductus de	180.
Relinquet pro quæsita base AC	110 gr.

4 *Exemplum de 4 hujus formæ triangulo.*





DATUM. Esto sphæricum triangulum ABC, cujus angulus B rectus, C 100 gr. 2 ①, & commune crus BC 168 gr. 16 ①.

QUAESITUM. Tertius angulus A & reliqua latera AB, AC invenienda sunto.

CONSTRUCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli differentiæ ipsius C	10155.
Ita secans lateris BC	10214 ad quem?
Concludetur secans	10372.
Cujus arcus	15 gr. 24.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito angulo A	164 gr. 36.

Investigatio recti anguli cruris AB.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum lateris BC	2034.
Ita tangens anguli C	56521 ad quem?
Concludetur tangens	11496.
Cujus arcus	48 gr. 59.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito crure AB	131 gr. 1.

Investi-

Investigatio basis recti A C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli C	57398.
Ita tangens lateris B C	2077 ad quem?
Concludetur tangens	11922.
Cujus arcus pro quæsita base A C	50 gr. 1.

DEMONSTRATIO.

Et quidem primum ad inventionem anguli A.

Enimverò per 26 propositionem
Quemadmodum sinus obliqui anguli,
Ad sinum recti:
Ita sinus anguli differentiæ reliqui obliqui,
Ad sinum arcus differentiæ lateris sibi oppositi.

Sed quemadmodum sinus obliqui anguli, ad sinum recti: Ita sinus recti, ad secantem anguli differentiæ ejusdem obliqui anguli, per 21 propositionem. Ex æquo igitur,
Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem anguli differentiæ unius obliqui:
Ita sinus anguli differentiæ reliqui obliqui,
Ad sinum arcus differentiæ lateris huic oppositi.

Hic autem antecedens & consequens secundæ rationis sunt arcus differentiæ, quorum sinus reciprocè proportionales sunt suorum primorum seu expositorum arcuum secantibus, per conf. 22 propositionis, id est, Quemadmodum sinus arcus differentiæ reliqui obliqui, ad sinum arcus differentiæ lateris sibi oppositi: Ita secans dicti lateris oppositi, ad secantem dicti obliqui. Et ex æquo,
Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem anguli differentiæ unius obliqui:
Ita secans lateris oppositi reliqui obliqui,
Ad secantem reliqui obliqui.

Istiusmodi autem sunt quatuor termini in investigatione anguli A usurpati in primo paradigmate: Ideo 21067 est secans quæsiti anguli A. Eadem demonstratio erit inventionis secantium anguli A in tribus reliquis exemplis. Cumque 21067 sit secans duorum arcuum, quorum hic major, ille minor sit quadrante per 8 definitionem de fabrica sinuum; quæri posset uter eorum quæsito conveniat? respondeo minorem, nam cum B C ex hypothesi minor sit, angulus oppositus A acutus fuerit per 2 propositionem. Itidem in 2 paradigmate quia B C minor est, oppositus angulus A acutus erit. At in 3 & 4 exemplo quia B C quadrantem excedit, oppositus angulus A obtusus est.

Secundò demonstratur investigatio recti cruris A B.

Enimverò per 27 propositionem
Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum alterius recti cruris:
Ita tangens obliqui anguli, qui adjacet cruri anguli recti,
Ad tangentem reliqui recti cruris.

At isti sunt quatuor termini pragmatiæ ad inveniendum latus A B in primo paradi-

paradigmate adhibiti: ideo 5658 est tangens quæsiti A B; & sic in cæteris. Verùm quia hic 5658 duorum arcuum tangens est, quorum alter quadrante major, alter minor sit per 7 definitionem de fabrica sinuum; quæri possit uter eorum problemati proposito congruens sit? respondeo minorem; cum enim angulus oppositus C acutus sit, arcus subtensus minor erit per cons. 2 propositionis. A B autē in secūdo paradigmate necessariò major erat, quia oppositus angulus C obtusus est. At A B in 3 paradigmate minor, quia oppositus angulus C acutus est. Deniq; A B in quarto paradigmate major, nā angulus oppositus C obtusus est.

Tertiò demonstratur inventio basis recti A C.

Etenim alternando rationes 28 propositionis, erit

Quemadmodum sinus recti,
Ad sinum anguli differentiæ alterutrius obliqui:
Ita tangens basis recti,
Ad tangentem recti cruris dicto obliquo contermini.

Sed, quemadmodū consequens primæ rationis, videlicet sinus anguli differentiæ alterutrius obliqui, ad sinum recti: Ita sinus recti, ad secantem ejusdem obliqui, per cons. 21 propositionis. Et inversè, Quemadmodum sinus recti, ad sinum anguli differentiæ alterutrius obliqui: Ita secans ejusdem obliqui, ad sinum recti. Ex æquo igitur,

Quemadmodum secans obliqui anguli,
Ad sinum recti:
Ita tangens basis recti,
Ad tangentem recti cruris dicto obliquo contermini.

Et inversè,

Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem obliqui anguli:
Ita tangens recti cruris dicto obliquo contermini,
Ad tangentem basis recti.

Istiusmodi autem sunt quatuor termini in investigatione basis recti A C in primo paradigmate usurpati; Ideo 11920 est tangens quæsitæ basis A C. Eadem demonstratio erit in cæteris paradigmatis super inventione baseos A C. Quia verò 11920 est tangens duorum arcuum, quorum hic quadranti cedit, ille excedit per 7 definitionem de fabrica sinuum, quæri potest uter eorum quæsito congruat, respondeo minorem: Nam angulus C acutus est, ideo A B recti crus cum subtendens quadranti cedit per cons. 2 propositionis, & cum B C reliquum crus minus quoque sit, etiam in basis recti A C, per 3 propositionem, deficiet. In secundo autem paradigmate A C major est hac de causa: quia angulus C obtusus sit, latus A B majus fuerit per cons. 2 propositionis, & cum hic B C quadranti cedat, basis A C necessariò præstabit, per 3 propositionem. Verùm in 3 exemplo basis A C major est, quia angulus C acutus, latus A B sibi subtensum, per cons. 2 propositionis, quadrante minus efficit, at reliquum B C majus est, unde basis A C, per 3 propositionem major quoque erit. Denique in quarto paradigmate basis recti A C quadranti cedit, quia angulus C obtusus est, ideoque per cons. 2 propositionis latus oppositum A B quadranti præstabit, cumque insuper & B C excedat, basis recti A C, per 3 propositionem, quadranti cedet. CONCLUSIO. Itaq, sphærici rectanguli trianguli angulo recto, obliquorum altero, & horum communi crure cognitis, tertium angulum & reliqua latera invenimus. Quod faciendum erat.

6 PROBLEMA. 37 PROPOSITIO.

COGNITIS sphærici rectanguli trianguli tribus angulis: Tria latera invenire.


Tres cogniti termini incidunt in horum trium modorum aliquem.



Quorum triplicem pragmatiam, tribus paradigmatis exhibemus.

1 *Exemplum ad 1 hujus formæ triangulum.*





DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, A 61 grad. 40 ①, & C 40 graduum.

QVÆSITVM. Tria latera invenienda sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio recti cruris A B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum obliqui anguli quæsito lateri conterminі, ut anguli A	8802.
Ita secans reliqui obliqui C	13054 ad quem?
Concludetur secans	11490.
Cujus arcus pro quæsito latere A B	29 gr. 30.

Investigatio recti cruri B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum obliqui anguli quæsito lateri contermini, ut anguli C	6428.
Ita secans reliqui obliqui A	21070 ad quem?
Concludetur secans	13544.
Cujus arcus pro quæsito latere B C est	42 gr. 25.


Investigatio basis recti A C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem alterius obliqui, ut puta A	18546.
Ita tangens reliqui obliqui C	8391 ad quem?
Concludetur secans	15562.
Cujus arcus pro quæsita basi A C	50 gr. 1.

2 *Exem-*

2 *Exemplum ad 2 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus angulus B rectus sit, A 164 grad. 36 ①, & C 100 grad. 2 ①.

QVAESITVM. Tria latera invenienda sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio recti cruris AB.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum obliqui anguli quæsito lateri A B cóterminí, id est, anguli A	2656.
Ita secans reliqui obliqui C	57398 ad quem?
Concludetur secans	15245.
Cujus arcus	49 gr.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito latere A B	131 gr.

Investigatio recti cruris B C.


Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum obliqui anguli quæsito lateri B C contermini, id est anguli C	9847.
Ita secans reliqui obliqui A	10372 ad quem?
Concludetur secans	10213.
Cujus arcus	11 gr. 15.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito latere B C	168 gr. 45.

Investigatio basis recti A C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem alterius obliqui, ut puta A	2755.
Ita tangens reliqui obliqui C	56521 ad quem?
Concludetur secans	15572.
Cujus arcus pro quæsita basi A C	50 gr. 2.

3 *Exemplum ad 3 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus B rectus sit, A 106 gr. 1 ①, & C 40 gr.

QVAESITVM. Tria latera invenienda sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio recti cruris AB.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſinum obliqui anguli, qui adjacet quæſito lateri AB, id eſt, anguli A	9612.
Ita ſecans reliqui obliqui C	13054 ad quem?
Concludetur ſecans	12548.
Cujus arcus pro quæſito latere AB	36 gr. 9.

Investigatio recti cruris BC.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad ſecantem obliqui anguli, qui adjacet quæſito lateri BC, id eſt anguli C	6428.
Ita ſecans reliqui obliqui A	36243 ad quem?
Concludetur ſecans	23297.
Cujus arcus	64 gr. 35.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæſitum latus BC	115 gr. 25.

Investigatio baſis recti AC.

Quemadmodum ſinus recti	10000.
Ad tangentem alterius obliqui ut puta A	3.836.
Ita tangens reliqui obliqui C	8391 ad quem?
Concludetur ſecans	29.31.
Cujus arcus	70 gr.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæſita baſi AC	110 gr.

DEMONSTRATIO.

Et quidem primùm ad inventionem crurum recti anguli AB, BC.

Enimverò per inverſionem rationum 26 propoſitionis,

Quemadmodum ſinus recti,
Ad ſinum alterius obliqui:
Ita ſinus arcus differentiæ lateris reliquo obliquo oppoſiti,
Ad ſinum anguli differentiæ hujus obliqui.

Verum antecedens & conſequens ſecundæ rationis, cum ſint ſinus arcuum differentiæ, ſunt reciprocè proportionales ſuórum expoſitorum ſecantibus, per conſ. 22 propoſitionis. Ex æquo igitur,

Quemadmodum ſinus recti,
Ad ſinum alterius obliqui:
Ita ſecans reliqui obliqui,
Ad ſecantem lateris ſibi oppoſiti.

Sed hi ſunt quatuor termini conſtructionis ſeu pragmatiæ primi exempli, ad inventionem lateris AB: Ideo 11490 fuerit ſecans quæſiti lateris AB. Eadem ratione demonſtrabitur inveſtigatio ſecantis arcus AB, in ſecundo & tertio paradigmate. Et quia 11490 eſt ſecans duorum arcuum, quorum hic quadrante major,

major, ille minor sit, per 8 definitionem de fabrica sinuum, quæri potest uter eorum quæsito congruat? respondeo minorem, nam cum angulus oppositus C acutus sit, A B necessariò minor erit per conf. 2 propositionis. At in secundo exemplo quia C obtusus est, latus oppositum A B majus fuerit. In tertio autem C acutus, oppositum latus A B minus facit. Haud aliter investigatio lateris B C, in omnibus paradigmatis demonstrabitur.

Secundò demonstratur inventio basis recti A C.

1 MEMBRVM.

Enimverò per alternationem rationum 29 propositionis
Quemadmodum sinus recti,
Ad secantem alterius obliqui:
Ita sinus arcus differentiæ basis recti,
Ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui.

Verùm sinus recti medius proportionalis est inter sinum arcus differentiæ basis, & secantem sui primi seu expositi, per conf. 21 propositionis: Quare etiam rectangulum comprehensum à sinu arcus differentiæ basis, & sui expositi secante, æquatur quadrato sinus recti.

2 MEMBRVM.

Præterea cum sinus recti sit media proportionalis linea inter tangentem anguli differentiæ reliqui anguli (qui consequens est secundæ rationis) & sui primi seu expositi tangentem per 19 propositionem, rectangulum à tangente anguli differentiæ dicti obliqui, & tangente sui expositi arcus comprehensum, æquabitur quadrato sinus recti; ideóque hoc rectangulum æquatur rectangulo 1 membri, & latera reciprocè proportionalia sunt: Id est, quemadmodum sinus arcus differentiæ basis, ad tangentem anguli differentiæ reliqui obliqui: ita tangens dicti obliqui, ad secantem basis recti. Et ex æquo
Quemadmodum sinus recti,
Ad tangentem alterius obliqui:
Ita tangens reliqui obliqui,
Ad secantem basis recti.

Isti autem sunt quatuor termini constructionis in investigatione basis A C in primo exemplo usurpati: ideo 15562 est secans quæsitę basis A C. Eadem demonstratio erit in cæteris super inventione basis A C. Cum autem 15562 secans sit duorum arcuum, quorum hic quadrante major ille minor sit per 8 definitionem de fabrica sinuum, quæri potest uter eorum proposito problemati conveniat? respondeo minorem, quia enim uterque obliquus A, C, acutus est, basis recti per 5 propositionem minor fuerit. Itidem in 2 basis A C minor erit, quia uterque angulus A, C, obtusus est. In 3 autem quia alter angulus A obtusus, alter C acutus est, basis, per 5 propositionem, major erit.

Conclusio. Cognitis igitur sphærici rectanguli trianguli tribus angulis, tria latera invenimus. Quod facere oportuit.


DISTINCTIO PRIMA
DE SPHÆRICIS TRIANGVLIS IN QVIBVS VNVM DVNTAXAT

latus 90 gr. cognitum datur, & angulus rectus cognitus non datur, quorum ignorati termini unica multiplicatione, ut ante in triangulis rectangulis, inveniuntur.

7 PROBLEMA. 38 PROPOSITIO.

SPHÆRICI rectanguli trianguli uno latere 90 graduum & duobus aliis terminis cognitis: reliquos tres ignoratos invenire.

Tres cogniti termini in horum feptemdecim modorum aliquem incidunt.



Cumque horum pragmatia decem modis varietur, decem exemplis theorema istud explicabimus.

1 Exemplum ad 1 & 2 hujus formæ triangulum.




NOTA.

Latera propofitorum triangulorum deinceps lineis defignabimus, reliquos autem

autem arcus quos ad præparationem pragmatiæ seu constructionis assumemus, distinctionis gratiâ continuatione punctorum definiemus.

DATUM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus latus AC sit 90 graduum, AB 68 gr. 37 ①, & angulus ABC 68 gr. 27 ①.



QUÆSITUM. Tertium latus BC, & reliqui duo anguli A, ACB inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

Investigatio lateris BC.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli ABC	27225.
Ita tangens arcus differentiæ ipsius AB	3916 ad quem?
Concludetur tangens	10661.
Cujus arcus	46 gr. 50.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito arcu BC	133 gr. 10.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum arcus differentiæ AB	3646.
Ita tangens anguli ABC	25322 ad quem?
Concludetur tangens	92.2.
Cujus arcus	42 gr 43.
Deductus de	180 gr.
Relinquet pro quæsito angulo A	137 gr. 17.

Investigatio anguli ACB.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli differentiæ ipsius ABC	10752.
Ita secans arcus differentiæ lateris AB	10739 ad quem?
Concludetur secans	11546.
Cujus arcus	30 gr.
Deductus de	90 gr.
Relinquet pro quæsito angulo ACB	60 gr.

PRAEPARATIO. Ex A tanquam polo intervallo quadrantis AC, descriptus arcus CD, intersecet continuatum arcum AB, in puncto C.


DEMONSTRATIO.

Si AB 68 gr. 37 ① subducatur de AD 90 gr. restabit BD 21 gr. 23 ①, si

deinde tollas 68 gr. 27 ① anguli A B C, de 180 gr. restabunt 111 gr. 33 ① amplitudo anguli C B D, & D rectus est. Trianguli igitur rectāguli C B D tres termini sciuntur, cumque horum ope ignoratos inveneris, etiam tres ignorati termini trianguli A B C cogniti erunt, (:namque rectanguli trianguli C B D basis B C, est quæsitum latus trianguli A B C. Secundò crus D C rectanguli trianguli C B D, est magnitudo quæsiti anguli A. Denique rectanguli trianguli C B D angulus B C D, est angulus differentiæ quæsiti A C B:) sed numeri hujus pragmatiæ, sunt illi quibus opus est ad investigandum ignoratos terminos rectanguli trianguli C B D, ut è 36 propositionis secundo exemplo perspicuum est. Ideo inventi termini, sunt quæsiti.

2 *Exemplum ad 3 & 4 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus latus A C 90 graduum sit, A B 133 gr. 10 ①, & angulus B 68 gr. 27 ①.

QVAESITVM. Tertium latus B C, & reliqui anguli A, A C B inveniendi sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli B	27225.
Ita tangens anguli differentiæ ipsius A B	9380 ad quem?
Concludetur tangens	25537.
Cujus arcus pro quæsito latere B C	68 gr. 37.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum arcus differentiæ ipsius A B	6841.
Ita tangens anguli B	25322 ad quem?
Concludetur tangens	17322.
Cujus arcus pro quæsito angulo A	60 gr.

Investigatio anguli A C B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli differentiæ ipsius B	10752.
Ita secans arcus differentiæ lateris A B	13711 ad quem?

Conclu-

Concludetur secans	14742.
Cujus arcus	47 gr. 17.
Compositus cum	90 gr.
Dabit quæsitum angulum A C B	137 gr.


PRAEPARATIO. Ex A polo, intervallo quadrantis A C describatur arcus C D, qui latus A B intersecet in puncto D.

DEMONSTRATIO.

Si A D 90 gr. demas de A B 133 gr. 10 ①, restabit D B 43 gr. 10 ①, angulus autem C B D rectus est, igitur rectanguli trianguli C D B tres termini cogniti sunt, si horum ope ignorati inveniantur, etiam tres ignorati termini dati trianguli A B C cognoscentur (nam rectanguli trianguli C D B basis B C, est quæsitum latus trianguli A B C. Secundò crus recti C D, est amplitudo quæsiti anguli A in triangulo A B C. Denique angulus B C D, rectanguli trianguli C B D, est angulus differentiæ ipsius A C B) numeri enim hujus pragmatiæ, iidem sunt quibus opus est in pragmatia ad investigandum ignotos terminos rectanguli trianguli C B D, ut constat è 36 propositionis 1 exemplo. Igitur inventi termini, sunt quæsiti.

3 Exemplum ad 5 hujus formæ triangulum.





DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus latus A C sit 90 gr. A B 68 gr. 37 ①, & angulus A C B 60 gr.

QUAESITUM. Tertium latus B C, & reliqui anguli A, A B C inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

1 Investigatio lateris B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem anguli A B C	20000.
Ita sinus arcus differentiæ ipsius A B	3646 ad quem?
Concludetur sinus	7292.
Cujus arcus pro quæsito latere B C primæ determinationis	46 gr. 49.
Hic deductus de	180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione	133 gr. 11.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem anguli C	17321.

Ita tan-

Ita tangens arcus differentiæ lateris A B	5916 ad quem?
Concluditur sinus	6782.
Cujus arcus dabit quæsitum angulum A primæ determinationis	42 gr. 43.
Hic deductus de	180 gr.
Relinquet pro secunda conclusione seu determinatione	137 gr. 17.

Investigatio anguli A B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ lateris A B	10739.
Ita sinus anguli C	8660 ad quem?
Concludetur sinus	9299.
Cujus arcus exhibet quæsitũ angulũ A B C primæ determinationis	68 gr. 26.
Hic deductus de	180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione	111 gr. 34.

PRAEPARATIO. Polo A, intervallo quadrantis A C, circinetur arcus C D, qui producto lateri A B occurrat in puncto D.

DEMONSTRATIO.


Si A D 90 gr. auferas ab A B 68 gr. 27 ①, reliquus erit B D 21 gr. 23 ①. Deinde tollas angulum A C B 60 gr. de A C D 90 gr. supererit angulus B C D 30 graduum. Rectanguli igitur trianguli C B D tres termini cogniti sunt, si horum auxilio tres ignoratos invenias, quæsiti termini trianguli A B C quoque cognoscentur, (etenim rectanguli trianguli C D B basis B C, est dati trianguli A B C quæsitum latus. Secundò C D crus recti anguli in triangulo C D B, est magnitudo quæsiti anguli A. Denique angulus C B D rectanguli trianguli C D B, est angulus differentiæ ipsius A B C) sed numeri hujus pragmatiæ, sunt illi quibus opus est ad inventionem ignoratorum terminorum rectanguli trianguli C B D, ut patet è 35 propositione. Igitur inventi hi termini, sunt quæsiti.

4 *Exemplum ad 6 hujus formæ triangulum.*



DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus latus A C 90 graduum sit, A B 133 grad. 10 ①, & angulus A C B 137 grad. 16 ①.

QUAESITUM. Tertium latus B C, & reliqui anguli A, B inveniendi sunto.



CON-

CONSTRUCTIO.

Investigatio lateris B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
At secantem complementi semiperipheriæ anguli A C B	13614.
Ita sinus arcus differentiæ lateris A B	6841 ad quem?
Concludetur sinus	9313.
Cujus arcus exhibet quæsitum latus B C primæ determinationis	68 gr. 39.
Qui subductus de	180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione	111 gr. 21.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem complementi semiperipheriæ anguli A C B	9238.
Ita tangens arcus differentiæ ipsius A B	9380 ad quem?
Concludetur sinus	8665.
Cujus arcus exhibet quæsitum angulum A primæ determinationis	60 gr. 3.
Qui sublatus de	180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione	119 gr. 57.

Investigatio anguli B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ ipsius A B	13711.
Ita sinus complementi semiperipheriæ anguli C	6786 ad quem?
Concludetur sinus	9304.
Cujus arcus exhibet quæsitum angulum B primæ determinationis	68 gr. 30.
Hic deductus de	180 gr.
Relinquet pro secundâ determinatione	111 gr. 30.

PRAEPARATIO. Polo A, intervallo quadrantis A C delineetur arcus C D, qui latus A B intersecet in D.


DEMONSTRATIO.

Subducito A D 90 gr. de A B 133 grad. 10 ①, reliquus erit D B 43 grad. 10 ①. Tum angulum A C D 90 grad. demitto de angulo A C B 137 gr. 16 ①, restabit angulus D C B 47 gr. 16 ①, & C D B rectus est. Trianguli igitur rectanguli C D B tres termini cogniti sunt, quorum auxilio tres ignotatos assequemur, iidem quoque termini quæsiti erunt dati trianguli (basis namque B C rectanguli trianguli C D B, est dati trianguli A B C quæsitum latus. Secundò anguli recti crus C D, est quæsita magnitudo anguli A, in triangulo A B C. Denique rectanguli trianguli C D B, angulus B, est etiam quæsitus angulus dati trianguli A B C.) Verum hujus pragmatiæ numeri, sunt illi ipsi quibus opus est ad inveniendum rectanguli trianguli C B D terminos ignotos, ut demonstratum est propositione 35. Ideoque inventi, sunt ii qui quærebantur.

5 *Exem-*

5 *Exemplum ad 7 & 8 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus latus A C sit 90 gr. C B 46 gr. 50 ①, & angulus A C B 60 gr.

QVAESITVM. Tertium latus A B, & reliqui anguli A, A B C inveniendi sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris A B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum lateris C B	7294.
Ita sinus anguli differentiæ ipsius A C B	5000 ad quem?
Concludetur sinus	3647.
Cujus arcus	21 gr. 23.
Deductus de	90 gr.
Relinquet quæsitum latus A B	68 gr. 37.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli C	8660.
Ita tangens lateris C B	10661 ad quem?
Concludetur tangens	9232.
Cujus arcus pro quæsito angulo A	42 gr. 43.

Investigatio anguli A B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem lateris B C	14617.
Ita tangens anguli A C B	17121 ad quem?
Concludetur tangens	25318.
Cujus arcus	68 gr. 27.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum angulum A B C	111 gr. 33.


PRAEPARATIO. Polo A, intervallo quadrantis A C circinetur arcus C D, qui latus A B intersecet in D.


DEMONSTRATIO.

Subducto angulo A C B 60 gr. de A C D 90 grad. relinquetur angulus B C D 30 gr. & angulus D rectus est, & basis recti C B 46 grad. 50 ①. Igitur tres termini rectanguli trianguli C D B sciuntur, inventis autem ignoratis, etiam

etiam quæsiti termini trianguli A B C cogniti erunt (:etenim crus recti B D, est arcus differentiæ lateris A B. Secundò rectanguli trianguli C D B latus C D, est quæsita magnitudo anguli A in triangulo A B C. Tertiò rectanguli trianguli C D B angulus C B D, est angulus differentiæ ipsius A B C:) verum numeri hujus pragmatiæ sunt illi quorum usus est ad inventionem ignotorum terminorum rectanguli trianguli C B D, ut patet è 34 propositionis exemplo 1. Igitur inventi termini, sunt ii ipsi qui quæruntur.

6 *Exemplum ad 9 & 10 hujus formæ triangulum.*





DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus latus A C sit 90 gr. B C 68 gr. 37 ①, & angulus A C B 137 gr. 16 ①.

QUÆSITUM. Tertium latus A B, & reliqui anguli A, B, inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

Investigatio lateris A B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum lateris B C	9312.
Ita sinus anguli differentiæ ipsius A C B	7345 ad quem?
Concludetur sinus	6839.
Cujus arcus	43 gr. 9.
Cum hoc compositus	90 gr.
Exhibet quæsitum latus A B	133 gr. 9.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli A C B	6786.
Ita tangens lateris C B	25539 ad quem?
Concludetur tangens	17330.
Cujus arcus pro quæsito angulo A	60 gr. 1.

Investigatio anguli B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem lateris B C	27427.
Ita tangens anguli A C B	9239 ad quem?

 Conclu-

Concludetur tangens	25339.
Cujus arcus pro quæsito angulo B	68 gr. 26.

PRAEPARATIO. Polo A, intervallo quadrantis AC, describatur arcus CD, qui productum AB intersecet in D.

DEMONSTRATIO.


Angulus ACB 137 gr. 16⊙, multatus angulo ACD 90 gr. relinquet angulum BCD 47 gr. 16⊙, & CDB rectus est, latus CB 68 gr. 37⊙. Igitur rectanguli trianguli CDB tres termini cogniti sunt, horum ope inveniantur ignorati, & tres termini dati trianguli ABC cogniti erunt, (: nam DB crus anguli recti, est arcus differentiæ lateris AB. Secundò reliquum recti crus CD est etiam quæsita amplitudo anguli A in triangulo ABC. Tertiò rectanguli trianguli CBD angulus B, est quoque angulus trianguli ABC) sed numeri hujus pragmatiæ, sunt illi quibus opus est ad assequẽdum ignoratos rectanguli trianguli CDB terminos, ut è 34 propositionis 1 exemplo constat. Igitur inventi hi termini, sunt ii, qui quærebantur.

7 Exemplum ad 11 & 12 hujus formæ triangulum.



DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus latus AC sit 90 gr. angulus ABC 68 grad. 27⊙, & ACB 60 graduum.

QVAESITVM. Tertius angulus A & reliqua duo latera AB, BC invenienda sunto.



CONSTRVCTIO.

Investigatio recti cruris A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli differentiæ minimi cogniti ex datis, id est in istoc paradigmate anguli ACB	5000.
Ita secans reliqui dati ABC	27225 ad quem?
Concludetur secans	13612.
Cujus arcus	42 gr. 44.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum angulum A	137 gr. 16.

Investi-

Investigatio lateris A B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli maximi è datis ut hic A B C	9301.
Ita secans anguli differentiæ reliqui dati A C B	11547 ad quem?
Concludetur secans	10739.
Cujus arcus	21 gr.23.
Deductus de	90 gr.
Relinquet quæsitum latus A B	68 gr.37.

Investigatio lateris B C.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem anguli differentiæ alterius dati anguli ut puta A C B	5774.
Ita tangens reliqui dati A B C	25322 ad quem?
Concludetur secans	14620.
Cujus arcus	46 gr.51.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum latus B C	133 gr.9.

PRAEPARATIO. Polo A, intervallo quadrantis A C, describatur arcus C D, qui intersecet productam A B in puncto D.

DEMONSTRATIO.


Deme angulum A C B 60 gr. de A C D 90 gr. reliquis erit angulus B C D 30 gr. Deinde multatis 180 gr. angulo A B C 68 grad. 27 ①, restabit angulus C B D 111 gr. 33 ①, & D rectus est. Trianguli igitur rectanguli C D B tres termini cogniti sunt, per hos inveniantur ignorati, & quæsiti termini in proposito triangulo cogniti fuerint (: siquidem C D alterum anguli recti crus, fit quæsiti amplitudo anguli A in triangulo A B C. Reliquum autè recti anguli crus B D est arcus differentiæ lateris A B. Denique rectanguli trianguli C B D basis B C, est quæsitum latus trianguli A B C:) verùm numeri hujus pragmatiæ sunt illi ipsi quorum usus est in pragmatia investigationis ignoratorum terminorum rectanguli trianguli C D B ut patet ex 3 exemplo 37 propositionis. Igitur iidem isti numeri, sunt quæsiti.

8 *Exemplum ad* 13 *&* 14 *hujus forma triangulum.*



DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus latus A C sit 90 grad. angulus B 68 gr. 27 ①, & A C B 137 gr. 16 ①.

QUÆSITUM. Tertius angulus A, & reliqua latera A B, B C invenienda sunto.



CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli differentiæ, è datis maximi, id est in istoc diagrammate A C B	7345.
Ita secans reliqui dati anguli B	27225 ad quem?
Concludetur secans	19996.
Cujus arcus exhibet quæsitum angulum A	60 gr.

Investigatio lateris A B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum anguli è datis minimi, qui hîc est B	9301.
Ita secans anguli differentiæ reliqui anguli dati A C B	14737 ad quem?
Concludetur secans	13706.
Cujus arcus	43 gr. 9.
Semper additus ad	90 gr.
Dabit quæsitum latus A B	133 gr. 9.

Investigatio lateris B C.


Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem anguli è datis minimi B	25322.
Ita tangens anguli differentiæ reliqui obliqui A C B	10894 ad quem?
Concluditur secans	27408.
Cujus arcus exhibet quæsitum latus B C	68 gr. 36.

PRAEPARATIO. Polo A, intervallo A C circinetur arcus C D, qui arcum A B intersecet in D.


DEMONSTRATIO.

Angulus A C D 90 gr. subducatur de A C B 137 gr. 16 ①, reliquus erit angulus D C B 47 gr. 16 ①, & angulus C D B rectus, angulus autem B ex dato 68 gr. 27 ① fuerit. Trianguli igitur rectanguli C D B tres termini cogniti sunt, quorum ope ignorati inveniantur, ideoque tres termini trianguli A B C cogniti erunt, (:etenim rectanguli trianguli C D B, crus recti C D, est quæsita magnitudo anguli A, in triangulo A B C. Secundò alterum rectanguli crus B D, est arcus differentiæ, quæsiti lateris A B. Denique basis anguli recti B C, est quæsitum latus trianguli A B C:) Sed numeri hujus pragmatiæ sunt illi ipsi quibus opus est ad inveniendum trianguli rectanguli C D B ignoratos terminos, ut 1 exemplo 37 propositionis ostensum est. Igitur iidem isti inventi numeri, sunt quæsiti.

9 *Exemplum ad* 15 *&* 16 *hujus formæ triangulum.*



DATUM. Esto sphæricum triangulum ABC, cujus latus AC sit 90 grad. AB 46 grad. 50 ①, & BC 68 grad. 37 ①.



QUAESITUM. Tres anguli A, ABC, BCA inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum recti cruris AB	7294.
Ita secans lateris BC	27427 ad quem?
Concludetur secans	20005.
Cujus arcus exhibet quæsitum angulum A	60 gr. 1.

Investigatio anguli ABC.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem lateris BC	25539.
Ita tangens lateris AB	10661 ad quem?
Concludetur secans	27227.
Cujus arcus	68 gr. 27.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum angulum ABC	111 gr. 33.

Investigatio anguli BCA.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ ipsius BC	10739.
Ita sinus arcus differentiæ AB	6841 ad quem?
Concludetur sinus	7346.
Cujus arcus	47 gr. 17.
Subducatur semper de	90 gr.
Reliquus exhibebit quæsitum angulum BCA	42 gr. 43.

PRAEPARATIO. Polo A, intervallo quadrantis AC, circinetur arcus CD, qui productum AB secet in D.


DEMONSTRATIO.

Dempto arcu AB 46 gr. 50 ①, de AD 90 gr. relinquetur BD 43 gr. 10 ①, & angulus D rectus est, præterea CD est 68 grad. 37 ① ex dato. Triangulum itaque rectangulum CDB tres habet cognitos terminos, horum ope iis qui ignorabantur inventis, etiam dati trianguli ABC tres quęsiti termini cogniti erunt (: nam crus anguli recti CD, amplitudo quęsiti anguli quoque est, in triangulo ABC. Secundò rectanguli trianguli CDB, angulus CBD est complementum semiperipherię quęsiti anguli ABC. Tertiò angulus BCD,

rectanguli trianguli C D B, est angulus differentiæ quęsiti A C B, in triangulo A B C:) numeri autem hujus pragmatię sunt ii quorum usus est ad investigandum rectanguli trianguli C D B ignoratos terminos, ut è 32 propositionis 8 exemplo manifestum est. Ideóque isti inventi numeri, sunt quæsiti.

10 *Exemplum ad 17 hujus formæ triangulum.*





DATVM. Esto sphæricum triágulum A B C, cujus latus A C sit 90 grad. A B 133 grad. 10 ①, B C 111 grad. 23 ①.

QVAESITVM. Tres anguli inveniendi sunto.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad sinum lateris A B	7194.
Ita secans lateris B C	27427 ad quem?
Concludetur secans	20005.
Cujus arcus	60 gr. 1.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum angulum A	119 gr. 59.

Investigatio anguli B.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad tangentem lateris C B	25539.
Ita tangens lateris A B	10661 ad quem?
Concludetur secans	27227.
Cujus arcus	68 gr. 27.
Deductus de	180 gr.
Relinquet quæsitum angulum B	111 gr. 33.

Investigatio anguli B C A.

Quemadmodum sinus recti	10000.
Ad secantem arcus differentiæ lateris B C	10739.

Ita si-

Ita sinus arcus differentiæ lateris A B	6841 ad quem?
Concludetur sinus	7346.
Cujus arcus	47 gr. 17.
Compositus cum	90 gr.
Dabit quæsitum angulum B C A	137 gr. 17.

PRAEPARATIO. Polo A, intervallo quadrantis A C circinetur arcus C D, qui latus A B intersecet in D.

DEMONSTRATIO.

Latus A B 133 grad. 10 ①, multatum arcu A D 90 graduum, relinquit D B 43 gr. 10 ①, & C D B rectus est, denique C B ex dato valet 111 gr. 23 ①. Itaque è cognitis rectanguli trianguli C D B tribus terminis, reliqui invenian-tur, & tres ignorati dati trianguli A B C cogniti erunt (: nam alterum crus recti C D, est quæsita magnitudo anguli A in triangulo A B C. Secundò rectangu-li trianguli C D B, angulus B dato triangulo A B C communis est. Tertiò angulus B C D, trianguli rectanguli C D B, est angulus differentiæ quæsiti anguli A C B in triangulo A B C:) numeri autem hujus pragmatię sunt ii dem illi, quibus opus est ad investigationem ignotorũ terminorum rectanguli trian-guli C D B, ut è 32 propositionis 2 exemplo manifestum est. Itaque inventi termini, sunt illi ipsi qui quærebantur.

CONCLVSIO. Trianguli igitur, cujus unum latus 90 graduum, & insu-per duo quicunque termini cogniti dantur, reliquos ignoratos invenimus. Quod facere oportuit.

DISTINCTIO TERTIA DE SPHÆRICIS TRIANGVLIS VBI ANGVLVS RECTVS, AVT LATVS *90 grad. ex hypothesi non dantur.*

8 PROBLEMA. 39 PROPOSITIO.

SPHÆRICI trianguli angulo obliquo, & duobus lateribus, quæ ignoratum continent angulum, cognitis: Tertium latus, & reliquos duos angulos invenire.

Tres cogniti termini ut generatim exprimam istiusmodi sunt.



In hoc diagrammate secundum ea, quæ in notis ante 32 propositionem nobis exposita sunt, arcus punctis notatus indicat obliquum angulum C ut cognitum dari, ista autem punctorum series quæ latera A B, B C obit argumento est cognita ista latera ignotum angulum A complecti: B est ignotus angulus cujus crus est ignotum latus B C: Cum autem horum quatuor terminorum C, AB, AC, B, mentio crebra deinceps incidat, literis adscriptis A, B, C, istos, brevitati studentes, enuntiabimus.

DE SEPTEM REGVLIS HVIVS PROPOSITIONIS.

Notandum est quædem hujus generis exempla ambiguæ determinationis esse, alia tantum unicæ: proinde ut ea commodius discernantur septem hæc præcepta damus.

1 REGVLA.

Si C acutus sit, & AC minus quam AB, angulus B duntaxat acutus est.

2 REGVLA.

Si C obtusus sit, & AC majus quam AB, angulus B duntaxat obtusus est.

3 REGVLA.

Si C acutus sit, & AC quadrantem excedat, AB autem non cedat complemento semiperipheriæ lateris AC: angulus B duntaxat obtusus erit.

4 REGV-

4 REGVLA.

Si C obtuſus ſit, & AC quadranti cedat, atque AB minor ſit complemento ſemiperipheriæ lateris AC: angulus B duntaxat acutus erit.

5 REGVLA.

Si AC æquet latus AB, angulus B duntaxat æquabit datum C.

6 REGVLA.

Si triangulum datum à dictis diverſum ſit, & angulus B ex pragmatia rectus deprehendatur; iſtanc duntaxat determinationem habet.

7 REGVLA.


Quod ſi datum triangulum ab iſtis ſex modis diverſum ſit: determinatio erit anceps.

His præceptis, quorum demonſtratio paulò poſt ſuccedet, explicatis, ipſa diagrammata ob oculos ponemus.

INTRODVCTIO, VT DATO SECVNDVM THESIN HVIVS PROPOſitionis cuicunque triangulo, imitabile paradigma inveniatur.

Si detur triangulum ad formam	1 aut 2 regulæ,	*imitabere*	1	exemplum.
	3 aut 4 regulæ,		2	
	5 regulæ,		3	
	6 regulæ,		4	
	7. regulæ ut C acutus ſit,		5	
	7 regulæ ut C obtuſus ſit,		6	

1 *Exemplum de triangulo 1 & 2 regula.*



Datvm. Eſto ABC ſphæricum triangulum, cujus angulus C ſit 40 grad. latus AC 50 grad. & AB 81 grad. 19 ①.

Qvaesitvm. Tertium latus BC, & reliqui anguli CAB, atque B, inveniendi ſunto.

Praeparatio. Primum conſiderato ad quam regulam datum triangulum referendum ſit, & invenies hoc ad 1 pertinere, tum arcum AD ad angulos rectos in CB demitto, & è tribus rectanguli trianguli ADC cognitis terminis,

nis, per 34 propositionem, invenietur crus recti A D 29 grad. 30 ①: proinde trianguli rectanguli A D B tres termini cogniti sunt.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.

Præparatione factâ ut supra, invenio rectanguli trianguli A D C latus D C per 32 propositionem . 42 gr. 24.
Huc addatur D B, latus rectanguli trianguli A D B, quod per 31 propositionem invenitur 80 gr. 1.
Totus exhibet quæsitum latus B C 122 gr. 25.

Investigatio anguli C A B.


Præparatione cõstitutâ ut prius, invenio rectanguli trianguli A D C, per 32 propositionem, angulum C A D 61 gr. 39.
Cum quo compositus angulus D A B rectanguli trianguli A D B, qui per 32 propositionem deprehendetur 85 gr. 3.
Dabitur totus quæsitus angulus A D C 146 gr. 42.

Investigatio anguli B.

Præparatione eadẽ invenietur per 32 propositionem, trianguli A D B, angulus B, qui etiam quæsitus dati trianguli angulus est 29 gr. 53.
Atque idem processus fuerit in triangulo secundæ regulæ.

2 *Exemplum trianguli 3 & 4 regulæ.*

DATVM. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus angulus C sit 29 grad. 4 ①, latus A C 95 grad. & A B 42 grad. 24. QVÆSITVM. Latus B C, & reliqui anguli C A B, A B C inveniendi sunto.



PRAEPARATIO. Primum considerato ad quam regulam datum triangulum referẽdum sit, & hoc ad 3 regulam pertinere invenies, tumque normalis arcus A D extra triangulum in continuatum C B cadat, & trianguli rectanguli A D C tres termini cogniti erunt, quorum ope, per 34 propositionem, recti anguli quæsitum crus A D 28 gr. 57 ① invenitur. Et ideo jam trianguli rectanguli A D B tres termini cogniti fuerint.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.

Præparatione constitutâ ut supra, deprehendo per 32 propositionem, rectanguli trianguli A D C latus D C 95 gr. 43.
Hinc sublato rectanguli trianguli A D B latere B D, quod est per 32 propositionem 32 gr. 27.
Restabit quæsitum latus B C 63 gr. 16.

Investigatio anguli C A B.


Omnibus constitutis ut supra, deprehendo, per 32 propositionem, rectanguli trianguli A D C, angulum C A D 92 gr. 46.
Inde

Inde ablato angulo D A B rectanguli trianguli A D B, qui per 32 propositionem est 52 gr. 43.
Reliquus erit angulus quæsitus C A B 40 gr. 3.

Investigatio anguli A B C.

Omnibus constitutis ut prius, invenio, per 32 propositionem, angulum B rectanguli trianguli A D B 45 gr. 53.
Qui deductus de 180 gr.
Relinquit quæsitum angulum A B C 134 gr. 7.
Eadem methodus observetur in triangulo 4 regulæ.

3 *Exemplum de triangulo 5 regulæ.*



Datum. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus C sit 40 gr. latus A C 50 grad. nec non latus A B eorundem 50 grad.

Quæsitum. Tertium latus B C, & reliqui anguli B, & C A B inveniendi sunto.

Constructio.

Principio ad quam regulam datum triangulum pertineat considerandum est, & hoc ad 5 regulam referri invenio, unde statim sine ulteriori epilogismo concludam, angulum B angulo C, qui valet 40 gr. æquari. Vt solummodò opus sit inventione ignoti lateris B C, & anguli C A B. Isti fini perpendicularem A D demitto intra triangulum in basin C B, quæ datũ dirimit in duo æqualia & rectãgula triangula A D C, A D B.


Investigatio lateris B C.

Omnibus constitutis ut supra, invenio rectanguli trianguli A D C latus D C, per 34 propositionem 42 gr. 24.
Et tantundem pro D B, quæ cõposita exhibẽt integrum arcum B C 84 gr. 48.

Investigatio anguli C A B.

Præparatione factâ ut ante, deprehendo, per 34 propositionem, rectanguli trianguli A D C angulum C A D 61 gr. 40.
Et tantundẽ pro angulo D A B, qui duplicatus dabit quæsitũ C A B 123 gr. 20.

4 *Exemplum de triangulo 6 regulæ.*



Datum. Esto sphæricum triangulũ A B C, cujus angulus C sit 100 gr. 2 ①, latus A C 50 grad. & A B 131 grad. 2 ①.

Quæsitum. Tertium latus B C, & reliqui anguli B, C A B inveniendi sunto.

Constructio.

Primum omnium quò hoc triangulum referri debeat attendo, & intellecto non pertinere ad quinque primas regulas, cõcludo aut ad 6^{tam} aut ad 7^{mam} referri. Quod ut certò definiam non undevis exordium pragmatiæ sumere licebit, sed necessariò ab angulo B initium faciam, quemadmodum deinceps sequitur.

Investi-

Investigatio anguli B.

Quemadmodum ſinus lateris dextri A B	7543.
Ad ſinum lateris ſiniſtri A C	7660.
Ita ſinus anguli ſiniſtri C	9847 ad quem?
Concludetur ſinus	10000.
Cujus arcus pro quæſito angulo B	90 gr.

Et quia hic angulus B rectus eſſe invenitur, triangulum eſt $6^{tæ}$ regulæ. Si autem obliquus deprehenderetur, jam ad 7^{mam} pertineret, & operandi ratio tum erit prout ſequenti paradigmate explicabitur.

Investigatio lateris B C.


Cum ante angulus B rectus deprehenſus ſit, latus C B, rectanguli trianguli A B C, invenitur per 32 propoſitionem 168 gr. 16.

Investigatio anguli A.

Quia angulus B rectus inventus eſt, rectanguli trianguli A B C angulus A per 32 propoſitionem invenitur 164 gr. 37.

5 *Exemplum de triangulo 7 regulæ, in quo obliquus angulus cognitus datur.*

DATUM. Eſto A B C triangulum ſphæricum, cujus angulus C ſit 40 gr. latus A C 50 grad. & A B 32 gr. QUÆSITUM. Tertium latus B C, & reliqui anguli B, C A B, & reliqui anguli B, C A B inveniendi ſunto.



CONSTRUCTIO.

Primum conſidero ad quam regulam hoc triangulum referri debeat, quia verò ad nullam è quinq; primis referri poteſt, aut $6^{tæ}$ aut $7^{mæ}$ fuerit: Proinde ut id diſcernam, non quemlibet terminum primum inquirere licet, verum ab angulo B initium ſumendum erit, ut deinceps ſequitur.

Investigatio anguli B.

Quemadmodum ſinus lateris dextri A B	5299.
Ad ſinum ſiniſtri lateris A C	7660.
Ita ſinus ſiniſtri anguli C	6428 ad quem?
Concludetur ſinus	9292.

Quia verò hic nō eſt ſinus recti, erit hoc triangulum $7^{mæ}$ regulæ, id eſt duplicis determinationis, & ideo arcus ejus 9292 exhibet quæſitum angulum B 1 concluſionis 68 gr. 19.

Qui deductus de	180 gr.
Relinquet pro determinatione ſecunda	111 gr. 41.

Præparatio ad inventionem reliquorum duorum terminorum.

Arcus A B perpendicularis, intra triangulū A B C, demittatur in baſin B C, quæ

quæ datum in duo rectangul i triangula A D C, A D B dirimat, in quorum utroque tres termini cogniti sin ; è quibus reliqui quæsiti inveniantur.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.


Cùm angulus B obliquus esseante deprehensus est, tum præparatione facta ut dictum est, invenio, per 34 propositionem, trianguli rectanguli A D C latus C D 42 gr. 24.
Cum eo compositum latus D B rectanguli trianguli A D B, quod per 34 propositionem valet 13 gr.
Dabunt totum latus B C primæ conclusionis 55 gr. 24.
Et deductus 13 gr. qui hoc ordine secundus est, de 42 gr. 24. ① hoc ordine primo, restabit pro secunda determinatione 29 gr. 24.

Investigatio anguli C A B.

Vbi angulus B obliquus compertus sit. & præparatione constitutâ ut supra, deprehendo rectanguli trianguli A D C, per 34 propositionem, angulum C A D 61 gr 40.
Huc additus angulus D A B rectanguli trianguli A D B, qui per 34 propositionem invenitur 25 gr. 7.
Efficit totum C A B primæ determinationis 86 gr. 47.
Numerus autem 61 gr. 40 ① hoc ordine primus multatus 25 gr. 7 ①, relinquet, pro secunda determinatione 36 gr. 33.

6 *Exemplum de triangulo 7 regulæ, ubi obtusus angulus cognitus datur.*

DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus C sit 40 gr. latus A C 88 gr. & A B 112 graduum. QVAESITVM. Tertium latus B C & reliqui duo anguli A B C, C A B, inveniendi sunto.



CONSTRVCTIO.

Primò expendo ad quam regulam datum triangulum referri debeat, & invenio è quinque primis non esse, ideo ad 6 aut ad 7 pertinuerit. Vt autem hoc discernam non quemvis terminum primum invenire licet, verum ab angulo B pragmatiam ordiri necesse fuerit, ut sequitur.

Investigatio anguli A C B.

Quemadmodum sinus dextri lateris A B 9272.
Ad sinum lateris sinistri A C 9994.
Ita sinus anguli sinistri C 6428 ad quem?
Concludetur sinus 6930.
Cumque hic non sit sinus recti, erit datum triangulum 7 regulæ, videlicet ambiguæ determinationis, itaque arcus hujus 6930 est pro quæsito angulo B primæ determinationis 42 gr. 52.
Qui sublatus de 180 gr.
Relinquet pro secunda determinatione 136 gr. 8.

Præparatio ad inventionem reliquorum duorum terminorum.

Arcus A D extra triangulum A B C ad angulos rectos demittatur in continuatum C B, hæc datum in duo rectangula triangula A D C, A D B, quorum singula tres cognitos habeant terminos, dividit.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris B C.

Cum angulus B obliquus arguitur, tum præparatione ordinatâ ut supra, invenio, per 34 propositionem, rectanguli trianguli A D C latus D C — 92 gr. 37.
Hinc subducto latere D B rectanguli trianguli A D B, quod per 34 propositionem invenitur — 60 gr. 44.
Relinquetur latus B C primæ determinationis — 31 gr. 53.
Vel 60 gr. 44 ① hoc ordine secundus, additus ad 92 gr. 37 ① hoc ordine primum, exhibet pro secunda determinatione — 153 gr. 21.

Investigatio anguli C A B.

Cum angulus B ante obliquus inventus sit, tum præparatione factâ ut supra, invenio, per 34 propositionem, rectanguli trianguli A D C angulum C A D — 88 gr. 19.
Hic multatus angulo D A B rectanguli trianguli A D B, qui per 34 propositionem invenitur — 70 gr. 12.
Relinquet quæsitum angulum C A B primæ determinationis — 18 gr. 7.
Vel compone 70 gr. 12 hoc ordine secundum, ad 88 gr. 19 ① hoc ordine primum, & habebis pro secunda determinatione — 158 gr. 31.

DEMONSTRATIO.

Perpendicularem A D in 1, 3, & 5 exemplo intra triangulum cadere, at in 2 & 6 extra, è 6 propositione patet. Et assertio inventionis anguli B in 4, 5 & 6 exemplo è 24 propositione manifesta est, ubi demonstratum fuit, sinum lateris dextri, & sinum lateris sinistri, sinibus anguli sinistri, & anguli dextri proportionales esse. Reliquorum autem omnium demonstratio in promptu est: ideo eâ posthabitâ septem istas regulas supra expositas demonstrabimus.


Assertio regulæ 1.

DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum secundum thesin 1 regulæ, cujus nimirum angulus C acutus sit, & A C minor quam AB.

QVAESITVM. Angulum B duntaxat acutum esse demonstrandum esto.

PRAEPARATIO. Arcus A D ad angulos rectos demittatur in CB.

DEMONSTRATIO.



Quandoquidem rectanguli trianguli A D C angulus C acutus sit, oppositum latus A D, per consf. 2 propositionis minus erit, & ei oppositus angulus B, in rectangulo triangulo A D B, acutus per 2 propositionem: acutus autem duntaxat esse, non etiam obtusus, hinc evincitur, quod ab altera parte A D vide-

licet


licet inter C & D, alius arcus æqualis ipsi A B nullus describi possit, qui obtusum constituat angulum, quia enim A B major est quam A C, etiam major erit, per 16 propositionem, quocunque arcu à vertice A ad basin B C ducto. Ideo una tantum determinatio hic fuerit, & angulus B acutus.

Assertio regulæ 2.

DATUM. Esto sphæricum triangulum A B C secundum thesin 2 regulæ, nempe ut angulus C obtusus sit, & A C major quam A B.

QUAESITUM. Angulum B duntaxat obtusum posse esse demonstrandum esto. PRAEPARATIO. Arcus A D perpendicularis sit in C B.

DEMONSTRATIO.



Cum rectanguli trianguli A D C, angulus C obtusus sit, latus oppositum A D quadrante majus erit per conf. 2 propositionis, sed & angulus oppositus B in rectangulo triangulo A D B quoq; obtusus est per 2 propositionem: verum eum duntaxat acutum, non etiam obtusum, esse posse hinc apparet, quod ab altera parte perpendicularis A D, nimirum ab A intra puncta D & C, nullus arcus ipsi A B æqualis duci potest, qui istic acutum angulum effingat, nam cum A B minor sit latere A C, minor quoque erit quolibet arcu, qui ab A ad arcum D C pertingit, per 16 propositionem. Vt hic unica tantummodo sit conclusio, quæque angulum B obtusum constituat.

Assertio regulæ 3.

DATUM. Esto A B C sphæricum triangulum secundum thesin 3 regulæ, quippe ut angulus C acutus sit, & A C quadrante major: Et ut cætera ex sententia hujus regulæ quoque habeantur arcus C A, C B continuati sese intersecent in D: ideo C A D, C B D semicirculi sunt per 3 conf. 1 propositionis, & A D est complementum semiperipheriæ, porro arcus A B ne sit minor hoc complemento A D. QUAESITUM. Angulum B in triangulo A B C duntaxat obtusum esse posse demonstrandum esto.

PRAEPARATIO. Ducatur arcus A E perpendicularis in B D.

DEMONSTRATIO.




Quia angulus C rectanguli trianguli, A E C acutus est, ideo latus oppositum A E quadrante minus, per conf. 2 propositionis, & angulus B, rectanguli trianguli A E B, ab eo subtensus acutus est, per 2 propositionem: itaque, per conf. 1 propositionis, angulus A B C obtusus est. Hunc autem duntaxat obtusum, & non acutũ, esse posse istud argumento fit, quia ab altera parte A E nempe ab A inter puncta E & D, non potest agi arcus æqualis ipsi A B, qui istic obtusum formaret angulum, cum enim A B præstet arcui A D, præstabit quoque cuicunque alteri qui istic describi possit per 16 propositionem. Atque ideo hic unica solummodo erit determinatio, videlicet quæ angulum B obtusum efficiat.

Assertio regulæ 4.

DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum secundum thesin 4 regulæ, videlicet angulus C obtusus sit, & A C quadrante minor. Vt autem cætera ad hanc regulam quoque conformentur, C A, & C B continuati sese intersecent in puncto D. Atque ideo C A D, C B D semiperipheriæ fuerint per 3 consf. 1 propositionis, & A D complementum semiperipheriæ expositi A C, & A B sit minor quam A D. QVAESITVM. Angulum B, trianguli A B C, duntaxat acutum esse demonstrandum esto. PRAEPARATIO. Demittatur A E arcus perpendicularis in B D.

DEMONSTRATIO.



Cum trianguli rectanguli A E C angulus C obtusus sit, latus oppositum A E per consf. 2 propositionis quadrante majus erit, & angulus B ei oppositus in rectangulo triangulo A E B quoque obtusus per 2 propositionem, itaque per 5 consf. 1 propositionis A B C acutus fuerit. Quod autem duntaxat acutus, non etiam obtusus, esse possit hinc arguitur; quia ab altera parte A E, nimirum ab A inter puncta E & D, nullus arcus duci potest, dato A B æqualis, qui istic obtusum constituat angulum, cum enim A B minor sit arcu A D minor quoque erit quolibet qui ab A ad E D pertinget, per 16 propositionem. Vt unica duntaxat determinatio hic sit, atque ea quidem, quæ angulum B acutum habet.

Assertio 5 & 6 regularum.

Quinta & sexta regula demonstrationis haud indigent, alius enim arcus ipsi A B, 5 exempli, æqualis ab altera parte perpendicularis A D ductus, idem esset qui A C, ideoque cum eo nullũ triangulum effingeret. In 6 regulæ exemplo, ab altera parte perpendicularis, quandoquidem A B ipsa perpendicularis sit, arcus æqualis ipsi A B duci non potest.

Assertio 7 regulæ.

Hactenus sex regulas, quæ unam solummodo determinationem admittunt, demonstravimus. Vt autem 7 demonstremus, videlicet reliqua triangula ab his diversa ambiguæ determinationis esse, has sequentes regulas proponimus, quæ cætera triangula complectuntur: atque iis demonstratis, ostendemus omnia sphærica triangula hujus generis, in aliquam præcedentium sex, aut harum quinque regularum incidere, unde sequitur si triangula sex primarum regularum unicæ sint determinationis, reliqua 7 regulæ ambigua esse.

8 REGVLA.

Si A C quadrans sit, & angulus B ex constructione obliquus deprehendatur, determinatio erit anceps.

9 REGVLA.

Si angulus C acutus sit, A C autem quadranti cedat, atque

atque AB quam AC minor sit, & angulus B ex opere obliquus deprehendatur, determinatio erit anceps.

10 REGULA.

Si angulus C obtusus sit, AC autem quadranti præstet, & AB quam AC major sit, atque angulus B ex opere obliquus deprehendatur, determinatio erit anceps.

11 REGULA.

Si angulus C acutus sit, AC autem quadranti præstet, & AB minor sit complemento semiperipheriæ ipsius AC, atque angulus B ex opere obliquus deprehendatur, determinatio erit anceps.

12 REGULA.

Si angulus C acutus sit, AC autem quadranti cedat, & AB præstet complemento semiperipheriæ lateris AC, atque angulus B ex opere obliquus deprehendatur, determinatio erit anceps.

Quinque autem istarum regularum demonstratio hæc est.

Assertio regulæ 8.

DATUM. Esto ABC sphæricum triangulum ad hypothesin 8 regulæ, cujus nimirum angulus C acutus aut obtusus, & AC quadrans sit, præterea angulus B ex pragmatia obliquus deprehendatur. QUAESITUM. Geminam determinationem seu conclusionem admittere demonstrandum esto.

PRAEPARATIO. Arcus AD normalitèr in CB demissus aut intra, aut extra triangulum ABC cadet, qui hic quidem cadat intra: & CA, CB continuati sese intersecent in E.

DEMONSTRATIO.



Per 3 consect. 1 propositionis CAE, CDE semiperipheriæ sunt, & CA æquatur AE, & CD ipsi DE, ideo quantus arcus ab A ducitur in intra puncta D, E, nempe AB, tantus quoque ab altera parte puncti D duci poterit ut AF, qui æquet ipsum AB. Duo igitur triangula ABC, AFC, tres æquales habent terminos. Et qua in dato non definitur utrum angulus ABC acutus, an obtusus sit, & tam tertius angulus, quam tertium latus ignorantur, tam triangulum AFC, quam ABC quæsito satisfaciet; atque determinatio fuerit anceps.


Assertio 9 regulæ.

DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum secundum hypothesin 9 regulæ, ut videlicet angulus C acutus sit, AC autem quadranti cedat, & AB quoque ipsi AC, denique angulus B ex pragmatia obliquus inventus sit.

QVAESITVM. Hanc thesin duas conclusiones admittere demonstrandum esto. PRAEPARATIO. Arcus AD perpendiculariter in CB demissus, aut intra, aut extra triangulum cadet, qui quidem hic intra cadat.

DEMONSTRATIO.

Quia AB ex dato minor est quam AC, & tamen (nam C acutus est) per 16 propositionem major quam AD. Poterit in rectangulo triangulo ADC, ab angulo A ad DC arcus duci, qui ipsum AB æquet, ut AE: atque adeo duo triangula ABC, AEC habent tres æquales cognitos terminos. Cum autem ex dato non definiatur utrum angulus B acutus, an obtusus sit, & tertium latus, ac tertius angulus ignorentur. Tam triangulum obtusangulum AEC obtuso angulo ad E, quam ABC acuto ad B, quæsito satisfaciet; atque determinatio fuerit anceps.




Assertio 10 regulæ.

DATVM. Esto sphæricum triangulum ABC, secundum thesin regulę 10, cujus nimirum angulus C obtusus sit, AC autem quadranti pręstet, & AB major sit quam AC, atque angulus B ex pragmatia obtusus deprehensus esto.

QVAESITVM. Hanc thesin geminam determinationem recipere demonstrandum est. PRAEPARATIO. Arcus AD ad angulos rectos in CB demissus, aut intra, aut extra triangulum cadet, qui hic intra cadat.

DEMONSTRATIO.

Quandoquidem AB ex thesi præstat ipsi AC, cumq; per 16 propositionem minor sit (nam C angulus obtusus est) quam perpędicularis AD, poterit in triangulo ADC, ab angulo A in DC, arcus duci æqualis dato AB, qui sit AE: ideo duo triangula ABC, AEC, tres cognitos terminos æquales habent. Et quia ex dato non definitur angulus B acutusné an obtusus sit, atque tertius angulus, & tertium latus ignorantur, tam triangulum AEC, cujus angulus E acutus est, quæsito satisfaciet, quam ABC angulo obtuso B. Atque adeò adfectio erit anceps.



Assertio 11 regulæ.

DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum secundum thesin 11 regulæ, cujus nimirum angulus C acutus sit, & AC quadrante major. Vt autem etiam cętera ad hypothesin hanc conformentur, CA, CB cōtinuati sese intersecent in D: CAD igitur & CBD semiperipherię sunt per 3 conf. 1 propositionis, & AD est complementum semiperipherię ipsius AC, & AB minor hoc complemento AD, pręterea angulus ABC ex pragmatia obliquus deprehensus sit. QVAESITVM. Geminam in hac hypothesi determinationem esse, demonstran-

monſtrandū eſto. PRAEPARATIO. Arcus A E ad angulos rectos in C B D demiſſus, aut cadet intra, aut extra triangulum A B C, qui hic intra cadat.

DEMONSTRATIO.




Cum A B minor ſit quam A D ex dato; cumque per 16 propoſitionē major ſit (nam angulus D acutus eſt) quam perpendicularis A E, idem A B cadet intra rectangulum triangulum A E D, ab A videlicet ad E D; ut B C ſemiperipheriæ cedat. Porro quia A B quam A C quoque minor eſt ex hypotheſi, & tamen per 16 propoſitionem (nam angulus C acutus eſt) major quam perpendicularis A E, poterit in rectangulo triangulo A E C, ab angulo A ad oppoſitum latus E C arcus deſcribi, qui æquet datum A B, ut A F. Igitur duo triangula A B C, A F C, tres æquales habent terminos. Et quia in theſi non definitur utrum angulus A B C acutus an obtuſus ſit, & neque tertius angulus, nec tertium latus cognita ſint, tam triangulum A F C obtuſo angulo ad F, quam A B C acuto ad B, hypotheſi datæ regulæ congruent. Ideoque determinatio erit anceps.

Aſſertio 12 regulæ.

DATUM. Eſto A B C ſphæricum triangulum ſecundum hypotheſin 12 regulæ, cujus nimirum angulus C obtuſus ſit, & latus A C quadranti cedat: Deinde ut cætera hujus regulæ habeantur, arcus C A, C B continuati ſeſe interſecent in puncto D. Itaque C A D, C B D ſemiperipheriæ ſunt per 3 conſ. 3 propoſitionis, & A D eſt complementum ſemiperipheriæ ipſius A C, tum A B præſtet dicto complemento A D, denique angulus A B C ex pragmatiâ obliquus deprehendatur. QUAESITUM. Hanc theſin ancipiti determinatione affici demonſtrandum eſto. PRAEPARATIO. Arcus A E normalis in C B D, aut intra, aut extra triangulum A B C neceſſariò cadet, qui cadat intra.

DEMONSTRATIO.



Quoniam ex hypotheſi A B major eſt quam A D, & minor quam perpendicularis A E per 15 propoſitionem (nam A B minorem angulum ſubtendit quam A E) ideo intra rectangulum triangulum A E D cadet, videlicet ab A in latus E D, & B C ſemiperipheriâ minor erit. Porro quia A B quoque major eſt quam A C ex hypotheſi, & minor (nam C angulus obtuſus eſt) per 15 propoſitionem, quam perpendicularis A E, (etenim A B minorem angulū ſubtendit quam A E) poterit in rectangulo triangulo A E C, ab A ad latus E C, duci arcus A F qui dato A B æqualis ſit. Ideo triangulorum A B C, A F C tres cogniti termini æquabuntur. Cum verò in hypotheſi non definiatur utrum angulus A B C obtuſus an verò acutus ſit, & tertius angulus item tertium latus ignorentur, tam triangulum A F C cujus angulus ad F acutus, quam A B C cujus angulus B obtuſus eſt quæſito ſatisfaciet. Atque ideo determinatio fuerit anceps.

Et ne cui dubium ſit omnia hujus generis triangula, ad aliquam harum 12 regularum referri, iſtud ſequenti tabellâ demonſtrabimus.

Trianguli ABC angulus B est
- *rectus, cujusmodi est triangulum 6ue regula.*
- *obliquus, cum angulus C*
  - *acutus est, & latus AC lateri AB*
    - *æquale, estque 5a regula.*
    - *inæquale, ut quadranti*
      - *æquetur, estque 8a regula.*
      - *cedat, & tum AB quam AC est*
        - *major, quale est triangulum 1a regula.*
        - *minor, quale est triangulum 9a regula.*
      - *præstet, & tum quidem AB est quam complementum semiperipheria lateris AC*
        - *majus, estque 11a regula.*
        - *minus, & est 3a regula.*
  - *obtusus est, & latus AC lateri AB*
    - *æquale, & est 5a regula.*
    - *inæquale, ita ut peripheria quadranti magnitudine*
      - *cedat, & AB est complemento semiperipheria lateris AC*
        - *majus, estque 12a regula.*
        - *minus, estque 4a regula.*
      - *præstet & AB quam AC est*
        - *majus, estque 2a regula.*
        - *minus, estque 10a regula.*

Cumque hæ partes omninò suum integrum constituant, sequitur 7 regulæ demonstrationem universaliter veram esse.

CONCLVSIO. Itaque sphærici trianguli angulo obliquo, & duobus lateribus obliquum angulum continentibus, cognitis: tertium latus, & reliquos duos angulos invenimus. Quod facere oportuit.

9 PROBLEMA. 40 PROPOSITIO.

Sphærici trianguli angulo obliquo, & lateribus quæ eum comprehendunt cognitis: tertium latus & reliquos angulos invenire.

Cogniti termini, ut generatim exprimam, istiusmodi sunt.




Hanc thesin trifariam distinguemus, quia perpendicularis, cujus ope problema solvitur, aut intra triangulum, aut extra, aut in alterum latus cadit, ideoq; uniuscujusque speciale paradigma dabimus.

1 *Exemplum, si perpendicularis intra datum triangulum cadat.*

Datum. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus C sit 40 gr. latus A C 50 gr. & C B 55 gr. 24 ①.

Quæsitum. Tertium latus A B, & reliqui duo anguli C A B & B inveniendi sunto.



Præparatio. Quia etiamnum ignoro, an perpendicularis ab ignoto angulo A ad latus oppositum C B ductus, intra cadat, an extra, an verò ipsum ignotum latus A B perpendicularis sit: fingam A B verè perpendicularem esse & angulum B rectum, igitur fictum istud rectangulum triangulum A B C tres cognitos habebit terminos, utpote angulos B, C, & basin recti A C, horum ope inveniatur anguli recti crus C B, quod per 34 propositionem erit 42 gr. 24.

Quod si datum latus C B ei æquaretur, manifestum est fictum perpendicularem, eundem fore qui A B, & A B C triangulum rectangulum, angulo recto ad B. Sed C B ei præstat, est enim 55 gr. 24.

Ideo hic C B multetur arcu C D, quem 42 gr. 24 ① hoc ordine primus exhibet, reliquus erit D B 13 gr.

Si verò 42 gr. 24 ① numerus istoc ordine primus præstitisset dato C B, sequens 2 exemplum imitandum esset, aut 3^{um} si ei æquaretur.

Delineato igitur vero perpendiculari A D qui crus est recti anguli A D C, ejus magnitudo per 34 propositionem erit 29 gr. 30.

His assertis, duo rectangula triangula A D C, A D B, tres cognitos habent terminos, quorum ope quæsitos ignotos assequi possumus, eo quo sequitur modo.

CON-

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris AB.

Præparatione factâ ut supra, invenio, per 33 propositionem, rectanguli trianguli ADB, basin recti AB, quæ est ipsum quæsitum dati trianguli latus 32 gr.


Investigatio anguli CAB.

Præparatione constitutâ ut supra, per 33 propositionem invenio angulum CAD rectanguli trianguli ADC 61 gr. 40.
Cum eo compositus rectanguli trianguli ADB angulus DAB, qui per 33 propositionem deprehenditur 25 gr. 7.
Totus erit quæsitus angulus CAB 86 gr. 47.

Investigatio anguli B.

Præparatione antecedenti retentâ, per 33 propositionem invenio angulum B rectanguli trianguli ADB, qui etiam quæsitus est 68 gr. 19.

2 *Exemplum, si perpendicularis extra datum triangulum cadat.*



DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus C sit 40 gr. latus AC 50 gr. & CB 29 gr. 24 ①.

QVAESITVM. Tertium latus AB, & reliqui anguli CAB, ABC inveniendi sunto.

PRAEPARATIO. Quia etiamnum ignoratur, an perpendicularis ab ignoto angulo in latus oppositum demissus, intra, extra, an in latus AB incidat. Latus AB tanquã verè perpendicularem arcum assumo, & angulum B tanquam rectum, fictum hoc triangulum rectangulum, habet tres cognitos terminos, duos videlicet angulos, & basin recti AC, quorum ope anguli recti crus CB, per 34 propositionem, invenitur 42 gr. 24.
Si igitur datum latus CB huic invento æquaretur, etiam fictus perpendicularis, idem foret qui verum latus AB, & ABC rectangulum triangulum esset ad B. Sed CB ei cedit est enim 29 gr. 24.
Continuetur igitur latus CB in D, ut CD sit 42 gr. 24 ①, & continuatio BD erit 13 gr.
Si autem inventus 42 gr. 24 ① hoc ordine primus, cessisset dato CB, jam antecedens primum exemplum imitandum foret, aut 3um si ei æquaretur. Iam igitur descriptâ verâ perpendiculari AD, qui est crus anguli recti ADC, longitudo ejus per 34 propositionem invenitur 29 gr. 30.
Ideoque utraque rectangula triangula ADC, ADB, tres cognitos habent terminos, quorum ope ignorati explicantur, ut sequitur.

CON-

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris AB.

Præparatione factâ ut supra, invenio, per 33 propositionem, rectanguli trianguli ADB basin AB, quæ est dati trianguli quæsitũ latus 32 gr.


Investigatio anguli CAB.

Præparatione ordinatâ ut ante, per 33 propositionem invenio rectanguli trianguli ADC angulum CAD 61 gr. 40.
Hinc subducta rectanguli trianguli ADB angulo BAD, qui per 33 propositionem invenitur 25 gr. 7.
Relinquetur quæsitus angulus CAB 36 gr. 33.

Investigatio anguli B.

Præparatione antecedenti observatâ, per 33 propositionem invenio rectanguli trianguli ACB angulum ABC, qui etiam est quæsitus angulus 67 gr. 37.

3 *Exemplum, si perpendicularis incidat in latus ignotum.*



DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus C sit 40 gr. latus AC 50, & CB 42 gr. 24 ①.

QVAESITVM. Tertium latus AB, & reliqui anguli A, B invenienda sunto.

PRAEPARATIO. Quia etiamnum nescitur, an perpẽdicularis ab altero ignoto angulo ad latus oppositum demissus, intra datum triangulum, an extra, an verò in latus AB cadat, primò AB tanquam verum perpendicularem assumo, & angulum B tanquam rectum, itaque fictum hoc rectangulum triangulum ABC tres cognitos habet terminos, duos nimirum angulos, & basin recti AC, horum ope crus recti CB, per 34 propositionem invenitur 42 gr 24 ①.
Quia autem datum latus CB huic æquatur, manifestum est fictum perpendicularem eundem esse cum AB, & triangulũ ABC rectum habere angulum ad B. Ideoq; angulus B ex hac præparatione cognitus est. Si verò inventus 42 gr. 24 ①, minor esset dato CB, 1 exemplum, sin majus 2[dum] imitandum foret.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris AB.

Præparatione eâdem retentâ, per 33 propositionem invenio rectanguli trianguli ABC crus AB, utpote quæsitum latus, 29 gr. 30.


Investigatio anguli A.

Præparatione ordinatâ ut ante, invenio, per 33 propositionem, rectanguli trianguli ABC angulum A ut quæsitum 61 gr. 40.

NOTA

NOTA.

Si duo cognita latera æquentur, ut hic C A, C B reliqui ignorati compendiosius inveniuntur: demissus enim C D ad angulos rectos in A B, secernit triangulum A B C in duo rectangula triangula C D A, C D B, horum singula præter rectū ad D, etiam recti basin, & obliquum angulum cognitū habent, singulis enim cogniti anguli A C B dimidiū cedit: Si igitur alterutrius rectanguli trianguli ut puta D C A per 34 propositionem inveniatur angulus A, & latus D A, unâ operâ angulus B, & latus D B cognoscentur, quod additum ad D A exhibet quæsitum latus A B.



Demonstratio autem paradigmatum hujus problematis, ex opere & præparationis structura manifesta est.

CONCLVSIO. Itaque sphærici trianguli duobus lateribus & angulo obliquo quem ea comprehendunt cognitis, tertium latus, & reliquos angulos invenimus. Quod faciendum erat.

10 PROBLEMA. 41 PROPOSITIO.

SPHÆRICI trianguli duobus obliquis angulis & latere quod uni eorum opponitur cognitis: Tertium angulum & reliqua duo latera invenire.

Tres cogniti termini ut generali paradigmate exprimam istiusmodi sunt.




Et quia perpendicularis ab angulo ignoto in latus oppositum demissus, intra, aut extra triangulum cadit, duobus exemplis problema istud explicabimus.

1 *Exemplum si perpendicularis intra triangulum cadat.*

DATVM. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus angulus C sit 40 gr. B 29 gr. 53 ①, & latus A C 50 gr.

QVAESITVM. Tertius angulus C A B, & reliqua latera B C, A B invenienda sunto.

PRAEPARATIO. Si cogniti anguli ejusdem sint affectionis, id est pariter acuti, aut pariter obtusi, perpendicularis à tertio angulo ad latus oppositum cadet intra triangulum; sin diversæ cadet extra per 6 propositionem. Si igitur duo dati anguli ejusdem affectionis sint ut puta acutos esse, ducam ab ignorato angulo A, arcum A D intra triangulū A B C perpendicularem in B C (idē fiat si obtusi cogniti dētur) quo triangulum A B C in duo rectangula triangula A D C, A D B dividitur: & triangulum



gulum A D C tres habet cognitos terminos: quorum ope recti anguli crus A D per 34 propositionem invenitur 29 gr. 30.

Et hinc reliquum triangulum A D B tres cognitos habebit terminos, per quos ignorati inveniantur, ut sequitur.

CONSTRUCTIO.

Investigatio anguli C A B.

Præparatione antecedenti observatâ, invenio per 34 propositionem rectanguli trianguli A D C angulum C A D 61 gr. 40.

Et per 35 propositionem trianguli A D B angulum D A B primæ determinationis 85 gr.

Et pro secunda determinatione ejusdem anguli D A B 95 gr.

Cum angulo C A D 61 gr. 40 ① hoc ordine primo, compositus angulus D A B 85 gr. hoc ordine secundus, dabit totum C A B primæ determinationis 146 gr. 40 ①.

Vt autem certò cognoscam an etiam secundam determinationem admittat, addam ad angulum C A D 61 gr. 40 ① hoc ordine primum, angulum D A B 95 gr. ordine quintum, totus erit 156 gr. 40.

Cumque is minor sit 180 gradibus, ajo hunc secundam magnitudinem anguli C A B definire. Sed si 180 gr. æqualis aut major foret, jam nullius momenti esset, quia è 1 definitione omnis angulus minor est 180 gr. ut tali casu unica solummodò sit determinatio.

Investigatio lateris B C *angulo ignoto subtensi.*

Præparatione eâdem retentâ, invenio per 34 propositionem rectanguli trianguli A D C crus C D 42 gr. 24.

Et per 35 propositionem rectanguli trianguli A D B crus recti D B primæ determinationis 79 gr. 55.

Et pro secunda determinatione ejusdem D B 100 gr. 5.

Cum C D 42 gr. 24 ① istoc ordine primo, componatur D B 79 gr. 55 ① hoc ordine secundus, totus erit quæsitum latus C B primæ determinationis 122 gr. 19.

Vt autem constet numnam hoc triangulum duplici determinatione afficiatur, addatur ad C D 42 gr. 24 ① hoc ordine primum, D B 100 gr. 5 ① hoc ordine tertius, totus erit 142 gr. 29.

Cumque hic minor sit 180 gr. ajo istum alteram magnitudinem lateris C B definire. Quod si summa 180 gr. æquaretur aut etiam præstaret, jam nullius momenti foret, nam per 1 definitionem quodlibet latus sphærici trianguli semiperipheriâ minus est. Adeo ut tali casu unica duntaxat determinatio sit.

Investigatio lateris A B *cognito angulo oppositi.*

Præparatione constitutâ ut supra, prius sciri necesse est utrum unam, an verò geminam determinationem admittat: ut autem hujus judicium verè fieri possit, ante alter ex suprascriptis terminis inveniendus erit, id est angulus C A B, aut latus C B, quod si isti gemini sint, & hic terminus anceps fuerit; sin verò singulares, & hic unicus duntaxat erit. Itàque A B in proposito paradigmate, quia angulus C A B, aut latus C B, anceps fuit, duplicem determinationem admit-


tet. Quare in rectangulo triangulo A B C basis recti A B, per 35 propositionem, invenitur 81 gr. 14.
Et pro secunda determinatione 98 gr. 46.

2 *Exemplum ubi perpendicularis extra triangulum cadit.*

DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum cujus angulus C sit 59 gr. 13 ①, & A B C 139 gr. 34 ①, latus A C 131 gr. 34 ①.

QVÆSITVM. Tertius angulus C A B, & reliqua latera A B, B C invenienda sunto.

PRÆPARATIO. Si duo cogniti anguli ejusdem adfectionis sint, id est vel pariter acuti, vel pariter obtusi, perpendicularis ab angulo tertio in oppositum latus demissus, cadet intra triangulum; sin diversæ, cadet extra per 6 propositionem. Propterea cum anguli cogniti diversæ sint speciei hic acutus, ille obtusus, ducam ab ignoto angulo A arcum A D, extra triangulum A B C, perpendicularem in continuatum B C, qui duo rectangula triangula A D C, A D B format: Vt A D C tres cognitos habeat terminos, quorum ope, per 34 propositionem, invenitur latus A B 40 gr.



Deinde subduco angulum A B C 139 gr. 34.
De 180 gr.
Reliquis erit angulus A B D 40 gr. 26.

Quare etiam reliquum rectangulum triangulum A D B tres cognitos habebit terminos, quorum ope quæsiti inveniantur, ut sequitur.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli C A B.

Præparatione constitutâ ut supra, invenio per 34 propositionem rectanguli trianguli A D C angulum C A D 138 gr. 5.
Et per 35 propositionem rectanguli trianguli A D B angulum B A D primæ determinationis 83 gr. 32.
Pro secunda autem determinatione ejusdem anguli B A D 96 gr. 28.
Angulus C A D 138 grad. 5 ① hoc ordine primus, mulctatus angulo B A D 83 gr. 32 ① hoc ordine secundo, relinquet quæsitum angulum C A B primæ determinationis 54 gr. 33.
Vt autem cognoscam utrum etiam aliam determinationem admittat nec ne, expendam an angulus B A D 96 gr. 28 hoc ordine tertius, auferri possit à C A D 138 gr. 5 ① hoc ordine primo, & quia hic isto major est reliquus exhibet secundam amplitudinem quæsiti anguli C A B 41 gr. 37.
Quod si angulus B A D superasset angulum C A D, evidens est secundam determinationem dari non posse.

Investi-

Investigatio lateris B C *ignoto angulo oppositi.*

Præparatione superiori retentâ, invenio per 24 propositionem rectanguli trianguli A D C crus C D 150 gr.

Et per 35 propositionem rectanguli trianguli A D B crus D B primæ determinationis 79 gr. 59.

Pro secunda autem ejusdem lateris D B determinatione 100 gr. 1.

Latus C D 150 grad. terminus hoc ordine primus multatum latere D B 79 gr. 59 ①.

Hoc ordine secundo, relinquet quæsitum B C primæ determinationis 70 gr. 1 ①.

Præterea ut certò definiam utrum hoc paradigma geminam determinationem admittat nec ne, considero an D B 100 gr. 1 ① hoc ordine tertius deduci possit de C D 150 grad. hoc ordine primo, & quia hic istum excedit reliquus fuerit pro secunda determinatione quæsiti lateris B C 49 gr. 59.

Quod si verò latus D B majus fuisset, quam C D jam secunda determinatio nulla foret


Investigatio lateris A B *cognito angulo oppositi.*

Omnibus constitutis ut supra, prius explorandum erit utrum determinationem unicam an geminam habeat: Quod ut certò definiatur ante unus è suprascriptis terminis inveniatur, id est vel angulus C A B, vel latus C B, quæ si geminam habuerint & hoc habebit, sin unicam & hoc duntaxat unicam conclusionem admittet. A B autem in hoc paradigmate anceps fuerit quia angulus C A B, & latus C B ambiguæ determinationis sunt. Quare rectanguli trianguli A D B basis A B, per 35 propositionem, invenitur 82 gr. 22.

Et pro secunda determinatione 97 gr. 38.

NOTA.

Si fortè duo cogniti anguli ut hic B, C, æquales forent, reliqui termini non paulò brevius & compendiosius inveniuntur, latera enim iis opposita æquabuntur: demisso igitur perpendiculari A D in C B, iste triangulum A B C dirimet in duo æqualia rectangula triangula A D B, A D C, quæ singula duos angulos & basin cognita habent: Si igitur alterutrius trianguli, ut puta A D B per 34 propositionem latus D B, & angulus D A B inveniantur, unâ operâ latus D C, & angulus D A C cognoscentur, qui cōpositus cum angulo D A B dabit quæsitum C A B. Et C D additus ad D B exhibet totum latus C B. Gemina autem determinatio in hujus generis triangulis non cadit, ut è 5 regula 39 propositionis manifestum est. Quod ad demonstrationem attinet, illa vel ex pragmatiæ consequentia nullo negotio derivatur.



CONCLUSIO. Itaque sphærici trianguli duobus obliquis angulis, & latere alteri eorum opposito cognitis; tertium angulum & reliqua latera invenimus. Quod facere oportuit.

II PROBLEMA. 42 PROPOSITIO.


Sphærici trianguli duobus obliquis angulis, & latere quod iis adjacet cognitis: tertium angulum & reliqua latera invenire.

Tres cogniti termini ut generatim exprimam hujusmodi sunt.



Quorum diagrammata trifariam distinguemus, quia perpendicularis qui ad eorum factionem adsumitur tripliciter cadit, aut enim intra triangulum, aut extra, aut in cognitum latus incidit, ideoque unicuique peculiare paradigma assignabimus.

1 *Exemplum si perpendicularis intra triangulum cadat.*



DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus CAB sit 86 grad. 48 ①, angulus C 40 gr. & quod eis adjacet latus AC 50 grad.

QVAESITVM. Tertius angulus B, & reliqua latera AB, BC invenienda sunto.

PRÆPARATIO. Cum etiamnum in ambiguo sit an perpendicularis à cognito angulo A in latus oppositum intra triangulum, an extra, an in latus ignotum AB incidat, ipsum AB tanquam verè perpendicularem arcum assumo, & angulum B ut rectum: quare adumbratum hoc rectangulum triangulum ABC tres cognitos habet terminos, duos nimirum angulos B, C, & basin recti AC, quorum ope, per 34 propositionem, ignoratus angulus CAB invenitur 61 gr. 40.

Quod si is datum angulum CAB æquaret, jam fictus perpendicularis idem esset qui AB, & trianguli ABC angulus B rectus, sed angulus CAB eum excedit, est enim 86 gr. 48.

Hic igitur CAB multatus angulo CAD 61 gr. 40 ① quem in hoc ordine primus exhibet, relinquet angulum DAB 25 gr. 8.

Si verò primus ille 61 gr. 40 ① datum angulum CAB superasset, sequentis 2 exempli pragmatia imitatione exprimenda foret, & 3 si ei æquaretur. Iam autem delineato vero perpendiculari AD, ejus quantitatem, quia crus est anguli recti ADC, per 34 propositionem invenio 29 gr. 30.

His assertis, duorum rectangulorum triangulorum ADC, ADB tres termini cogniti erunt, quorum ope ignorati inveniantur, ut sequitur.

CON-

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli B.

E superiori præparatione, invenio per 36 propositionem rectanguli trianguli A D B quæsitum angulum B 68 gr. 18.


Investigatio lateris AB.

Eâdem præparatione, invenio per 36 propositionem A B basin recti anguli A D B, quod etiam quæsitum latus est 32 gr.

Investigatio lateris BC.

Præparatione eâdem invenio, per 34 propositionem, recti anguli A C D crus C D 42 gr. 14.
Cum quo compositum crus D B recti anguli A D B, quod per 36 propositionem deprehenditur 13 gr.
Exhibet quæsitum latus B C 55 gr. 24.

2 *Exemplum ubi perpendicularis extra triangulum cadit.*



DATVM. Esto A B C sphæricum triangulum, cujus angulus C A B sit 18 gr. 7 ①, angulus C 140 gr. & latus quod eis adjacet seu commune crus A C 88 grad.

QVAESITVM. Tertius angulus A B C, & reliqua latera A B, B C invenienda sunto.

PRAEPARATIO. Quia needum liquet, utrum perpendicularis ab angulo cognito A in latus oppositum demissus intra triangulum, an extra, an in latus A B cadat. Animo concipio arcum A B verè perpendicularem esse, & angulum A B C rectum, atque ita commentitium illud rectangulum triangulum A B C tres cognitos habebit terminos, ut sunt anguli A B C, C, & basis recti A C, quorum ope, per 34 propositionem, angulus C A B invenitur 88 gr. 19.
Quod si datus angulus C A B ei æqualis foret, evidens est & fictum perpendicularem A B verum fore, & rectanguli trianguli A B C angulum B rectum. Sed angulus C A B minor est, valet enim tantum 18 gr. 7.
Hic igitur duo anguli C A B, B A D componunt angulum C A D 88 gr. 19 ①, qui hoc ordine primus est: Quare excessus ejus quo superat angulum C A B 18 gr. 7 ①, exhibet quæsitum B A D 70 gr. 12.
Quod si autem 88 gr. 19 ① hoc ordine primus, minor foret dato angulo C A B, primum exemplum imitandum esset, vel tertium si æqualis. Descripto igitur vero perpendiculari A D quod crus est recti anguli A D C, longitudinem ejus per 34 propositionem invenio 140 gr. 2.
Quamobrem utrumque rectangulum triangulum A D C, A D B tres terminos cognitos habet, quorum ope ignorati inveniantur ut sequitur.

CONSTRVCTIO.

Investigatio anguli ABC.

Ex præparatione antecedenti invenio, per 36 propositionem, rectanguli trianguli ADB angulum ABD 136 gr. 9.
Qui sublatus de 180 gr.
Relinquit quæsitum angulum ABC 43 gr. 51.


Investigatio lateris AB.

Præparatione superiori retentâ, invenio per 36 propositionem recti anguli ADB basin AB, quæ est quæsitum dati trianguli latus 112 gr.

Investigatio lateris BC.

Ex eâdem præparatione, invenio, per 34 propositionem, recti anguli ADC crus CD 92 gr. 37.
Hoc multatum crure DB anguli recti ADB, quod per 36 propositionem invenitur 60 gr. 44.
Relinquet quæsitum latus BC 31 gr. 53.

3 *Exemplum cum perpendicularis incidet in latus ignotum.*



DATVM. Esto ABC sphæricum triangulum, cujus angulus A sit 61 grad. 40 ①, angulus C 40 grad. & commune crus CA 50 grad.

QVÆSITVM. Tertius angulus B, & reliqua latera AB, BC invenienda sunto.

PRÆPARATIO. Quia etiamnum ignoratur utrum perpẽdicularis ab angulo cognito A in latus oppositum demissus, intra, extra, an in latus ignoratum AB incidat, arcum AB ipsum perpendicularem esse comminiscor, & angulum ABC rectum; commentitium igitur istud rectangulum triangulum ABC tres cognitos habebit terminos ut sunt anguli ABC, C, & basis recti AC, quorum ope angulus A, per 34 propositionem, invenitur 61 gr. 40.

Et quia datus angulus A tantundem valet, fictus perpendicularis idem etiam verus erit, & trianguli ABC angulus B rectus. Ideóque quantitas anguli B ex hac ipsa præparatione inventa fuerit. Si autem datus 61 gr. 40 ① minor invenietur invento angulo A, 1 exemplum, sin major 2 imitabere.

CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris AB.


Præparatione constitutâ ut ante, recti anguli ABC crus AB, per 34 propositionem, invenio 29 gr. 30.

Investi-

Investigatio lateris BC.

Ex eâdem præparatione, invenio per 34 propositionem recti anguli ABC crus BC utpote quæsitum latus 42 gr. 24.

1 NOTA.



Cum cogniti anguli ut hic A, C æquantur, reliquos ignoratos breviori via assequemur, latera enim iis opposita AB, BC quoque æquabuntur, & perpendicularis DB ductus in AC, ipsum secabit in æqualia segmenta AD, DC: Ut duo triangula BDA, BDC æqualia sint & rectangula, habentia commune latus DB. Quare si alterutrius trianguli ut puta BDA, per 36 propositionem, basis AB inveniatur, & angulus ABD, unâ opera cognoscetur quæsitum latus BC, & angulus DBC, qui compositus cum angulo ABD exhibet totum ABC.

2 NOTA.

Ad initium præparationum hujus problematis monuimus non liquere ex ipsa hypothesi, utrum perpendicularis à cognito angulo in latus oppositum demissus, intra triangulum, an extra, an in latus ignotum cadat: Si tamen summa datorum angulorum 90 gradibus æquetur, aut cedat, jam quo cadat scitur, nimirum extra triangulum, tunc enim tertius ignotus angulus necessariò obtusus est per cons. 14 propositionis, inter quem & acutorum alterum perpendicularis non cadit, verùm extra in continuatum obtusi anguli crus per 6 propositionem. Quantum ad demonstrationem hujus problematis attinet, ea ipsa ex pragmatiæ consequentia cuilibet obvia est.

CONCLUSIO. Itaque sphærici trianguli duobus obliquis angulis & latere, quod iis adjacet, cognitis: tertium angulum & reliqua latera invenimus. Quod erat propositum.

12 PROBLEMA. 43 PROPOSITIO.


Cognitis tribus sphærici trianguli lateribus: tres angulos invenire.

Cogniti tres termini generaliter hâc figura exprimuntur.



DATUM. Expositum esto sphæricum triangulum ABC cujus latus AB sit 32 grad. BC 55 gr. 24 ①, CA 50 gr.

QUAESITUM. Tres anguli inveniendi sunto.



CONSTRUCTIO.

Investigatio anguli A.

Quod fit sub sinubus laterum quæsitum angulum A comprehendentium hoc est ab 8231 in 7660, erit 63049460; hinc quatuor novissimis notis perpetuò detritis, quia totidem numerales circuli sinui recto in pragmatiis à nobis tribuuntur, supererunt	4059.
Expositi anguli minus crus de majore deductum relinquet 18 grad. cujus sinus-sagitta per 14 propositionem fabricæ sinuum erit	490.
Sinus-sagitta lateris quæsito angulo A subtensi est	4322.
Differentia hujus à 490 hoc ordine secundo est	3832.
Vnde proportio ut 4059 ordine primus ad sinum recti 10000, sic 3832 ad quem? concludes sinus-sagittam	9449.
Cujus arcus optatum angulum A exhibet	86 gr. 48.
Par ratio erit omnium angulorum, at in arcubus & angulis qui 90 gr. præstabunt usurpabis sagittas ipsis competentes majores semidiametro 10000; atque hâc viâ B angulus inventus est	68 gr.
Et qui ad C	40 gr. 1 ①.

DEMONSTRATIO.

Et primò quidem ad investigationem anguli A.

E' 30 propos. perspicitur, si è sphærico triangulo tres termini efformentur, quorum primus sit quod fit sub sinubus duorum crurum; secundus quadratum sinus recti; tertius differentia duarum sagittarum, quarum una sit differentiæ, crurum


crurum altera verò ſagitta baſis; quartum in hac proportione terminum eſſe ſagittam anguli à dictis cruribus comprehenſi.

Verùm ex ſphærico triangulo A B C tres terminos effinximus, quorum primus eſt 40590340 qui fit ſub ſinubus 7660, 5299 crurum A C, A B: ſecundus, quadratum ſinus recti 100000000, (pro quibus uſurpavimus 4059, 10000, cum eundem exhibeant quartum proportionalem) tertius autem terminus 3832, differentia duarum ſagittarum, quarum una 490 ſit ſagitta 18 grad. id eſt differentiæ crurum A C, B A, altera verò 4322 lateris tertii B C: Tribus his ex opere quartus proportionalis inventus eſt 9449.

Itaque 9449 fuerit ſinus-ſagitta anguli A ab A C, A B cruribus comprehenſi; ſed arcus huic ſagittæ debitus 86 gr. 48 ① amplitudinem dicti anguli definit.

NOTA.

Si ſphæricum triangulum ſit æquicrurum, hoc eſt ſi crura A B, A C, æquentur, reliqui ignorari termini etiam facilius invenientur, nam anguli ab his cruribus ſubtenſi æquales item fuerint; quamobrem perpendicularis A D biſecabit baſin B C; unde duo rectangula triangula exiſtunt A D C, A D B, quorum bina latera nota ſint, videlicet & baſis & crus recti. Itaque per 32 propoſ. inventis angulis C & C A D, etiam ipſis æquales B & D B A cognoſcentur, B A D igitur compoſitus cum C A D exhibebit integrum C A B optatum.




CONCLUSIO. Itaque tres trianguli ſphærici angulos è datis lateribus invenimus. Quod feciſſe oportuit.

13 PROBLEMA. 44 PROPOSITIO.

Cognitis tribus ſphærici trianguli angulis, tria latera invenire.


Tres cogniti termini incidunt in horum quatuor modorum aliquem.



Quorum varietatem duobus exemplis explicabimus.


1 Exem-

1 *Exemplum ad primum & secundum diagramma hujus formæ.*



DATUM. Esto sphæricum triangulum A B C, cujus angulus A sit 86 gr. 48 ①, B 68 grad. 19 ①, C 40 grad.

QUAESITUM. Tria latera invenienda sunto.



CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris subtensi maximo angulo A.

Sinubus angulorum B, C adjacentium optato lateri B C, inter se multiplicatis, hoc est 6428 cum 9292, fit 59728976, unde quatuor novissimis characteribus detritis, totidem videlicet, quot numerales circuli in sinu recti nobis usurpantur, reliqui erunt 5973.

Differentia angulorum dicto lateri B C adjacentium est 28 grad. 19 ①, cujus sagitta per 14 propos. fabricæ sinuum valet 1197.

Sagitta differentiæ anguli A à latere B C subtensi, est 10558.

Hujus & 1197 hujus ordine secundi differentia erit 9361.

Vnde proportio exsistit, ut 5973 hoc ordine primus, ad sinuum recti 10000, sic 9361 hoc ordine quartus ad quem? concludes sagittam 15672.

Cujus arcus per 14 propos. de fabrica sinuum erit 124 gr. 33 ①, cjus à semicirculo differentia est quæsita B C 55 gr. 27.

Investigatio lateris subtensi angulo, qui maximus non sit.

Sinubus angulorum A, B, qui quæsito lateri A B adjacent inter se multiplicatis, hoc est 9984 cum 9292, fit 92771328, hinc detritis novissimis quatuor notis, quot videlicet numeralium circulorum sinus recti assumitur, superent 9277.

Compo-

Compone angulos optato lateri adjacentes, qui erunt in exposito diagrammate A & B, summa 155 grad. 7 ①, hujus differentia à semiperipheriâ 180 gr. est 24 gr. 53 ①, cujus sagitta per 14 propos. de fabrica sinuum 928.

Sagitta anguli C ab optato latere A B subtensi valet 2340.

Hujus ejusdem & 928 hoc ordine secundi, differentia · 1412.

Vnde proportio ut 9277 hoc ordine primus, ad sinum recti 10000, sic 1412 hoc ordine quartus ad quem? concludes sagittam 1522.

Cujus arcus, per 14 propos. fabricæ sinuum, inventus optatum latus A B definict 32 gr. 2 ①.

Investigatio lateris A C,

quod perinde atque A B angulo non maximo subtenditur, similis est inventioni ipsius A B, cujus pragmatiam imitatus, inveneris ipsum 50 gr.


Simillima erit pragmatiæ ratio trianguli secundæ formæ.

2 *Exemplum ad tertium & quartum diagramma hujus formæ.*



DATVM. Expositum esto tripleurum sphæricum A B C, cujus angulus A 40 gr. B 111 gr. 41 ①, C 93 gr. 12 ①.

QVAESITVM. Tria latera invenienda sunto.



CONSTRVCTIO.

Investigatio lateris cujuslibet, ut B C.

Sinus angulorum B, C quæsito lateri B C adjacentium, id est 9984 & 9292 inter se multiplicati, efficiunt 92771328, hinc ex usitata reductionis lege deletis quatuor novissimis notis, videlicet quot numerales circulos sinus recti habet, reliqui erunt 9277.

Differentia dictorum angulorum optato lateri adjacentium 18 grad. 29 ①, cujus sagitta per 14 propos. de fabrica sinuum invenitur 516.

Sagitta,

Sagitta, differentiæ à ſemicirculo anguli A qui à latere optato BC ſubtenditur eſt 17660.
Hujus & ejuſdem 516 hoc ordine ſecundi differentia eſt 17144.
Vnde proportio, ut 9277 hoc ordine primus, ad ſinum recti, ſic 17144 hoc ordine quartus ad quem? concludes ſagittam 18480.
Cujus arcus per 12 propoſ. de fabrica ſinuum 148 gr. & ejus à ſemicirculo differentia pro quæſito arcu BC 32 gr.
Pari ratione reliqua duo latera invenientur, utpote AB 130 gr.
AC 124 gr. 36.
Conſimili plane viâ quarti trianguli, cujus omnes anguli obtuſi ſunt, tria latera adſequeris.

1 NOTA.

Pragmatia inveſtigationis lateris BC hoc 2 exemplo non alia eſt quam inveſtigatio lateris BC primi exempli, quod maximum angulum ſubtendebat, reliquorum autem laterum videlicet AB, AC hujus exempli inventio, cum ſit ſimilis pragmatiæ ipſius BC, diverſa eſt ab inveſtigatione AB, AC primi exempli, quod ex opere perſpicere eſt. Inveſtigationem verò hujus lateris BC ideo univerſam iterato adſcripſi, ut in ſingulis exemplis ſua pragmatia ad imitandum plenè ante oculos ſit.

DEMONSTRATIO.

Et primum quidem lateris BC *1 exempli.*

A' ſphærici trianguli tribus angulis, quorum duo tresvé acuti ſint, tres terminos exiſtere per 31 propoſitionem evidens eſt, ut primus ſit quod ſit ſub ſinubus minimorum angulorum; ſecundus quadratum ſinus recti; tertius verò duarum ſagittarum differentia, quarum una ſit differentiæ dictorum minimorum angulorum, altera autem differentiæ tertii anguli à ſemicirculo; quibus in eadem analogia quartus ſit ſagitta ſinus lateris eidem acuto oppoſiti.

Sed è ſphærico acutangulo triangulo 1 exempli ABC tres terminos conſtituimus quorum primus 59728976 qui ſit ſub ſinubus 6428, 9292 minimorum angulorum B, C: Secundus quadratum ſinus recti 100000000 (vel quod idem ſit 5973, 10000, nam & hi & iſti eundem exhibent quartum) tertius autem terminus 9361 differentia duarum ſagittarum, quarum una 1197 ſit differentiæ duorum minimorum angulorum B, C, altera autem 10558 differentiæ anguli A de ſemicirculo, & ex opere 15672 inventus eſt iſtis quartus proportionalis. Quamobrem 15672 fuerit ſinus-ſagitta differentiæ lateris eundem tertium angulum A ſubtendentis. At arcus competens ſagittæ 15672 valet 124 grad. 33 ①, cujus à ſemicirculo differentia 55 gr. 27 ① ex conſtructione, tantus itaque erit arcus BC.


Simillima demonſtratio erit laterum AB, AC, quæ minimis lateribus ſubtenduntur, adhibita tamen 31 propoſ. parte ſecunda, ut in antecedenti ejuſdem propoſitionis prior pars uſurpata fuit.

Præterea pari ratione è 31 propoſ. conſectario in promptu erit demonſtratio trium laterum trianguli, cujus duo tresvé anguli obtuſi erunt.

NOTA

NOTA.

Longe compendiosius tria latera adsequemur, si ut in hoc triangulo A B C, duo anguli B, C, æquales sint. Etenim perpendicularis A D in arcum B C (qui duobus B & C æqualibus angulis adjacet) demissus, dispescet angulum C A B bifariam, & triangula rectangula A D C, A D B tres cognitos habebunt angulos. Quare si alterutrius trianguli ut A D C latera per 37 propositionem inveniantur ut A C, A D; reliqui trianguli latus A B, nec non arcus B D cognoscetur, qui compositus cum C D exhibebit integrum latus B C.



CONCLVSIO. Itaque cognitis tribus tripleuri sphærici angulis, tria latera eruimus, Quod fecisse oportuit.

SPHÆRICORVM TRIGONOPINAX.

Qui tabulæ instar est, indicium facientis quonam modo triangula ex doctrina jam exposita repeti possint, ut in dato triangulo cujus ignoratus terminus terminivé inveniendi sunt, operatio illis similiter instituatur.

QVandoquidem præcedentes regulæ, quibus sphæricorum triangulorum ignoti termini inveniuntur, quam dissimillimæ maximæque variæ sint, ideoque difficillimè memoria comprehendi possint, certa nobis ratio ineunda fuit ut illas molestias antevertamus, & ad quævis problemata explicanda simile aliquod paradigma è superioribus desumi possit, cujus ratiocinium per omnia sequi liceat, ne animum sua varietate discrucient. Huic fini sequentem istam sphæricorum triangulorum descriptionem tabulæ in morem concenturiavimus, cujus usum deinde exemplo declarabimus.

SPHÆ-

SPHAERICA TRIANGVLA PRIMÆ DISTINCTIONIS, VBI ANGVLVS RECTVS COGNITVS DATVR.


Pagina 225, 1 exemplum 32 propositionis.


Pag. 226, 2 exemplum 32 propos.


Pag. 227, 3 exemplum 32 propos.


Pag. 228, 4 exemplum 32 propos.


Pag. 231, 1 exemplum 33 propos.


Pag. 232, 2 exemplum 33 propos.


Pag. 233, 3 exemplum 33 propos.


Pag. 236, 1 exemplum 34 propos.


Pag. 237, 2 exemplum 34 propos.


Pag. 237, 3 exemplum 34 propos.


Pag. 238, 4 exemplum 34 propos.


Pag. 241, 1 exemplum 35 propos.



Page 241, 1 exemplum 35 propositionis.



Pag. 245, 1 exemplum 36 propositionis.



Pag. 245, 2 exemplum 36 propositionis.



Pag. 246, 3 exemplum 36 propositionis.



Pag. 247, 4 exemplum 36 propositionis.



Pag. 250, 1 exemplum 37 propositionis.



Pag. 251, 2 exemplum 37 propositionis.



Pag. 251, 3 exemplum 37 propositionis.

SPHÆ-

SPHAERICA TRIANGVLA.

SECVNDÆ DISTINCTIONIS,

ubi latus quidem 90 grad. sed angulus rectus cognitus non datur.



Pag. 254, 1 exemplum 38 propositionis.



Pag. 254, 1 exemplum 38 propositionis.



Pag. 256, 2 exemplum 38 propositionis.



Pag. 256, 2 exemplum 38 propositionis.



Pagina 257, 3 exemplum 38 propositionis.



Pag. 258, 4 exemplum 38 propositionis.



Pag. 260, 5 exemplum 38 propositionis.



Pag. 260, 5 exemplum 38 propositionis.



Pag. 261, 6 exemplum 38 propositionis.



Pag. 261, 6 exemplum 38 propositionis.



Pag. 262, 7 exemplum 38 propositionis.



Pag. 262, 7 exemplum 38 propositionis.



Pag. 263, 8 exemplum 38 propositionis.



Pag. 263, 8 exemplum 38 propositionis.



Pag. 264, 9 exemplum 38 propositionis.



Pag. 264, 9 exemplum 38 propositionis.



Pag. 266, 10 exemplum 38 propositionis.

SPHÆ-

SPHÆRICA TRIANGVLA TERTIÆ DISTINCTIONIS

ubi nec angulus rectus, nec latus 90 grad. ut cognita dantur.


Pag.268 propositione 39. Verum ante inspicito introductionem pag.269, ut inde quod exemplum sequendum sit cognoscas.


Pap.281, propositione 40.


Pag. 284, propositione 41.


Pag. 288, propositione 42.


Pag. 292, propositione 43.



Pag. 294, 1 exemplum 44 propositionis.



Pag. 294, 1 exemplum 44 propos.




Pag. 295, 2 exemplum 44 propos.



Pag. 295, 2 exemplum 44 propos.

VSVS HVIVS INDICIS.

Ignoratus terminis terminive dati trianguli A B C inveniendi sunto, angulus B sit 90 gr. C 50 gr. & latus A C graduum 60. Quia angulus B rectus, recti basis A C quadrante minor, & angulus C acutus est, angulo recto characterem R, lateri A C literam K, & reliquo acuto angulo notam K quoque adscribito, ut vides. Huic in prima Trigonopinacis distinctione (quia est rectangulum triangulum) simile paradigma inquirito, quod octavo loco inventum, ad 1 exemplum 34 propositionis pag. 236 te remittet, cujus ratiocinium secu



rus voti compos eris: de cæteris simile judicium esto. Præterea in omnibus rectangulorum triangulorum hoc est primæ distinctionis paradigmatis, litera B anguli recti, A C basis recti, B C cruris perpetuæ notæ sunt: Si igitur opus sit ignoratos dati trianguli terminos aliis characteribus, vel iisdem alio ordine significatos invenire, eorum loco (ne animus distrahatur homologia laterũ quæ diversis notis indicantur) substituere poteris elementa illa quæ imitabile triangulum habet, nimirum B ad angulum rectum, A supra, C ad angulum tertium adscriptis: & si fortè angulus rectus ad sinistram situs sit, inverti atque ad dextram collocari poterit. ut habeatur triangulum simile exposito paradigmati.

Quæ hic de rectangulo triangulo dicta sunt, generaliter de reliquis in quibus angulus rectus cognitus non est, intelliguntor, qualia sunt 2 & 3 distinctionis, quæ signabis iisdem literis, vel invertes prout imitabile triangulum affectum videbis. atque tum constructionem seu pragmatiam per omnia te qui licebit.

In 40, 41, 42 propositionibus omnes diversas species sigillatim, ut in aliis, prosecuti non sumus, & quia supervacaneum esset omisimus: atque ut id exemplo declaremus, fingamus aliquem ita objicere: Triangulo 40 propositionis, quod triplicem varietatem admittit, proposito, unde indicium sumam quod exemplum ad inventionem ignoratorum terminorum sequi debeam? Quolibet exemplo te ad optatam metam pervenire posse respondeo, ut si 1 exemplum imiteris, ubi ad finem præparationis deveneris indicabitur, an istam pragmatiam, an 2, an 3 exempli sequi debeas, quare reliqua prosecutus secundum istud paradigma ad quod remitteris, propositum scopum attinges. Sin alterum reliquorum exemplorum priùs sequaris, sub finem præparationis eâdem ratione quâ viâ insistendum sit moneris. Idem fiet 41 & 42 propositione quarum præparationes similes cautiones habent.

ADDI-

ADDITAMENTVM
DE SPHÆRICIS MVLTANGVLIS.

ADDITAMENTI
BREVIARIUM.

HACTENUS de inventione ignotorum terminorum in triangulis sphæricis dictum est: quamvis autem hinc inveniri possint ignoti & certò definiti termini cujusvis sphærici multanguli, nam vel in triangula dividua sunt, aut additione ad triangula reducuntur, tamen quia res explicationem postulat, descriptionem paulò pleniorem adjiciemus, quod ADDITAMENTUM dicimus.

ADditamentum istud sphæricorum-triangulorum, multa cum planorum triangulorum additamento habet communia, etenim duæ illæ definitiones prima anguli inversi, altera quadranguli usitati, inversi & decussati, huc etiam referri possunt. Præterea pragmatiæ ratio duarum novissimarum propositionum de planis multangulis, non pauca habet conjuncta & communia cùm similibus sphæricorum multangulorum propositionibus. In eo tamen sphærica à planis dissident, quod inextricabiles illæ difficultates & ἀδυναμίαι hîc locum non habeant, nam tria ignota latera, quæ è cognitis reliquis omnibus plani rectilinei terminis inveniri nequeunt per Additamenti planorum triang. propos. 3, in sphæricis multangulis certò & constantèr inveniuntur: Item duo æquidistantia ignota latera, quæ in planis multangulis definiri non possunt, ut est planorum Additamenti propos. 4, in sphæricum multangulum non cadunt. Contra autem illud dispendii sphæricis accidit, quod cognitis omnibus angulis minus uno, ignoratus hinc inveniri non possit, quia anguli sphærici multanguli non æquantur tot rectorum paribus, quot ipsum angulos habet minus duobus, ut de planis multangulis propositione 1 illius Additamenti demonstratum est.

Quare duo Theoremata, similia duobus novissimis planorum multangulorum theorematis proponemus, illis tamen magis universalia, quia hæc illis exceptionibus, ne tres ignorati termini sint meræ lineæ, aut duo ignota latera parallela, non afficiuntur.

1 PRO-

1 PROBLEMA. 1 PROPOSITIO.

Quadranguli sphærici quinque quibuscunque terminis cognitis: reliquos ignoratos invenire.


Ter octona illa diagrammata 6 propositionis additamenti ad plana triangula, tanquam sphærica quadrangula intelligantor: quæ hîc in tria exempla fecernimus.

1 *Exemplum ad 1,2,3,4,6, & 7 diagrammata.*

Hoc exemplum 1,2,3,4,6,7 diagrammatum, in dato, quæsito, præparatione,& pragmatia, omnino convenit cum similibus planorum quadrangulorum diagraphis, nisi quod hîc triangulorum ignoti termini è sphæricorum, illic autem è planorum doctrinâ inveniantur: Itaque horum inventionem indidem manifestam existimamus.

2 *Exemplum ad 8 diagramma.*

DATVM. Esto sphæricum quadrangulum ABCD secundum thesin 8 diagrammatis, cujus latus DC & eidem oppositi anguli A, ABC, reliquis omnibus terminis cognitis, ignorentur.



QVÆSITVM. Tres isti ignorati termini inveniendi sunto. PRÆPARATIO. Quia è ductu diagonii DB aut AC ut 1,2,3,4,6 diagrammatis, aut continuatione duorum laterum ut 7 diagraphâ, quadrangulum hoc ad duo triangula quorum unum tres cognitos habeat terminos,quemadmodum dictę figuræ, reduci nequit,aliâ insistendum erit viâ,ut sequitur; Ab ignotis angulis DAB, ABC, duos perpendiculares EF, EG demittito in ignotum latus DC.

CONSTRVCTIO.

Trianguli AFD tres termini cogniti sunt, nam AFD rectus est ex præparatione, D autem & AD ex thesi: quorum ope tres ignorati termini invenientur per 34 propositionem sphæricorum triangulorum, primò angulus DAF.
Deinde latus DF.
Et latus AF.
Trianguli BCG tres termini sciuntur, nam BGC ex præparatione rectus est, C autem & BC ex thesi: quorum ope, per 34 propositionem, ignorati termini invenientur, videlicet angulus GBC.
Latus GC.
Et latus BG.
Quod deductum de EG 90 grad. relinquit EB.
Et AF hoc ordine tertius deductus de EF 90 gr. relinquit AE.
Triangulum AEB tres cognitos habet terminos, videlicet AE hoc ordine octavum, EB septimum, & AB ex thesi: quorum ope, per 43 sphæric. triang. propositionem, ignorati termini invenientur, nimirum quantitas anguli E, id est arcus FG.

Angu-

Angulus	EAB;
Et	EBA.
Composito FG hoc ordine nono, cum DF secundo, & GC quarto, totus erit quæsitus	DC.
Subducto EAB hoc ordine decimo, de 180 gr. reliquus erit	BAF.
Cum quo compositus DAF hoc ordine primus, totus erit angulus	DAB.
Subducto EBA hoc ordine undecimo, de 180 gr. relinquitur	ABG.
Qui additus ad GBC quartum, dabit angulum	ABC.

Cujus demonstratio ex ipsa pragmatiæ consequentia manifestissima est.

3 *Exemplum ad 5 diagramma.*

NOTA.

Investigatio ignoratorum 5 diagrammatis terminorum dum ista conscriberem mihi necdum in mentem venerat, atque ideo hujus 3 exempli solam inscriptionem hic ob oculos ponimus, quò φιλομαθεῖς ad ejus solutionem excitemus, atque ita deinceps sphæricorum multangulorum doctrina ista accessione locupletata tantò auctior fit & illustrior.

2 PROBLEMA. 2 PROPOSITIO.

Omnibus multanguli sphærici terminis præter tres cognitis, istos tres ignoratos terminos invenire.

DATUM. Intuere planum sexangulum ABCDEF in 7 propositione additamenti ad plana multangula, ipsumque sphæricum sexangulum esse animo concipias, ut latera omnia ad maximorum sphærę circulorum modum inflexa sint; latus autem EF, nec non duo anguli E & AFE ignorentur, reliqui autem omnes termini cogniti dentur. QUÆSITUM. Tres isti ignorati termini inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

Modus hic à suprascriptæ 7 propositionis planorum multangulorũ doctrina id duntaxat diversi habet, quod quæ illic in primo & quarto ordinis termino per 6 planorum triangulorum propositionem inveniuntur, hic per 33 sphæricorum propositionem investiganda sint: & qui illic nonus ordinis terminus per 1 exemplum 6 propositionis additamenti ad plana multangula inventus est, hic inveniendus sit per 1 exemplum 1 propositionis hujus additamenti ad triangula sphærica: Similis omnino erit modus in reliquis omnibus sphæricis multangulis instituendus (excepto 5 diagrammate, in quo ignoratorum terminorum investigatio adhuc desideratur) possunt enim omnia in triangula vel quadrangula resolvi, unde quæsiti termini deinde inveniantur ut supra: Cujus demonstratio ex operis filo perspicua est.

CONCLUSIO. Quamobrem omnibus sphærici multanguli terminis præter ter cognitis, istos tres ignoratos invenimus, ut decuit.

SPHÆRICORUM TRIANGULORUM

FINIS.

APPENDIX DOCTRINAE TRIANGVLORVM.

APPENDICIS BREVIARIUM.

ETſi de aliorum erroribus, quorum commemoratiò nec utilis nec neceſſaria videtur, dicere, multò magis ſcribere animus abhorret, partim quia id ſine alterius vituperatione fieri non poſſe plerique interpretantur, partim quia aliunde exercendi ingenii campus abundè ſuppetit, ut in aliorum erroribus detegendis ac refutandis tempus terere opus non ſit; In iſtoc tamen additamento nonnullos errores (nonnullos inquam, quia omnes recenſere & longum & moleſtum foret) mihi animadverſos perſtringam, utile enim fore exiſtimavi cùm PRINCIPI meo multò ILLUSTRISSIMO, tum mihi aliiſque mathematicarum rerū ſtudioſis, ſi diſcriminum cauſæ inter hujus ſyntagmatis propoſitiones & alios ſcriptores memoriç prodantur. Quantum verò ad eos attinet qui hæc aliter, & quidem in pejorem partem, quam à me dicta ſunt, accipiunt: quod eos in errore verſari ſciam plus ſatis ſolatii mihi eſt, cum ſcriptores iſtos tanti æſtimem ut obligatum me illis & beneficiis obſtrictum libens profitear, pro iis quç in erudito hoc pulvere ab illis ſum edoctus, atque tanti à me fiant, ut me, ſi plures errores quam illi hîc committam, minimè pudeat. Quos, ſi qui ſunt, ab aliis corrigi non minus, quam ipſe aliorum errores corrigere malo: cum vera diſcere gratius nobis eſſe debeat, quam homines ab erroribus immunes, hoc eſt quod non ſimus, velle videri.

Quia verò in ſuperioribus, ob cauſas in periochâ ſeu argumento primi libri expoſitas, nonnulla omiſimus quæ inter propoſitiones interſeri potuiſſent, eadem illa certo ordine, quaſi per capita, in hunc librum congeſsimus, ut ſequitur.

CAP. I.

De appellatione *Arcus differentiæ*, & *Anguli differentiæ* definitione 4 & 5 de fabrica sinuum.

DIFFERENTIAM inter datum arcum & peripheriæ quadrantem hujus ævi Mathematici *Complementum arcus* dixere, quòd tantus arcus ad quadrantis absolutionem perfectionemque requiratur. Esto exempli gratia 1 definitione De fabrica sinuum, expositus arcus B C taxatus 60 gr. & B E quadrans 90 grad. Horum differentia 30 gr. pro arcu C E *complementum arcus* appellatur, tantùm enim arcus B C à quadrantis perfectione abest. Etymologia hæc côcinna & probabilis sit cum expositus arcus quadranti cedit, quæ non perinde vera fuerit si excedat: Esto enim in eâdem diagraphâ D C expositus arcus quadrante major utpote 120 gr. & D E quadrans id est 90 gr. Horum differentia, qui est excessus positi arcus supra quadrantem, erit C E 30 gr. Verum excessus iste perperam complementum dicitur, id enim quod à D C aufertur ut reliquus tantò minor sit, non potest esse complementum ipsius D C. Ut hoc exemplo clarius evadat ita habe: Si creditor æris alieni 90 libellarum quo obligatus est 60 libellis persolutis insuper 30 adderet, istæ non inneptè complementum harum 60 usque ad 90 dici possent. Sin verò cum tantùm 90 deberet, 120 libellas contulisset hoc est 30 amplius quam obstrictus esset, & istæ 30 libellæ ei à creditore redderentur, hæ non fuerint complementum 90 lib. sed potius redundantia & excessus quem ultra debitas 90 libellas persolverat. Istæ sunt rationes quæ me ab usitatâ voce *Complementum* averterunt. Quantum autem attinet ad has voces complementum & excessus, quæ pro datâ occasione variari possent, id non sine difficultate fieret, & tum præcipuè quando in genere non definitâ specie appellandæ forent. Ideoque præ cæteris probata mihi fuit appellatio *Arcus differentiæ*, hoc est, arcus quo expositus à quadrante differt: quæ, sive positus arcus quadranti cedat, sive præstet, propriam & côvenientem significationem habet.

Verùm nimia curiositas in definiendo, præcipuè autem cum ex usu res ipsa satis manifesta sit, nonnullis inutilis & vitiosa videri poterit, nec immeritò, etenim & nos ab hac mente sumus; verùm malitiosus error est illas definitiones retinere, quæ errori ansam præbeant, quod mihi ista tractanti usu venit, dum etymon vocis *Complementum* secutus adderem, cùm res ipsa contrariam subductionem seu multam posceret. Cujus caliginis fraudisque primum fontem ab impropria definitione manare tandem intellexi. Neq; adeò absonum aut alienum videtur hanc minus aptam appellationem occasionem iis erroribus præbuisse in quos infrascripti autores prolapsi sunt: nec mirum fuerit si subtilis ista scientia, quæ propriis verbis expressa satis superque difficultatis habet, impropriis aut non accommodis vocibus explicata, tantam caliginem noctemque rebus ipsis offundat, & præ cæteris hoc vocabulo, quod in ista carte utramque ferè paginam facit, ut è superioribus planum est.

CAP. II.

De planorum triangulorum determinatione gemina.

REGIOMONTANUS 51 propos. 1 lib. triangulorum inquit:

TRIANGULI duo latera cum angulo acuto, cui alte-

rum eorum opponitur, ad latera & angulos reliquos cognoscendos nequaquam sufficere. Verum qua lege perpendicularis cadat, si callebimus, omnia patefient.

Quod falsum esse ita arguo: Si primò latus cognitum cognito angulo subtensum majus sit reliquo cognito latere; etiam angulus reliquo cognito lateri subtensus acutus erit, ut 2 regulâ 5 propos. planorum triang. ostendimus: unde locus in quem perpendicularis sive extra, sive intra triangulum cadat scitur. si namque datus cognitus angulus obtusus sit, cadet extra: sin acutus, cadet intra.

Secundò ubi cognita latera æqualia erunt, perpendicularis necessariò intra cadet.

Tertiò ubi latus cognitum angulum subtendens reliquo cognito minus fuerit, & præterea angulus huic oppositus ex opere rectus deprehendetur, perpendicularis in hoc ipsum cognitum latus incidet.

Quæ adversum *Regiomontanum* hic prolata sunt, eadem de omnibus *Regiomontani* æmulis intelliguntor.

CAP. III.

De definitione sphæricorum triangulorum, cur nullum latus, nisi semiperipheriâ minus, admittat.

Si unumquodque latus sphærici trianguli semiperipheriâ non sit minus, unum aut plura semiperipheriæ æquabuntur, aut etiam præstabunt; sit itaque primò semiperipheria A B C, ajo super hâc triangulum formari non posse: etenim alii duo maximarum peripheriarum arcus quales sunt A D, C D, vel A E, C E, ab hujus semiperipheriæ terminis producuntor donec concurrant, ut isti reliqua trianguli latera effingant, hi ad D vel E, quia sub eodem polo descripti sunt, nullum angulum faciunt, sed sunt una continua semiperipheria; ideoque isti arcus nullum formant triangulum, sed aut diangulum (sic enim liceat) ut A B C D, aut integram peripheriam ut A B C E. Quare semiperipheria latus sphærici trianguli esse nequit.




Si verò, cum figuræ A B C D unum latus semiperipheriâ majus est ut ABC, reliqua duo medio A D, D C minora inversum anguli A D C comprehenderint, id triangulum esse asseretur; quia è cognitis tribus hujusmodi trianguli terminis, ignorari inquiri possunt, certè magna theorematum seges unde problemata ipsa depromuntur commoda sit exemplo gratia 2 theorema seu 2 propos. quod angulum lateri A B in illo diagrammate oppositum acutum esse docet, ubi si pro arcu hypothetico C B intelligatur complementum integræ peripheriæ (quod semiperipheriâ majus est) tertium latus efficere, tum angulus lateri A B oppositus obtusus foret non autem acutus, quia is semiperipheriæ complementum esset acuti A B C. Equidem non me fugit theoremata omnia ita emendari posse ut ambitu suo complectantur latera trianguli tam semiperipheriâ majora, quam minora: verùm quia & veteres eo sensu nunquam usurparunt, & investigatio maximi lateris aut anguli hujus trianguli A B C D,



ope

ope trianguli A D C per explicata problemata commodissimè absolvatur(nam è cognitis terminis trianguli A B C D, etiam similes termini trianguli A D C sciuntur, quia latera D A, D C utrique communia sunt,& arcus A C complementum peripheriæ hypothetici A B C, præterea angulus D A C complementum semiperipheriæ anguli D A B, & D C A ipsius D C B) Quare ex ignotis trianguli A D C terminis, ignorati termini ipsius A B C D quoque inveniuntur. Ideoque tanquam supervacaneum & nullius usus istud à definitione præcidimus.


Denique si duo arcus ut in subjectâ figurâ A B C, A D E semiperipheriæ præstent, hi necessariò sese intersecabunt in F, & A B F, A D F per 3 consf. 1 propositionis semiperipheriæ erunt, C E igitur eos cōnectens sive semiperipheriæ æqualis, major, seu minor sit, cum reliquis arcubus non triangulum sed aliam aliquam figuram effinget. Si tamen ejus angulos aut latera inveniri opus sit, hæc ope definiti trianguli A C E deprehendentur, ut ex iis, quæ paulo ante de triangulo cujus unum latus semiperipheriæ præstat disseruimus, evidens est. Quare inutile & supervacuum fuerit in sphærico triangulo latus aliud quam semiperipheriâ minus admitti.



CAP. IV.

De triangulorum sphæricorum propositione 6.

REGIOMONTANVS 8 propositione libri 4 triangulorum arbitratur perpendicularem in sphærico triangulo, cujus duo anguli pariter acuti aut pariter obtusi sint, à tertio angulo demissum extra triangulum in productam basin cadere non posse. Vt verbi gratiâ, si trianguli A B G, anguli ad B & ad G pariter acuti sint, aut pariter obtusi, ab angulo tertio A in continuatam basin G B perpendicularis, ut A D, extra triangulum A B G cadere non poterit. Cujus demonstrationem hanc affert. Primò si A D normalis sit producto arcui G B, trianguli A D G angulus D rectus erit, & anguli recti crus A D subtendens acutum G quadranti cedet per consf. 2 propositionis: Deinde A D B triangulum rectangulum erit ad D cujus latus A D subtendens obtusum A B D (cum autem obtusum esse apparet quia complementum est semiperipheriæ expositi acuti A B G) quadrantem excedet: Eidem autem cedere & excedere absurdum est. A D igitur extra triangulum non cadit.



Quamvis autem hoc prima fronte similitudinem quandam speciemque veri habeat, à vero tamen planè alienum est; etenim perpendicularis A D in omnibus istiusmodi diagrammatis extra triangulum in productum G B cadere potest.

Esto enim sphæricum triangulum A B C cujus anguli A B C, A C B simul acuti aut simul obtusi sint, hic autem utrumque obtusum existimato, & ostendendum sit perpendicularem ab angulo A, extra triangulum A B C, in productum C B cadere posse. Sit itaque D polus arcus C B, & C B continuetur infinitè, id est tantum quantum satis sit, ut hic quidem integra peripheria C B E describatur, tumque per polum D & angulum A maximæ peri-

phcriæ



pheriæ arcus circinetur, qui continuatum arcum C B intersecet in F. Certè res ipsa loquitur A F normaliter seu ad angulos rectos incidere in productum arcum C B extra datum triangulum A B C: quod adhuc clarius hinc evadet, quia in istiusmodi triangulis perpendicularis intra cadit ut A H, hic continuatus ab H per angulum verticalem A donec semiperipheria sit, tandem necessariò producto C B alibi extra triangulũ occurret utpote in F. Quamobrem nos demonstrationem 6 propos. sphær. triangulorum ita expressimus, ut tamen perpendicularem extra cadere non negemus.

Prætetea notatu dignum est ope perpendicularis A F, ignotos trianguli A B C terminos inveniri, nõ secus quam auxilio intra cadentis A H. Sic exempli causa duo obtusi A B C, A C B, cum latere A B cognita sint, unde tertius angulus C A B, & reliqua latera C A, B C invenire oporteat. Itaque ad istorum investigationem, & primùm quidem anguli C A B, assumo rectangulum triangulum trium cognitorum terminorum B F A; angulus enim ad F rectus, basis recti A B, & acutus F B A, utpote complementum [illegible] hypothetici seu positi A B C, sciuntur: horum ope invento latere A F, [illegible] tres termini trianguli C F A cogniti fuerint: deinde in hoc triangulo inveniatur angulus F A C, & in illo F A B, quorum summa deducta de [illegible] gr. relinquet quæsitum angulum C A B. Porrò inventa in triangulo C F A recti basi C A, etiam quæsitum latus propositi trianguli scitur: Denique invento crure recti F C in triangulo G F A, & F B in reliquo triangulo B F A, eorumque summâ subductâ de 360 grad relinquetur quæsitum latus C B.

Causa autem cur demonstratio *Regiomontani* vacillet hæc est, quia figuram A C F B triangulum esse arbitratur, cujus latera sunt A F, F B C, C A, verùm quia latus F B C (quod in illius figura literis G B D significatur) majus est semiperipheriâ (F B H enim qui ab F D H utrinque secatur semiperipheriam æquat per 3 cons. 1 propositionis) istud non erit sphæricum triangulum ex sententia definitionis, ubi quodlibet latus semiperipheriâ minus assumitur, prout fusius 3 cap. hujus appendicis expositum est: Quare licet A F in istiusmodi triangulo sit basis obtusi A C B F, propterea tamen necessariò quadrante major non erit, sed etiam minor fuerit ut patet.

Quæ hic adversus *Regiomontanum* allata sunt, de *Regiomontani* asseclis super eâdem propositione quoque intelligantur.


CAP. V.

De compendiis in investigatione ignotorum terminorum dati sphærici trianguli, e 7, 14, 17, & 18 propositione deductis.

Quandoquidem propositiones primi Tmematis ideò institutæ sunt, ut deinceps in operationibus earum usus elucesceret, 14 autem 17 & 18 propositiones needum nobis us[illegible]rpatæ sint, earum usum 4 paradigmatis quam brevissimè exponere fert animus, quibus quin[illegible] subjiciam e 7 propositione derivatum, ut sequitur.

Nonnun-

Nonnunquam quatuor termini trianguli, ubi tamen nec angulus rectus nec latus 90 gr. sit, cognoscuntur, qui pro ratione propositi nostri his duobus modis duntaxat variari possunt.



Quorum ignorati termini non rarò breviori viâ quam supra investigantur; quia quilibet illorum unicâ duntaxat proportione separatim inveniri potest: ut è sequentibus exemplis apparet.

1 *Exemplum.*

Si A C, C B conjuncti 90 gradibus non præstent, tertium latus A B per conf. 17 propositionis minus erit, ideoque latere B C pro basi deorsum posito, ut A B unica operatione assequaris, dicito

Quemadmodum sinus dextri anguli B,
Ad sinum anguli sinistri C:
Ita sinus sinistri lateri A C ad quem?
Concludetur sinus, cujus minor arcus exhibet quæsitum A B.

2 *Exemplum.*

Si arcus A C, C B juncti 127 gr. non cedant, A B minor erit per conf. 18. propositionis: quare latus B C ut basin deorsum collocato, & quò A B unicâ proportione invenias operationem instituess ut in 1 exemplo.

3 *Exemplum.*

Si differentia laterum A C & C B 90 gr. non cedat, A B per conf. 17 propositionis quadrantem excedet, propterea assumpto B C pro basi, ut A B unicâ proportione assequaris, dicito

Quemadmodum sinus anguli dextri B,
Ad sinum sinistri anguli C:
Ita sinus sinistri lateris A C, ad quem?
Concludetur sinus, cujus major arcus exhibet quæsitum latus A B.

4 *Exemplum.*

Si summa angulorum C, B 90 gr. cedat, A excedet per conf. 14 propositionis, ideò statuatur A B pro basi, deinde ut angulus A unica proportione explicetur, dicito

Quemadmodum sinus dextri lateris A C,
Ad sinum lateris sinistri B C:
Ita sinus sinistri anguli B, ad quem?
Cõcludetur sinus, cujus major arcus exhibet quæsitum angulum A.

5 *Exem-*

5 *Exemplum.*

Si omnes anguli D, E, F acuti forent quodlibet latus per 7 propositionem quadrante minus erit, sumpto igitur latere F E pro basi, ut D E una proportione invenias, dicito

Quemadmodum sinus dextri anguli E,
Ad sinum anguli sinistri F:
Ita sinus sinistri lateris D F, ad quem?
Concludetur sinus, cujus minor arcus exhibet quæsitum latus D E.

Similiter ad inventionem lateris F E, in D E tanquam in basin triangulum insistat, & dicito

Quemadmodum sinus anguli sinistri E,
Ad sinum anguli dextri D:
Ita sinus dextri lateris F D, ad quem?
Concludetur sinus, cujus minor arcus fuerit quæsitum latus.

NOTA.

Quia nonnullæ harum pragmatiarum multiplicando & dividendo absolvuntur, modi autem jam ante expositi in pragmatiis (ubi nimirum perpẽdicularis quęritur) geminâ proportione utantur quarum singulę tamen unica multiplicatione expediantur; ut ideò illi nihil compendii afferre videantur: si tamen consideres canones ad duas istas proportiones bis adhiberi, & imitabile exemplum bis inquiri, deinde inventa segmenta ab utroq; angulo ad perpendicularem usque modò componi, modo detrahi, deniq; utrum determinatio sit anceps illic accuratè expẽdi debere, aliaq; similia, unicâ proportione quam hic descripsimus commodius & brevius negotium hoc absolvi intelliges.

CAP. VI.

De propositione 39.

Ioannes Regiomontanus lib. 4. prop. 29. ait:

Cognitionem duorum laterum trianguli non rectanguli, & anguli uni eorum oppositi, inventioni reliqui lateris, & reliquorum angulorum minimè sufficere.

Verùm hoc à vero alienum, & generale nõ esse è 39 propositione hujus evidens est: ubi septem regulis ostendimus, præterea triangula quorũ determinatio est anceps, nõ nulla quoq; esse duntaxat simplicia, & quidem definitâ anguli specie, acutusné, an verò obtusus sit. Quod autem arcus G H, in demonstratione dictæ 29 propositionis tanquam semiperipheria assumitur, ab omni ratione alienum est; quia reliqua latera A G, A H simul semiperipheriæ æqualia nullum comprehẽdant angulum necesse est: ut 3 cap. abundè disseruimus. Si verò hoc mendum sit typographicum (quod mihi verisimile fit, & pro istis: arcus G H fit semicircumferentia, reponi debeat, arcus G H sit semicircumferentiâ minor) & G H semiperipheriæ cedat (ut eum *Bressius* lib. 4. prop. 33. assumit) atque tum arguere velit A G H geminam conclusionem admittere, non tamen propterea illud se ad omnia triangula extendet, huic enim contrarium dictis septem regulis ostendimus.

Hæc animadversio in *Regiomontani* sectatoribus quoque locum habeto.

Neque

Neq; silentio prætereundum erat, si septem suprascriptas regulas per theoremata efferre malles, ut inde postea, quemadmodum in cæteris factum est, pragmatiæ derivarentur, sic primam regulam enuntiari debere:

Si trianguli sinister angulus acutus sit, & sinistrum latus dextro cedat: angulus dexter duntaxat acutus erit.

Deinde tertiam sic:

Si trianguli sinister angulus acutus sit, & sinistrum latus quadrantem excedat, dextrum verò complemento semiperipheriæ sinistri lateris nõ cedat: angulus dexter duntaxat acutus erit.


Et sic in cæteris.

Quia autem usum hic potissimùm spectarem, magis promptum & expeditum visum fuit loco istarum vocum, latus dextrum, sinistrum, angulus dexter, sinister, usurpare istas notas A, B, C, atque has regulis inserere, ut supra jam patuit. Si cui tamen aliud magis arridet, ei adeò adversari nolim, hic enim tantum indicare libuit hunc modum mihi istic magis aptum commodumque visum esse.

CAP. VII.

De propositione 41.

Mauritius Bressius ad finem 36 propos. libri 4 subjungit, in sphærico triangulo cujus duo obliqui anguli & latus alteri oppositum cognoscuntur, quoq; sciri debere utrùm latus reliquo cognito angulo oppositũ quadranti cedat, an præstet; & eo nomine *Regiomontanum* atque *Copernicum* erroris insimulat. Enimverò *Bressii* animadversio quæ fraudem hic subesse nos admonet haud contemnenda est, quæ tamen in omnibus vera non sit, nam quædam triangula unicam duntaxat determinationem habent. Sit enim sphærici trianguli A B C, angulus C 40 gr. B 68 gr. 19 ①, & A C 50 gr. Vnde per 41 propositionem concludes A B 32 gr. C B 55 grad. 24 ①, & angulum A 68 gr. 48 ①. Et si præceptum geminæ determinationis hic admittas, pro secundo ita concluderes: A B 148 gr. C B 209 gr. 24 ①, & angulum A 216 gr. 12 ①. Cum autem nec anguli nec latera 180 gradibus; per definitionem & causas 3 hujus appendicis capite expositas æquari possint, multò minus excedere; istud postremum ad rem nihil faciet, itaque unica determinatio hic tantum fuerit. Atque ideo nos 41 propositione indicium fecimus quando paradigma hoc unam, & quando geminam conclusionem recipiat.



CAP. VIII.

Quod vulgò rectangula triangula, ab obliquangulis perperam distinguant.

Quicunque hanc triangulorum doctrinam tradiderunt, tanquam unanimi

consensu rectangula triangula ab obliquangulis secernunt; & prius quidem rectangulorum, deinde obliquangulorum tractatũ expediunt. Verum distinctio ista, meo quidem judicio, nõ satis convenienter instituitur, etenim angulorum rectitudinem & obliquitatem triangulis ipsis applicant, quæ cognitis terminis duntaxat convenit, ut 32 propositioni præfixa hæc inscriptio indicat:

Distinctio prima, de sphæricis triangulis in quibus rectus angulus cognitus datur.

Et 38 propositioni sic:

Distinctio secunda, de sphæricis triangulis in quibus duntaxat unum latus 90 graduum ex hypothesi datur, rectus autem angulus ut cognitus non datur

Denique 39 propositioni præfixus hic titulus idem arguit.

Distinctio tertia, de sphæricis triangulis ubi angulus rectus, aut latus 90 grad. ex hypothesi non dantur

Vnde intelligitur triangula, vel rectangula, vel obliquangula, pr[illegible]et, generaliter inveniri posse: Etenim hoc modo omnia tri[illegible]a, ratione cognitorum terminorum, aptè & concinnè in doctri[illegible] po[illegible], secundum illorum autem partitionem non item. Atque ut istud ex[illegible]lo [illegible]strem; esto triangulum cujus tria latera cognoscuntur unum 29 gr. [illegible] ①, alterum 42 gr. 24 ①, tertium denique 50 grad. hinc tres angu[illegible] inven[illegible]ndi [illegible]o. Triangulum hoc (quamvis latenter) rectangulum est, duo [illegible]m m[illegible]ima latera rectũ obeunt angulum, & ideo ad distributionis ab ill[illegible]ctæ part[illegible]dam referri non potest: sed nec ad primam; quia tria latera ex h[illegible]esi [illegible]m dantur, atque an hoc rectangulũ triangulum sit ignoratur, quale in pr[illegible] parte ab illis explicatum non est, aut si sit, id confusè & absq[illegible]rdine fit, [illegible] nimirum species declaretur, cujus genus ignoretur. Cum autem [illegible]erali via & quasi regiâ ad investigationem ignoratorum trianguli termin[illegible]m è tribus cognitis opus sit, sive rectus angulus (quod eventus docebit) sive obliquus ibi lateat, iidemq́, computationis labores utrobique subeundi sint; ratione ita dictante (ut omnia hujus generis paradigmata explicentur) tam rectangulum, quam obliquangulum triangulũ hoc problemate comprehendi necesse erat. Ideoq́ue nos ab usitatâ partitionis formâ recessimus, tantùm habitâ ratione rectitudinis obliquitatisq́; angulorum, in terminis qui ex hypothesi dantur, atque ita propositiones ipsas quoque expressimus: Vt ex uno aut altero cognito obliquo angulo tandem etiam rectangulum triangulũ deprehendi possit, quod 3 exemplo 40 & 42 propositionum clarè perspicitur.

CAP. IX.

De compendiis, quos canones tangentium & secantium logistarum abacis suppeditant.

Quamvis ignorati tam planorum, quàm sphæricorum triangulorum termini, per solos sinuum canones explicari & expediri possint: quia tamen secantium & tangentem canones (quos non ita pridem inventos cõmunis fert opinio)

nio) haud mediocre compendium ad investigationem ignotorum terminorum subministrant (quod ii quibus calculus hic sæpè iterandus est, & hi qui abacos astronomicos tractant assiduè experiuntur) non abs re visum est, ista laborum levamina hoc capite succinctè & breviter complecti, ut in quibus potissimum consistant appareat.

Primò trianguli plani angulo recto, obliquo, & uno recti crure (quale 3 paradigmate propos. tertiæ planorum triangulorum proponitur) cognitis, reliquum crus adhibitis tangentium & secantium canonibus unica multiplicatione deprehenditur: Verum sine his tabulis & multiplicatione & divisione opus est.

Secundò plani trianguli angulo recto, & utroq; recti crure (cujusmodi 1 paradigmate 6 propositionis tractatur) cognitis, basis recti subsidio secantium & tangentium una multiplicatione & una divisione invenitur: Absque his autem trigeminus labos foret, gemina enim multiplicatione, & una lateris quadrati investigatione opus esset.

Tertiò in dicto triangulo anguli ad basin, usurpato canone tangentium, unicâ divisione concluduntur: non adhibito autem istoc canone, quatuor prolixæ operationes peragendæ sunt, namque bis multiplicandum, semel analysis lateris quadrati instituenda, & denique dividendum est.

Quartò quilibet sphærici trianguli terminus, ubi rectus angulus ex hypothesi datur, adhibitis canonibus tangentium vel secantium unico ratiocinio, multiplicationis videlicet, explicatur: cùm aliàs ferè divisione, quæ longè molestior & intricatior est, opus sit.

Quintò denique hæc abaci logistici sublevamina, quæ in planis & sphæricis triangulis cum cognito recto angulo recensuimus, etiam in iis, ubi angulus rectus ex hypothesi non datur, locum habent; quia perpendicularis ea in duo rectangula triangula dispescit, & tum in unoquoque triangulo ista compendia usurpari possunt.

NOTA.

Iam olim libellum edidi de usu & ratione Decimarum, ubi fusè disserui quantam calculo facilitatem inducant, si pro sexagesimis quibus vulgò utuntur, in arcuum subdivisionibus atque finibus adhibeantur, & sanè tractatus iste hunc sibi locum deposcere videatur; quia verò hæc exempla è planetarum mediis motibus, ac inde derivatis potissimùm desumuntur, ideo caput istud in APPENDICEM Motus Planetarum rejecimus. Atque hîc doctinæ triangulorum

FINIS ESTO.

LIBER
QVARTVS
COSMOGRAPHIÆ:
DE
COELESTIVM
SPHAERARVM
PROBLEMATIS;
QVÆ
EX CALCVLO SPHAERI-
CORVM TRIANGVLO-
RVM SOLVVNTVR.

ARGUMENTUM.

Globi cœlestis problemata duobus modis, & utrolibet per artem nobilitato, expediuntur; semel μηχανικῶς, *globo vel cœli vel terræ ex materia solido circa axem sub suo meridiano & horizonte converso; iisque quæ opus sunt adhibitis, cujusmodi sunt quadrans metiendæ altitudini, horarius circulus, gnomo sphæricus aliaque, quorum definitiones postea sequentur. Iterum* μαθηματικῶς *per triangulorum sphæricorum ratiocinium. Prior &* μηχανικὸς, *facilior & expeditior est, utpote qui ad usum & intelligentiam theorematum quæ ab astrologis tractantur magis conducat, quia & motum & figuram corpoream cœlo aut terræ similem vel oculis intueri hic licet, ut iste omnino arte prior esse videatur, quod artis theoremata sine illo obscura sint, & tenebris obducta. Isti fini* ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS *studiosè evolvit, planeque percepit* Gemmæ Frisii *opusculum quod* De usu Globi Astronomici *inscribitur; & quia quasi commentarius hic esse potest, de usu cœlestis globi, in isto mathematico opere, præcipere supersedebimus.*

Verumtamen (dicendum quod res est) Mathematica via minus fallax & magis certa est, quia de divite sphæricorum triangulorum penu deprompta, ratiocinio nititur ac dirigitur. Quamvis enim globus sit, cujus axis vel centum pedes longus sit, & additamenta ad usum requisita quam accuratissimè vel à dædalo artifice facta, nulla tamen accuratio minorum partium esse poterit in quas gradus graduumque scrupula dividi solent, quæque non nisi numerorum beneficio concludi solent: Imò fuerit conclusio vera demonstrari tamen ex arte non poterit, ac alii scriptis illorum, qui istâ viâ progressi sunt, fidem derogant. Mathematicâ vero demonstratio ut nomen indicium facit, certâ & minimè fallaci methodo procedit, sic esse docet & demonstrationibus convincit: ejusque ope particulæ quantumvis exiguæ, non tantum ① aut ②, verum etiam minutiores deprehendi possunt. Hujusmodi, inquam, problemata è Ptolomæi *libris 1 in primis & 2 desumere, & methodo nostrâ digerere animus est. Ut istâ viâ usum (præterquam quod cosmographiæ materia hic suppetat) qui in aliis theorematis aliquando occurret, satis illustratum iri putemus.*

DEFI-


DEFINITIONES.

QVanquam hujus ætatis nonnullis, veteris autem & eruditi seculi multis astrologis cognitum fuerit, terram quotannis circa solem conversionem facere, quam κύκλισιν dicunt; de die autem præter illam in suo loco & circulo circumagi, quam δίνησιν vocant: tamen à fictis hypothesibus initium facere inutile fore non videtur. Terram nimirum in universitatis & stelliferi cœli centro immobilem stare: cœlum verò quotidie circum terram facere conversionem septem planetas secum corripiens, qui in suis orbibus peculiarem motum sunt sortiti; ut postea stante sole terram facilius moveri intelligamus. Si enim propriè loquendum nobis esset, non cœlestia corpora supra horizontem emergere & oriri, neque infra eundem descendere & occidere deceremus: Sed illic horizontem descendere infra cœlestia corpora, hîc verò contra ascendere. Neque motu cœli stellas ad meridianum eniti: sed motu terræ meridianum ad stellas. Et sic deinceps in pluribus aliis quæ propriè dicta plus obscuritatis rebus offunderent, quam impropriè. Itaq; ut diximus falsas hypotheses hoc tēpore usurpabimus, & definitiones isto pacto expressas præmittemus, suo autem tempore locoque proprias definitiones substituemus, sic enim mentem meam commodius explicari posse puto.

I DEFINITIO.

ÆQUINOCTIALIS est fixarum stellarum sphæræ maximus circulus, axi circa quem quotidinam conversionem facit perpendicularis.

Nominis originatio hinc est: quia Sol ad hunc delatus noctes per universum terrarū orbem efficiat diebus æquales; & ab istac æqualitate, quæ in hoc circulo contingit, æquator seu Æquinoctialis dicitur. Vt autē hæc & sequentes definitiones cum succedentibus problematis facilius intelligātur, Sphæram in sede sua positam qualē hic vides depinximus, utile tamen fuerit imo necessarium etiam solidam cum suis additamentis adhiberi, quam ex sentētia, problematum verses ac circumducas. In istoc diagrammate circulus A B æquatorem refert, normalis axi qui inter mundi cardines C, D interjacere intelligitur, circa quem sphæra hæc, id est, orbis stellarum cœlo adfixarum quotidie convertitur; Et C quidem Polus Arcticus, D autem Antarcticus, nominatur.



2 DEFINITIO.

ECLIPTICA est circulus fixarum sphæræ maximus, quem Sol è centro terræ conspectus in illa apparenter proprio motu describit.

Sol qui non in extimo fixarum orbe, sed subtus vertitur, proprio motu in illo circulum verè haud delineat, verùm nobis qui in terra degimus ita videtur. Ille circulus, inquam, qui literis E F insignitur Ecliptica seu Zodiacus vocatur, quia stellarum, quos planetas vocant, defectus seu totus sive ex parte, aut in eo aut propter eum nobis evenire videatur. Notandum autem est, quemadmodum hîc Solis motum in ecliptica apparentem appellavimus ita quoque in reliquis Planetis aut punctis apparentem cum dicturos. Per Eclipticam enim jam non intelligitur planum ipsius circuli in suos gradus rectis à centro ad perimetrum actis, vulgò recepto more, tributi, cujus respectu quidquid universus mundus ambitu suo complectitur in Ecliptica esse dicitur: verùm hîc voce Eclipticæ designatur ambitus circuli, in sphærica extimi stelliferi orbis superficie descriptus. Vt ita errorem qui ex hoc fonte fluxit, aut etiamnum manare possit declinemus, quâ de re fusius in Appendice Cosmographico.

3 DEFINITIO.

PUNCTUM verticis est in cœlo à dato quocunque terræ puncto remotissimum: Et oppositum contra vocetur infimum.

Sic G punctum, altissimum hoc situ à dato in terrâ puncto, appellatur punctum verticis Arabibus *Zenit*, & oppositum H infimum, seu *Nadir*.

4 DEFINITIO.

HORIZON est maximus circulus axi, à verticis puncto ad infimum ducto, perpendicularis.

Vt in diagraphâ circulus I, ad angulos rectos insistens in axem qui inter puncta G summum seu verticis & H infimum interjectus concipitur, à Græcis ὁρίζον dictus, latinis finiens rectissimè nominari poterit, quia aspectum nostrum definit nec inferius quidquam videri patitur. Vnus autem idemque horizon duobus modis intelligitur; semel mathematicῶς * ut hâc definitione, iterum physicῶς * illud nimirum planum quo mundi pars visa à non visa secernitur, qui à mathematico diversus est, nam è loco sublimiori plus mediâ mundi parte cernitur. Et quamvis hoc experientia doceat, tamen suo loco argumentis idem coarguemus; cum autem mathematicis oculis rem penitius intueri nobis propositum sit, mathematicus horizon sic nobis definitus esto.

* qui rationalis vulgò dicitur.
* vulgò. sensibilis horizon.

5 DEFINITIO.

ARCVS verticalis est qui à puncto verticis ad horizontem demittitur.

Ad paratiorem usum, ut arcus hi ubilibet in sphæris ex materia solidis conspici

spici possint, quadrans ut plurimùm ex ære inque 20 gradus distributus ut K L aptari, & puncto verticis G firmiter affigi solet; qui in omnes horizontis partes circumduci possit, ut inde appareat quâ altitudine data stella punctumvè propositum supra horizontem assurgant, aut quantum à vertice absint.

6 DEFINITIO.

MERIDIANUS est circulus per verticem & æquinoctialis polos ductus.

Cujusmodi hic est M G (is autem in sphæris materialibus ex solido ære construitur) per polos æquatoris C, D, & punctum verticis G ductus, ita dictus quia Sol meridiem efficit, cum ad illum supra horizontem pervenerit.

7 DEFINITIO.

DUODECIM horarii circuli, sunt qui dato horizonti immobiles insistunt, & per æquinoctialis polos ducti eum in 24 æquales arcus secant, è quorũ numero meridianus sit.

Horarii circuli 12 in sphæris ex materia solidis designari non solent, sed omnes præter meridianum animo concipiuntur, ut reliqui quoque quibus ipsæ horæ in minores partes subdividuntur.

8 DEFINITIO.

SECTIO verna, est commune æquinoctialis & eclipticæ intersectionis punctum, in quod Sol apparenter ingressus, veris initum facit: huic opposita dicitur autumnalis.

Sic punctum N in quo æquator A B & ecliptica E F sese dividunt sectio verna indigitatur. Et punctum huic è diametro oppositum, sectio autumnalis.

9 DEFINITIO.

TROPICUS cancri est punctum eclipticæ boreum inter vernam & autumnalem sectionem medium: Cui oppositus Tropicus capricorni dicitur.

Vt F punctum (quod medium sit in ecliptica, quâ versus boream discedit, inter sectionem vernam N & oppositam autumnalem) Tropicus cancri seu æstivum solstitium vocetur. At oppositum E Tropicus capricorni seu brumale punctum. Quia Sol cum illa apparenter attigerit tum illinc in Austrum, hinc in Boream rursum τρέπεται id est, convertatur.

10 DEFINITIO.

Initium longitudinis in sphæra, est quodlibet maximi circuli punctum unde longitudinem numerare placet.

Sic N, communis æquatoris & eclipticæ sectio, sit punctum maximi circuli eclipticæ

eclipticæ videlicet E F, in quo longitudinem stellarum cœlo affixarum numerare libeat, & apparentes Planetarum motus, aliorumve punctorum, hoc inquam punctum N initum longitudinis appellabitur.

11 DEFINITIO.

LONGITUDO cujuscunque in sphæra puncti, est arcus in consequentia circuli longitudinis, ab initio ad communem sectionem hujus & semicirculi, qui per polos dicti circuli & datum punctum ductus circulum longitudinis intersecat.

Punctum O sit boreus eclipticæ polus, P notius, quos semicirculus O Q R conjungat, & per datum punctum Q ductus, eclipticam intersecet in R: His positis, arcu N R æstimabitur longitudo puncti R: qui est secundum ordinem graduum circuli longitudinis (quem hic Eclipticam diximus) ab initio N, ad R communem sectionem hujus circuli, & semicirculi O Q R, ducti per polos ejusdem O, P, & propositum punctum Q.

In hoc exemplo è puncto Q quæ est longitudo Zodiaci, etiam quid longitudo æquinoctialis sit evidens est: si enim N sit principium æquatoris E F, & semicirculus per ejus polos C, D & punctum Q ducatur arcus æquinoctialis ab N ad horum communem sectionem, longitudinem puncti Q in æquatore determinat. Hinc etiam quid sit longitudo stellæ in Ecliptica, aut æquatore perspicitur. Præterea quid eclipticæ longitudo in æquatore, aut æquatoris in ecliptica. Denique etiam quid longitudo Planetæ aut puncti cujuscunque in suâ sphærâ manifestum est.

Cur autem pro longitudine stellarum in Æquinoctiali, non dixerim potius veteri & recepto more ascensio stellarum in sphæra recta, in Appendice suo loco explicabitur.

12 DEFINITIO.

LATITUDO cujuscunque puncti, est maximi circuli arcus longitudinis circulo perpendicularis inter ejusdem longitudinis circulum & datum punctum interceptus.

Sic latitudo puncti Q, quæ hic ab ecliptica sumitur, erit maximi circuli arcus R Q, inter circulum longitudinis E F & propositum punctum Q interceptus, quique eidem longitudinis circulo E F perpendicularis sit. Et si maxima peripheria à puncto Q ad angulos rectos in æquatorem A B demittatur, arcus ab intersectione circuli A B ad expositum punctum Q latitudo æquatoris propositi puncti Q diceretur. Hinc apparet quid sit puncti Eclipticæ ad æquatorem, aut puncti æquatoris ad Eclipticam comparati latitudo.


Cur autem potius nostro more latitudinem stellarum punctorumque æquatori comparatam, quàm usitato more stellarum declinationes dixerimus; in Appendice declarabitur.

DE

DE ORDINE QVEM VBIQVE IN PROBLEMATIS HIS SPÆRICIS SECVTI SVMVS.

Siquidem legitimæ methodi in artium doctrinâ, quas supra generaliter recensui, per magnum compendium fit; operæ pretium me facturum putavi, si in hanc rem diligentius incumberem, & hic de illâ mentem meam proderem. ut sequitur.

A nobi ibus in Mathesi scriptoribus usitatum est, in ignotorum dati triangu. li terminorum inventione, fusius causas referre quam ob rem & und n m p o-portio existat inter sinus & lineas, quorū adminiculo ignoti termini inveniuntur: Præterea, quorumnam angulorum aut laterum sinuumque additione, subductione, multiplicatione aut divisione, qui toti, reliqui, facti aut quoti gignantur, & cætera quæ ad istam pragmatiam att nent. Qua de re meam ab illis diversam sententiam, hoc paradig te declarabo. A B C D sphæra terrestris esto, cujus polus A, mediator quem æquinoctialem dicunt D B, & in illa duæ urbes E, F, diversæ, attamen cognitæ cum longi udinis tum etiam latitudinis, latitudo E sit G E 30 grad. Et latitudo ipsius F esto H F 50 grad. longitudinis d erentia G H 70 gr. Hoc ita posito, quæritur quanta sit illorum distantia & intervallum, id est quan t arcus E F. Q i ut inveniantur, di quandoquidem arcus G E & H F gradibus 30 & 50 sunt æstimati, eorum arcus differentiæ E A, & F A valebunt 6 & 40 grad. P æte cum G fit 70 gr. utpote m o an li G A H, idem angulus G A H hoc est E A F valet 70 Vt A E F trianguli tres termini sint noti duo nim um, latera E A, F A, c m angulo A. Si jam inter op randum, cau am cui tanquam fundamento inventio E F (i venitur autem per 40 prop. f mittitur, cum numeris ad eam necessariis operandique modo referre ve es. E quantâ verborum circuitione opus esset, ut res satis dilu dè apert a videretur, cum tam varia theoremata in triangulorum doctrina præcedant, quæ consequentium perpetuæ sunt causæ, antequam tandem in dicta 40 p positione problema nanciscaris, quod nudam ac simplicem pragmatiam declaret: Et quantumvis in unoquoque exemplo satis superqu d esset, v um quorsum? quid tamē aliud foret quam inutilis & inanis tauto gia. ius quod supra convenienti ordine & methodo, & majore cum compendio & disti ctione dictum est, aut dici potuisset. Hujusmodi igitur tautolog m hic declin bimus, & sic solummodo dicemus: quandoquidem A E F triangulum est, cujus tres termini cogniti sunt, ut E A 60 grad. A F 40 gr. & angulus E A F 70 gr. ideo latus E F per 40 propositionem sphæric. triang. invenitur 51 gr. 1 ①, de conclusione planè nihil ambigentes, utpote jam ante per propositiones unde operatio deducitur demonstratā. Nam modus



dus hic alibi quoque usurpatur. Vt dicis causâ cum tribus datis numeris quartus proportionalis quæritur; Si in hunc locum totam multiplicationis & divisionis artem illarumque demonstrationes congeras, tædiosum profectò & sine modo longū foret, cum multiplicatio, divisioq; generaliter doceri & cognosci debeant, antequam ad usum & exercitationem veneri possit. Similis planè ratio est in triangulorum ratiocinio & arte. Ideo qui ad hujusmodi exercitationem animum applicare studet, ante edoceatur oportet quomodo imitabilis exempli adminiculo, è dato triangulo cujus tres termini cogniti sunt explicare & expedire sese debeat: si secus faciat, res per se claræ & penè antequam ad ea deveniat intellectæ, inexplicabiles difficultates habere videbuntur.

Ptolomæus quidem ad jam dictam tautologiam ubique ferè relabi, propter doctrinæ triangulorum brevitatem, coactus fuit, quia satis generalis est in suas propositiones tributa non esset, ad quas logistam hujusmodi inventione occupatum remittere posset: verùm ista neque mathematica, nec imitabilis ratio nobis videtur, ut nec *Regiomontano* nec *Regiomontanum* secutis visa fuit, qui hanc materiam *Euclidea* methodo (quæ fortasse eruditi seculi methodus nominari potest) conscripserunt. *Copernicus* non ubique jam dicta tædiosè [illegible] verum ad propositiones doctrinæ triangulorum nonnunquam remi[illegible] autem repetitionem, quam *Copernicus* & alii quandoque declinant, nos [illegible] usurpabimus quod ipsimet doctrinam triangulorum pro ingenio & [illegible]us concinnaverimus, quæ ubique in quavis pragmatiâ facem prælucere possit.

Hactenus ordinem declaravimus qui cæteris præstare mihi nunc visus est: & quamvis rationi consentaneum sit meliora edoctum deteriora non sequi, nihilominus tamen & me mentem meam declarare convenit in [illegible]us præsertim quæ secundum mentem meam intelligi volo. Ad rem itaque, ubi ILLVS[illegible]SIMVS PRINCEPS doctrinam triangulorum jam edoctus, ex[illegible] omnia suo Marte sua arte computavit, ratiocinio suo explicavit, & no[illegible] nonnulla adinvenit, tandem accedemus.

Ad hoc exempla ex *Ptolomæi* 1 & 2 libris, initio à XIII cap. primi facto, selegimus.

Reliqua enim XII, quæ de terrestris globi proprietatibus deque tri[illegible]gulis prout illa doctrina id ætatis innotuerat breviter exponunt, quæ postea ab Arabibus denique à Germanis magnum incrementum & facilitatem, lucemque acceperunt, quæ nostro stilo proq; modulo nostro in superioribus exposita sunt, hic omisimus.

PROBLE-


PROBLEMATA DEINCEPS SUCCEDUNT.

1 PROBLEMA.

Lib. 1. μεγάλ. συντάξ. cap. XIII.

Dati in Ecliptica puncti longitudine Eclipticæ ipsius respectu cognita: ejus latitudinẽ ab æquinoctiali invenire.

Datum. In Meridiano A B C D E, polus æquinoctialis C E esto A, & B D ecliptica, F sectio verna, arcus F B, F C 90 gr. G autem datum in Ecliptica punctum, cujus longitudo F G 30 gr. & arcus B C 23 gr. 51 ① 20 ② æstimentur.



Quæsitum. Magnitudo G H numeris exprimenda esto.

CONSTRUCTIO.

Cum F G valeat 30 gr. & A H meridianus in æquatorem C E insistat, angulus G H F rectus erit, cumque B C sit 23 gr. 51 ① 20 ② angulus B F C id est G F H tantundem valebit, & rectanguli trianguli G H F duo anguli cum base cogniti erunt, quorum auxilio per 34 prop. sphæric. triang. quæsitum crus G H 11 gr. 39 ①, 59 ②, 21 ③ deprehendetur.

Conclusio. Quare longitudine dati in ecliptica puncti, eclipticæ respectu cognita, latitudinem ejus ab æquinoctiali invenimus. Quod facere propositum erat.

CONSECTARIUM.

Hinc fabrica Canonis Solaris ab æquinoctiali latitudinis, quam *Ptolomæus* huic loco subjicit, manifesta est.

2 PROBLEMA.

Lib. 1. μεγάλ. συντάξ. cap. XIV.

Dati in ecliptica puncti longitudine, eclipticæ ipsius respectu, cognita: ejus longitudinem respectu æquinoctialis invenire.

Datum. In primi problematis diagrammate datum punctum sit G, cujus longitudo in Ecliptica, hoc est, arcus à sectione verna F ad G sit 30 grad.

Quæsitum. Puncti G ad æquinoctialem comparati longitudo, id est, arcus F H inveniendus esto.

CONSTRUCTIO.

Triangulum G H F, ut in primo problemate asseruimus, rectangulum est, cujus tres termini cogniti sunt, nam angulus G H F rectus est, G F H 23 grad. 51 ① 20 ②, & G F 30 grad. unde quæsitum crus F H per 34 sphæric. triang. propositionem deprehenditur 27 grad. 50 ① 6 ②.

CONCLVSIO. Cognitâ itaque dati in eclipticâ puncti, ipsius eclipticæ respectu, longitudine longitudinem quoque æquinoctiali comparatam invenimus. Quod propositum fuit.


CONSECTARIUM.

Hinc fabrica Canonii longitudinis eclipticæ ad æquatorem collatæ, quod *Ptolomæus* hic subjungit, evidens est.

3 PROBLEMA.

Lib. 2. μεγάλ. συντάξ. cap. 11.

COGNITA maximæ diei quantitate: arcum horizontis ab æquinoctiali & eclipticâ comprehensum invenire.



DATVM. Esto A B C D meridianus, æquinoctialis D B, poli ejus A, C, horizon sit E F, præterea circulus H I æquatori parallelus per 90 eclipticæ gradum ductus horizontem E F secat in K, ut G K propositus horizontis arcus sit ab æquinoctiali B D, & eclipticâ in K (cujus loco parallelus H I ductus est) comprehensus: maximus autem dies 14 $\frac{1}{2}$ horarum, hujus dimidium 108 grad. 45 ①, exhibet arcum D L.

QVAESITVM. Arcus G K inveniendus esto.

CONSTRVCTIO.

Arcus D L 108 gr. 45 ① multatus arcus D G 90 gr. relinquet G L 18 gr. 45 ①: præterea maxima solis ab æquinoctiali latitudo K L est 23 grad. 51 ① 20 ②, & angulus denique K L G rectus. Ideoque trianguli K L G tres termini, duo nimirum crura rectum comprehendentia angulum, cognoscuntur. Quorum ope, per 33 sphæric. triang. propos. tertium latus K G 30 gr. invenitur. CONCLVSIO. Quare maximæ diei quantitate cognitâ, arcum horizontis ab æquinoctiali & eclipticâ comprehensum invenimus.

CONSECTARIUM.

Arcus G K amplitudo vel latitudo ortiva quoque dicitur, unde cujuslibet puncti eclipticæ amplitudinem ortivam inveniri posse manifestum est: Nam ex 1 problemate latitudo minor quam K L cognoscitur, datâ autem insuper ex hypothesi propositæ diei longitudine, eadem erit operandi formula quæ hîc cum K L. Et hinc fabrica canonii amplitudinis ortivæ ad singulos eclipticæ gradus quoque perspicitur.

Et contra quoque, quomodo è maximâ amplitudine ortiva G K maximæ diei quantitas inveniatur: tum enim rectanguli trianguli K L G duo anguli L, G cum base K G cognoscentur, quorum auxilio per 34 sphæric. propos. inventum latus L G, addatur ad G D 90 gr. totus exhibebit L D, è quibus 15 gradus horam constituunt.

Denique è cognitis D L & G K, solis ab æquinoctiali latitudo L K quoque invenitur.

4 PRO-

4 PROBLEMA.

Lib. 2. μεγάλ. συντάξ. cap. III.

Maximæ diei magnitudine cognitâ: elevationem poli invenire.

DATVM. Eadem quæ 3 problemate hic quoque cognita sunto.

CONSTRVCTIO.

Quandoquidem rectanguli trianguli K L G, latus L G, ut supra ostendimus, sit 18 gr. 45 ①, K L autem 23 gr. 51 ① 20 ②, & angulus K L G rectus, itaque hic angulus rectus & crura eum comprehendentia cognoscentur: Quorum ope etiam angulus K G L vel quod idem est F G B per 1 exemplum 33 sphær. triang. propos. concludetur 53 gr. 59 ①: Sed F B est magnitudo anguli F G B, igitur F B valebit 53 gr. 59 ①, quæ deducta de A B 90 gr. relinquunt ἔξαρμα hoc est elevationem poli A F 36 gr. 1 ①.

CONCLVSIO. Datâ igitur die maximâ, poli elevationem invenimus. Quod facere oportebat.

CONSECTARIVM.


Ex his in proclivi est quomodo datâ poli elevatione A F, & solis ab æquinoctiali latitudine maximâ K L, & latitudo ortiva G K, & similia inveniantur.

Quia IV, V, & VI μεγάλης συντάξεως capita meridianas umbras (quarum cognitio etiam iis qui mathemata vel à limine salutarunt notissima est) expendunt, illis omissis VII deinceps persequemur.

5 PROBLEMA.

Lib. 2. μεγάλ. συντάξ. cap. VII.

Datâ poli elevatione, & arcu eclipticæ à sectione vernâ ad horizontem: arcum æquinoctialis ab eâdem sectione ad horizontem interceptum invenire.



DATVM. Esto meridianus A B C D, horizon D B, poli elevatio B E 36 grad. æquator A C, ecliptica F G, sectio verna H, cognitus eclipticæ arcus inter sectionem vernam & horizontem sit H I 30 gr. atque H K quæsitus æquinoctialis arcus inter eandem sectionem & horizontem interjectus.

QVAESITVM. Longitudo arcus H K invenienda esto.

PRAEPARATIO. Circulus per polos E, L & datum punctum I ductus intersecet æquatorem A C in M.

CONSTRVCTIO.

Trianguli H M I tres termini cogniti sunt, nam H M I rectus est, M H I 23 gr. 51 ① 20 ②, & recto subtensus H I 30 gr. hinc crus H M per 32 sphæric. triang. propos. 27 gr. 50 ① invenitur: deinde per 1 problema hujus, arcus M I, qui latitudo est puncti I, ab æquatore A C deprehenditur 11 gr. 40 ①: Præterea

 qua-

quadrans E C multatus arcu E B 36 gr. relinquit B C 54 gr. pro amplitudine anguli B K C, id est, anguli I K M in triangulo K M I, cujus anguli M rectus est. Vt in triangulo K M I termini M I, I K M, & angulus K M I rectus cogniti sint, unde per 35 propos. sphær. triang. crus K M invenitur 8 gr. 38 ①, hoc deducto de H M quem supra 27 gr. 50 ① deprehendimus, restabit quæsitus H K 19 gr. 12 ①. CONCLVSIO. Itaque poli elevatione, & arcu eclipticæ à sectione vernâ ad horizontem cognitis: arcum æquinoctialis ab eâdem sectione vernâ ad horizontem invenimus. Quod erat propositum.

CONSECTARIVM.

Primò inventio arcus H I, è cognitis E B & H K, in promptu est.

Secundò, quomodo cognitis H K & H I, elevatio poli E, id est E B inveniatur.

Tertiò è cognitis quibusdam suprascriptorum modorum terminis, maximæ diei quantitatem quoque invenire in proclivi est, M K enim 8 gr. 38 ①, compositus cum K A 90 gr. constituit 98 gr. 38 ①, qui numerus duplicatus exhibet 197 gr. 16 ① arcum æquivalentem 13 horis 9 ①.

Quartò patet hinc quādo propositū eclipticæ punctum in quo Sol apparenter versatur, in horizonte fit. Nam arcus K M 8 gr. 38 ① in horas cōversus valebit 35 ①, & eo ante sextam matutinam intervallo, id est 5 horâ 25 ①, gradus eclipticæ 30, cujus vice hic fungitur punctum I, ad horizontem deveniet.

Quintò denique hinc evidens est fabrica tabularum ascensionalium ad diversa climata, quales *Ptolemaus* hoc loco subdidit.

VIII & IX capite, quoniam ea ad scopum nostrum haud faciunt, omissis, deinceps X explicabimus.

[illegible]. 2. μεγάλ. συντάξ. cap. X.

6 PROBLEMA.


Cognito eclipticæ arcu à sectione vernâ ad meridianum intercepto: angulum à meridiano & ecliptica comprehensum invenire.

DATVM. Esto A B C D meridianus, A C ecliptica, D B æquinoctialis, E sectio verna, A E arcus elipticæ 30 graduum.

QVAESITVM. Angulus E A B inveniendus esto.

CONSTRVCTIO.

Rectanguli trianguli A D E tres termini sciuntur, nam angulus A D E rectus est, A E D 23 grad. 51 ① 20 ②, & A E 30 gr. quorum ope per 36 sphæric. triang. propos. angulus D A E concludetur 69 gr. 3 ①, hoc de 180 gr. subducto supererunt 110 gr. 57 ① pro angulo E A B.



CONCLVSIO. Quare cognito arcu eclipticæ inter sectionem vernam & meridianum intermedio, angulum quem ecliptica & meridianus comprehendunt invenimus. Quod facere oportuit.

7 PRO-


7 PROBLEMA.

Dato eclipticæ arcu inter sectionem vernam & horizontem interjecto, cum elevatione æquinoctialis: angulum ab ecliptica & horizonte comprehensum invenire. *Lib. 2. μεγάλ. συντάξ. cap. xi.*

DATUM. Esto enim meridianus A B C D, cujus horizon sit E F, & ecliptica A C intersecet E F, in G: deinde æquinoctialis D B secet ipsum A C in H, utpote sectione vernâ, & horizontem E F in puncto I, ac G H quidem sit 30 gr. elevatio autem æquatoris supra propositum horizontem, sit E D 54 gr.

QUAESITUM. Angulus A G E inveniendus esto.

CONSTRUCTIO.



Quandoquidem tres termini G H 30 gr. G H I 23 gr. 51 ① 20 ②, H I G 126 gr. (etenim cum tam D I, quàm E I 90 valeat & arcus E D 54 grad. hujus complementum ad semiperipheriam fuerit 126 gr. pro angulo D I F, seu, quod idem est, pro angulo H I G) in triangulo H G I cogniti sunt, hinc per 41 sphæric. triang. propos. angulus H G I, id est quæsitus A G E 32 grad. 10 ① valere deprehendetur.

CONCLUSIO. Quare è cognito eclipticæ arcu inter sectionem vernam & horizontem intermedio, cum æquinoctialis supra horizontem altitudine, angulum quem ecliptica & horizon faciunt deprehendimus. Quod fuerat propositum.

8 PROBLEMA.

Poli elevatione, & in ecliptica solis apparente loco, cum propositæ diei hora cognitis: altitudinem solis supra horizontem; item angulum ab arcu verticali & ecliptica comprehensum invenire. *Lib. 2. μεγάλ. συντάξ. cap. xii.*

DATUM. Sit meridianus A B C D, horizon D B, & E polus boreus supra horizontem B 36 gr. elevatus, F autem polus notius, deinde æquator A C intersecet horizontem D B in G, & H I ecliptica eundem secet in K: porro sit L sectio verna, M Sol, cujus apparens longitudo in ecliptica sit 90 gr. hora autem ante meridiem undecima, Sole nimirum à meridiano unâ tantum horâ remoto, id est, arcus E M F, per polos E, F decircinatus, æquatorem A C intersecat in puncto N, ut arcus A N uni horæ seu 15 gradibus æqualis sit, denique ab O vertice, per M, verticalis arcus O P demissus esto.



QUÆSITUM. Arcus M P altitudo videlicet solis supra horizontem, & angulus H M O, quem ecliptica M H, cum circulo verticali M O comprehendit inveniendi sunto.

CONSTRUCTIO.

In triangulo O M E tres termini cogniti sunt, O E enim valet 54 gr. cùm sit arcus differentiæ ipsius E B 36 gr. M E autem, quia est arcus differentiæ 23 gr.

 51 ①

51 ① 20 ②, fuerit 66 gr. 8 ① 40 ②, tertiò angulus O E M 15 grad. (quia amplitudo anguli A E N hoc est O E M cum A E, N E sigillatim 90 grad. æquent ab arcu A N 15 gr. definitur.) Trianguli igitur O E M, latus O M per 40 sphæric. triang. proposf. concludetur 17 gr. 46 ①, hoc autem de O P 90 gr. subducto, restabit quæsitus arcus M P 72 gr. 14 ①.

Ejusdem trianguli O E M, angulus O M E indidem invenietur 43 gr. 21 ①, hic deductus de H M E, qui in hoc paradigmate 90 grad. est, relinquet quæsitum angulum H M O 46 gr. 39 ①.

CONCLUSIO. Quare, poli exarmate, Solis in eclipticâ apparente loco, & hora diei cognitis: altitudinem Solis supra horizontem, & angulum quem circulus verticalis & æquator cõprehendunt invenimus. Quod facere oportuit.

CONSECTARIUM.

Itaque poli elevatione, & apparente Solis in eclipticâ loco, ejusdemq; supra horizontem altitudine cognitis, hora diei inveniri poterit: Quia tum in triangulo O M E, tres termini O E, M E, & O M cognoscentur, quorum ope per 43 sphæric. triang. proposf. inventus angulus O E M, arcum A N, eâdem graduum multitudine quoque definiet, qui ad horas reducti quæsiti temporis intervallum à meridie significabunt.

Secundò poli elevatione, horâ diei, & Solis supra horizontem altitudine cognitis, apparentem Solis locum in ecliptica invenire in propatulo est: tum enim tres termini O E, O M, O E M, trianguli O M E cognoscuntur, quorum subsidio per 40 sphæric. triang. proposf. inventum latus E M, & sublatum de E N 90 gr. relinquet M N Solis ab æquinoctiali declinationem, quâ inventâ, tres termini trianguli M L N quoque cognoscentur, rectus videlicet angulus M N L, & M L N 23 gr. 51 ① 20 ②, ac latus M N: Vnde latus L M per 35 sphæric. triang. proposf. inventum, quæsitum solis in ecliptica locum demonstrabit.

Tertiò Solis in eclipticâ loco, horâ diei, & Solis altitudine cognitis, poli elevationem invenire in proclivi est: nam hic è cognitis trianguli O M E, tribus terminis O M, M E, & O E M, latus O E per 40 sphæric. triang. proposf. quoque deprehenditur, eoque de O B 90 gr. subducto, supererit arcus E B quæsitum poli ἔξαρμα sive elevatio.

Quartò ut quis æquatoris gradus culminet seu ad meridianum devenerit cognoscas, cum arcu N L compones arcum A N, horum summa quæstionem expediet.

Sic culminans zodiaci gradus deprehendetur invento arcu H L, è cognitis trianguli H A L tribus terminis, latere videlicet A L, angulo recto H A L, & A L H angulo sectionis autumnalis.

Præterea gradus æquatoris in horizonte ut in G scitur, nam G à cognito puncto A 90 gradibus dissidet. Insuper etiam gradus eclipticæ K in horizonte D B per 5 problema hujus invenietur.

Quintò denique longitudo crepusculi dato die, nec non elevatio poli hinc cognoscitur. Si namque punctum quod soli è diametro opponitur tantum supra horizontem elevetur, quantùm Sol in principio aut fine crepusculi infra eundem deprimitur (quod ferè 18 gradibus æstimatur) hujus temporis seu graduum intervallum ab horizonte computatum, quæsito satisfaciet.

NOTA.

Cum ILLUSTRISSIMO PRINCIPI methodi naturæ consentaneum videre-

videretur, ut quemadmodum ſolis altitudo ex datâ horâ, ita reciprocè quoque data hora ex cognitâ ſolis altitudine inveniatur, cujus tamẽ nec *Ptolomæus* ipſe, neque *Ptolomæi* paraphraſtæ *Regiomontanus*, *Copernicus* & *Oſwaldus* mentionem ullam faciunt: Nos ſuperiorem ratiocinii viam elegimus, quæ in arcubus differentiæ cognitorum terminorum conſiſtit, quorum reciprocatione quilibet quatuor terminorum è reliquis tribus apertiſſimè & ſimpliciſſimè concluditur: atque ideo, ſuperfluum rati iſta peculiaribus problematis perſequi, in hæc conſectaria contraximus.

9 PROBLEMA.

Cognitâ cujuſcunque ſtellæ longitudine & latitudine ad eclipticam comparatâ: ejus longitudinem & latitudinem æquinoctialis reſpectu invenire.

DATVM. Maximus circulus A B C D per E polũ æquatoris D B, & F polum eclipticæ A C deſcriptus eſto, ſitque ſectio verna G: Deinde ab F, ad H, maximi circuli arcus F H ducatur, inque eo I punctum ſtellæ locus, arcus latitudinis E I ab æquinoctiali ſit grad. 12, longitudo autem in æquatore computata graduum 30. QVAESITVM. Stellæ I longitudo & latitudo reſpectu æquinoctialis invenienda eſto. PRAEPARATIO. Ab E polo per punctum I, maximi circuli arcus E K æquatorem ſecet, deinde arcus E G agatur: itaque I K erit ſtellæ I latitudo ab æquinoctiali, & G K longitudo ejuſdem æquinoctialis reſpectu, duobus his arcubus inventis problema explicitum fuerit.



CONSTRVCTIO.

Triangulum E F I tres cognitos habet terminos, F E 23 gr. 51 ① 20 ②, F I 78 gr. arcum differentiæ nimirum ipſius I H 12 grad. & angulum E F I 60 gr. quippe angulum differentiæ ipſius G F H 30 gr. Horum ope per 40 ſphæric. triang. propoſ. latus E I deprehendetur 67 gr. 10 ①, qui deductus de E K 90 gr. relinquet quæſitam ab ecliptica latitudinem I K 22 gr. 50 ①. Deinde angulus F E I invenitur 113 grad. 13 ①, hic multatus 90 gr. relinquet angulum G E K 23 gr. 13 ①, pro quæſita longitudine G K.

CONCLVSIO. Cognitâ itaque datæ ſtellæ longitudine & latitudine ad eclipticam comparatâ: ejuſdem longitudinem & latitudinem æquinoctialis reſpectu quoque invenimus. Quod facere oportuit.

NOTA.

Copernicus IV capite 2 libri operationẽ paulò ſecus inſtituit: ILLVSTRISSIMVS autem PRINCEPS aliam & ab utrâque diverſam ſuo marte, quam hic ſubſcribo, adinvenit. Ducto enim arcu G I erit triangulum I H G rectangulum, trium cognitorum terminorum, I H enim valet 12 gr. H G 30 grad. & I H G rectus eſt: Vnde baſin I G per 33 ſphæric. triang. propoſ. invenit 32 gr. 6 ① & angulum I G H 23 gr. 2 ①, hic cum angulo H G K 23 gr. 51 ① 20 ② cõpoſitus dabit angulũ I G K 46 gr. 53 ① 20 ②. Atque rurſum in rectangulo triãgulo I K G, præter rectum I K G duo termini I G 32 gr. 6 ①, I G K 46 gr.

53 ① 20 ② cogniti sint: Quorum ope per 34 sphæric. triang. proposf. latus I K pro quæsitâ latitudine concludetur 22 gr. 50 ①: & latus G K pro quæsitâ longitudine 23 grad. 12 ① ut ante.


Nos autem istam in hoc problemate pragmatiam usurpavimus, ut supra expositi generalis ratiocinii, ope nimirum trianguli ex arcubus differentiæ datorum terminorum compositi, viam in hoc paradigmate sequeremur.

10 PROBLEMA.

Stellæ cujuscunque ab eclipticâ & æquinoctiali latitudinibus cognitis: longitudinem eclipticæ respectu invenire.

Problema istud à *Copernico* lib. 3. cap. 1. atq; ab aliis, per communes meridiani aliorumque planorum sectiones eidem perpendicularium expenditur. Verùm ut sphæricorum triangulorum usus, præcipuè autem generalis modus è sumptis arcubus differentiæ cognitorum terminorum hic eluceat, istam in hoc problemate pragmatiam secuti sumus.

DATUM. Maximus circulus A B C D per utrumque polum E quidem æquinoctialis D B, & F eclipticæ A C descriptus esto: deinde G punctum sit sectio autumnalis, H stella quam hic spicam virginis existimemus, per quem arcus ab F ad I in eclipticam A C demissus, ut H I 2 gr. sit datæ stellæ ab ecliptica latitudo: præterea ab E polo æquinoctialis per H punctum alter arcus E K descriptus est, ut H K datæ stellæ ab æquatore latitudo ex sententia *Copernici* sit 8 gr. 40 ①. QUAESITUM. Arcus à vernâ sectione G ad I, qui quæsitam longitudinem exhibet, inveniendus esto.



PRAEPARATIO. Agatur arcus F G.

CONSTRVCTIO.

Cum H I valeat 2 gr. ipsius arcus differentiæ H F erit 88 gr. præterea cum sit K H 8 gr. 40 ①, hujus arcus differentiæ H E erit 81 gr. 21 ①, & F E æqualis declinationi ab æquatore esto (ita autumante *Copernico*) 23 gr. 28 ① 30 ②; ut H F E triangulum tres cognitos habeat terminos, quorum ope per 43 sphæric. triang. proposf. angulus H F E concludetur 72 gr. 37 ①, hic de recto G F E 90 gr. sublatus, relinquit G F I 17 gr. 23 ① pro quibus *Copernicus* tantum 17 grad. 21 ① adnotaverat, ad quos si addas 180 grad. semiperipheriam nimirum à sectione vernâ ad autumnalem G, summa exhibebit quæsitam longitudinem 197 grad. 23 ①. CONCLVSIO. Latitudine igitur cujuscunque stellæ & ab eclipticâ & ab æquatore cognitâ, longitudinem ejus in eclipticâ invenimus, quod facere oportuit.

I CONSECTARIUM.

Si datæ stellæ longitudo in æquinoctiali computanda foret, angulum H E F, trianguli H F E investigandum, cumque recto G E F 90 gr. multatum, quæsitam longitudinem relinquere è superioribus perspicitur.

ILLU-

ILLUSTRISSIMUS PRINCEPS *tria hæc sequentia consectaria excogitavit.*

2 CONSECTARIUM.

Stellæ lõgitudine & eclipticæ & æquinoctialis respectu cognitâ, latitudo ejus tam ab ecliptica quam ab æquatore invenietur, si enim angulus rectus G F E, multetur angulo G F I (cujus amplitudo est data eclipticæ longitudo G I) tum angulus H F E in triangulo H E F cognitus erit. Deinde angulus G E K (cujus amplitudo est data æquinoctialis longitudo G K) cũ recto angulo F E G compositus, dicti trianguli H E F alterum angulum H E F exhibebit, tertiò autem etiam latus F E inter utrumque polum intermedium datur: Quare è cognitis tribus terminis trianguli H E F per 42 sphær.triang.prop.latus F H inventum, & de F I 90 gr. sublatum relinquet H I quæsitam ab ecliptica latitudinem.

Deinde invento latere E H, eoque de E K sublato, restabit H K datæ stellæ ab æquinoctiali latitudo.

3 CONSECTARIUM.

Præterea evidens est, si stellæ ad eclipticam longitudine, latitudine autem ab æquinoctiali cognitis, latitudinem ab ecliptica, longitudinem verò æquinoctialis respectu invenire velis, tum ab angulo recto G F E auferendum esse angulum G F I (cujus amplitudo à cognita æquinoctialis longitudine G I definitur) ut trianguli H E F angulus H F E cognitus sit: deinde si longitudo æquinoctialis H K, quæ ex hypothesi datur, de K E subducatur, restabit cognitum latus H E, scitur autem & latus F E inter utrumq; polum intermedium; ideóq; triangulum H E F tres cognitos habebit terminos, quorum ope per 40 sphæric. triang.propos. inventum latus F H, & de F I 90 gr. deductum, relinquet H I stellæ quæsitam propriamq; latitudinem. Secundò inveniatur angulus H E F multeturque recto G E F 90 gr. & supererit angulus G E K, cujus amplitudo est quæsita æquatoris longitudo G K.


4 CONSECTARIUM.

Denique manifestum est, stellæ latitudine propriâ, longitudine autem æquatori comparatâ cognitis, longitudinem ejus propriam, latitudinem autem ab æquatore quoque inveniri, tum enim cognitus angulus G E K (ejus autem amplitudo à cognitâ æquatoris lõgitudine G K determinatur) cum recto G E F compositus, exhibebit angulum H E F, trianguli H E F, H F autem quoque scitur utpote arcus differentiæ cognitæ propriæ latitudinis ipsius H I, tertiò quoque arcus F E inter utrumq; polum interjectus: Triangulum igitur H E F tres cognitos habet terminos, quorum subsidio angulus H F E inventus, & de G F E 90 gr. sublatus, relinquet angulum G F I, cujus amplitudo exprimit propriam stellæ longitudinem G I. Secundò investigetur latus H E, quod ab E K 90 gr. sublatum, relinquet quæsitam ab æquatore latitudinem H K.

11 PROBLEMA.

Duarum stellarum cùm longitudine tum latitudine cognitis: ipsarum inter ipsas distantiam invenire.

DATUM.



DATVM. In expositâ sphærâ ABCD, sit ecliptica DB, sectio verna D, polus A, & stellæ E latitudo GE 30 gr. lõgitudo DG 40 gr. alterius autem F latitudo HF 50 gr. longitudo DH 110 grad.

QVAESITVM. Distantia harum stellarum E, F, invenienda esto, quantitas nimirum arcus EF.

PRAEPARATIO. Tam CE, quàm HF producti necessariò concurrent in polo A.

CONSTRVCTIO.

Cum GE, HF valeant 30 & 40 gradus, eorum arcus differentiæ EA, FA valebunt 60 & 40 gradus. Deinde arcus DH 110 grad multatus arcu DG 40 gr. relinquet GH 70 gr. amplitudinem anguli GAH seu EAF in triangulo EAF: ut trianguli EAF tres termini noti sint, duo nimirum latera EA, FA, quæ crura sunt cogniti anguli A; Vnde per 40 sphæric. triang. proposf. quæsita distantia EF 51 grad. 1 ① deprehendetur. CONCLVSIO. Quare duarum stellarum longitudine & latitudine cognita, ipsarum inter ipsas distantiam invenimus. Quod facere oportuit.

1 CONSECTARIVM.

Si duarum stellarum E, & F distantia, cum utriusque latitudine cognita sit, longitudinis differentiam ut GH invenire in promptu est, quia tum tria latera trianguli AEF sciuntur, quorum subsidio per 43 sphæric. triang. propos. angulus A inventus problema solvet, hujus enim magnitudine arcus GH determinatur.

2 CONSECTARIVM.

Præterea, latitudine stellæ ut E, item hujus ab altera distantiâ EF, & longitudinum differentiâ GH cognitâ, reliquæ stellæ latitudo inveniri poterit: tum enim tres termini trianguli AEF sciuntur, ut sunt duo latera AE, EF, cum angulo EAF, unde per 39 sphæric. triang. propos. inventum latus AF quæsito satisfaciet.

3 CONSECTARIVM.

Deniq; trium aut plurium stellarum longitudine & latitudine cognitâ, quarumlibet duarum distantiam, cæteraque secundum primi & secundi consectarii thesin invenire in proclivi est.

12 PROBLEMA.


Datis bis binis stellis quæ quâ longitudinis quâ latitudinis sunt cognitæ, per quas duo maximi circuli trãseunt, & quintâ insuper in communi istorum circulorum sectione: quanta sit quintæ ab illarum quâvis distantia invenire.

DATVM.

DATUM. Sunto bis bīnæ stellæ A, B, & C, D, cùm longitudinis tum latitudinis cognitæ, quæ in duobus diversis maximis circulis consistant, inque horum communis sectionis puncto quinta sit E.

QUAESITUM. Quintæ hujus stellæ E, à D, distantia inquirenda esto.

CONSTRUCTIO.



Arcus A D & B D ex 11 problemate sciuntur, & B D ex thesi, ut A B D sit triangulum trium cognitorum laterum, unde per 43 sphæric. triang. propos. angulus A B D invenietur, qui de 180 gradibus subductus relinquet angulū E B D: simili viâ deprehendetur angulus E D B, ut trianguli B D E tres termini cognoscantur, quorum ope per 42 sphæric. triang. propos. latus D E ut quæsita distantia deprehendetur.

CONCLUSIO. Datis igitur bis binis stellis quæ latitudinis & longitudinis sunt cognitæ, per quos duo maximi circuli transeunt, & quinta insuper in horum circulorum communi sectione: quintæ distantiam ab harum quatuor aliquâ invenimus. Quod facere oportuit.

NOTA.

Hujusmodi paradigmatum usus erit, cum tres stellæ quasi in directum, ut hîc A, B, E, & C, D, E, sitæ esse videbuntur, tum etenim E stella est communis duarum maximarum peripheriarum nodus seu intersectio, & ejus distantia à quâlibet reliquarum inveniri poterit, ut supra.


13 PROBLEMA.

Ex stellâ aliquâ horam diei invenire.

DATUM. Esto meridianus A B C D, ecliptica A C, æquator D B, E sectio verna, F stella quæcunque cujus ab eclipticâ latitudo sit F G, longitudo E G. QUAESITUM. Hora diei hinc invenienda esto.

CONSTRUCTIO.

Per 9 problema latitudo ab æquatore F H, & longitudo E H invenientur. Itaque F H E erit rectangulum triangulum duorum cognitorum laterum F H, E H, cum recto angulo F H E, quorum ope per 33 sphæric. triang. propos. angulus F E H, & latus F E invenientur. His assertis, F E eclipticam, (à quâ & æquinoctiali angulus F E H comprehendatur) & F Solem esse fingo, unde per 8 problema hora diei cōcludetur. Quia autem hoc verum temporis momentum tantò intervallo prævortit, quātò Solis in æquatore longitudo major est longitudine hujus stellæ ad æquatorem comparatâ; stellæ longitudinem respectu æquatoris, à Solis ad eundem longitudine perpetuò subducam (& si minor sit usitato more integrum circulum, id est 360 gr. huc addam) reliqui gradus, horas quibus inventæ multandæ sint indicabunt.



CONCLUSIO. Quare auxilio stellę horam diei invenimus. Quod propositum fuit. Atque hic

QUARTI LIBRI FINIS ESTO.

SECVNDA PARS COSMOGRAPHIAE, DE GEOGRAPHIA.

Qua comprehenduntur ea in quibus sese exercuit

ILLVSTRISSIMVS

Illustrissimo & antiquissimo stemmate ortus Princeps ac Dominus MAVRITIVS Princeps Auraicus, Comes Nassoviæ, Catti-melibocorum, Viandę, Moersii, &c. Marchio Veræ & Vlissingæ, &c. Dominus Civitatis Gravæ & ditionis Cuyc, Civitatum Vyt, Daesburch, &c. Gubernator Geldriæ, Hollandiæ, Zelandiæ, Westfrisiæ, Zutphaniæ, Vltrajecti, Transisslanæ, &c. Imperator exercitus Provinciarum foedere consociatarum Belgii, Archithalassus Generalis, &c.

Conscripta à SIMONE STEVINO *Brugensi.*



LVGDINI BATAVORVM,

Ex Officinâ Ioannis Patii, Academiæ Typographi.

Anno cIↄ Iↄ cv.

BREVIARIUM
GEOGRAPHIÆ.

Quamvis recepto multorum more Geographiæ materia præcipuè in regionum, marium, fluminum, montium, sylvarum, vicorumque descriptionibus versetur, & singulorum fructus, feras, merces, metalla, aliaque montium visceribus recondita explicet: nos tamen, quia PRINCEPS ILLUSTRISSIMUS varias variorum cõmentationes super his evolvit, à talium tractatu & scriptione supersedemus, eaq; tantum persequemur, quæ hactenus scriptis illustrata non sunt, aut si sint, ea judicio nostro, nostroque scribendi ordine digessimus, cunctaque 6 libris complexi sumus, quorum

Primus agit de Geographiæ definitionibus generatim.

Secundus de ejus * Hylocinesi.

Tertius de * Atmæoresi.

** materiæ motu & mutatione.*
** altitudine vaporum.*

Sequentes libri Hydrographiam spectant, ut sunt,

Quartus de Nausiporia.

Quintus de * Limeneuretica.

** portuum inventione.*

Sextus de Æstibus maritimis.

PRIMVS LIBER
GEOGRAPHIAE,
DE
EIVS DEFINITIONIBVS
GENERATIM.

BREVIARIVM
PRIMI LIBRI.

QVia forma Terræ & Æquatoris, item [illegible] Terrestris principium, diesq; Geographi[illegible] re quiddam nobis continere videntur, [illegible] tio necessaria sit, id primo hoc libro quin[illegible] plexi sumus; quibus sextam eruditi aevi [illegible] auctarium adiecimus, quia aliquando [illegible] tabitur. Deinde docebimus quo modo, q[illegible] taq; scientia denuò recuperari, & inveniri [illegible] taq; erudito illo aevo cognita fuere.

DEFINITIONES.

I DEFINITIO.

Terræ globus eſt motũ mundi luminare in quo nos habitamus, octavusq; planeta reliquis ſeptem annumeratus.

QVAMVIS quid terræ globus ſit vulgò notum eſſe videatur, attamen in hac re longè maxima pars hominum, à paucioribus, quos tamen in eo intelligere, & ſapere plus quam cæteros arbitramur, diſſentiunt: atq; ideo terreſtris globi definitionem iſtam ponere neceſſe habui. quam ut fuſius explicem, primumque eſſe luminoſum cœli corpus, cogitatione concipito aliquem in Luna (in qua habitari Xenophanes olim dicebat) cõſtitutum, terram verſus oculorum aciem intendere, quemadmodum nos qui terra vehimur Lunam intuemur, huic terræ facies, Lunæ faciei à nobis conſpectę multùm ſimilis videbitur. & quemadmodum dimidia ferè Lunæ pars à Sole illuſtrata nobis refulgens cernitur, ſic item Terreſtris globi ſemiſſis ſolaribus radiis illuminatus, ipſi relucere videbitur, & quidem clarius quàm Luna, iis maximè locis qui ab aquis occupantur, quia radii ſolares inde claritate Soli æmula reflectuntur. Secundò quemadmodum Luna maculoſa nobis apparet, ſimiliter in terreſtri globo ab iis locis, ubi mera erit terra, maculæ magis obſcuræ, quam ab aqua illius adſpectui objicientur. Tertiò cujuſmodi Lunæ φάσις nobis in novilunio, plenilunio, & Luna dichotoma conſpiciuntur, ſimiles etiam ille videbit (ut Lunæ φάσεων nomina analogia quadam imitemur) in noviterreo, pleniterreo, & terra dichotoma. Quartò ut nos ſolis Lunæque defectus, ſic ille ſolis terræque defectus videbit, quando enim nobis Sol, ipſi terrâ; & quando nobis Luna ipſi Sol deficere videbitur. Hæc tamen differentia inter nos & illum intercedet, quod Lunæ eadem pars, ut maculæ argumento ſunt, perpetuò à nobis cernatur: Terra autem ex Luna ipſam ſpectanti, ſingulis horis aliis atque aliis maculis ſpectandam ſe præbeat, quia diverſæ regiones, diverſaque maria ipſi obvertuntur. Atque illi mutatio hæc talis videretur, qualis Lunæ ipſam è Sole adſpectanti, quæ quotmenſibus ſemel integra illi obverteretur, ſingulis diebus alias maculas ejus viſui ſubjiciẽs, quod indies videre licet dum alia atque alia refulgens Lunę pars Soli obtenditur. Notato autem has Terreſtris globi φάσις in Luna ſpectanti ſingulis 24 horis non eaſdem, ſed irregulari diverſitate varias conſpici, ob duas potiſſimum cauſas: unam, quod è Luna modò terræ pars Borealis, modò Auſtralis videatur. alteram quod nubes aliàs mare, aliàs terram tantum, aliàs utraque obnubilent, interdum etiam nullę ſint. quibus de cauſis ſpectatori in Luna Terreſtris globi color non uniuſmodi, ſed varius videbitur.

Dubitatio autem quam aquæ ſuperficies ſphærica videtur afferre, quod inde repercuſſi Solis radii ab unico tantum puncto verſus ſpectantem in Luna reflectantur, neque univerſa aqua Solis fulgore illuſtrata ab eo cernatur, omninò locum haberet, ſi aqua immota ſtaret; cujus exemplum in ſphæricis ſpeculis Soli expoſitis apparet, cujus cauſa etiam in Catoptricis infra demonſtrabitur. Verùm cum aqua nunquam planè immota quieſcat, ſed vento aut occulta

quadam vi fluctibus nunc majoribus, interdum minoribus agitata turgeat, necesse est etiam à singulis fluctibus radios solares altera saltem parte reflecti, eorumque omnium repercussu per universam aquæ superficiem fulgorem versus quaslibet mūdi plagas excitari; ut ipsi fluctus à sole illustrati nobis indicio sunt.

Hactenus igitur dictum fuit cur terram mundi luminare definierim. qua autem de causa ipsi motum tribuerim, reliquisque septem Planetis octavum annumeratim, ea in Planetarum doctrina patebit.

2 DEFINITIO.

Axis Terrestris globi, est axis sphæræ stellarum fixarum pars, quam ex hypothesi à terra contineri statuimus.

Axis sphæræ stellarum cœlo affixarum (quem secundum quiescentis & immotæ Terræ hypothesin, cujus hypothesis assumptæ causam primæ definitioni 4 lib. doctr. Triang. præfiximus, per ejus centrū penetrare statuimus) quandam partem ab Terra contineri & includi necesse est; eam, inquam, partem hujus axem dicimus. Ex quo efficitur hujus axis terminos Terræ Globi polos esse.

3 DEFINITIO.

Terræ * mediator, est circulus maximus inter utrosque polos intermedius.

* *id est Terrestris æquinoctialis.*

Hic vocem emmesocycli pro mediatore primum usurpaveramus: placet tamen mediator qua vox aliis quoque usurpata est, itaque ubi in sequentibus emmesocyclus occurret hunc mediatorem intelligito.

Sic ductis aliquot circulis meridianis inter utrosque polos circulus istos bisecans, qui æquali quoque spatio inter polos interjacet, mediator dicitur.

Quamobrem verò Æquatoris usurpatam appellationem in isto repudiem, hinc est, quod æquator, ut 4 lib. de doctr. Triang. 1 definitione videre licet, planè ab hoc sit diversus, cujusque principium vigintiquatuor horis semel tantum congruat principio mediatoris. loca in mediatore constituta potuere quidem dici æquinoctiali esse subjecta; verum ut sermo nō ambiguus, sed certus & indubius sit, diversos circulos diversis nominibus appellari necesse fuit.

4 DEFINITIO.

Longitudinis terrestris principium assumimus semimeridianum per *Pico de Teide in Teneriffa* eductum.


Hujus seculi Geographis in assumendo longitudinis principio, primoque meridiano, unde cæteri numerentur inter ipsos non convenit: nonnullis *Ptolomæum*, qui eum in Canariis ponit sequentibus; aliis pyxidis nauticæ Boreochalybodixin notantibus, quæ à Canariis occidentem versus primùm occurrit, in qua hi ipsi inter se multùm dissident. Ex quibus efficitur in locorum longitudine notanda, nisi unde principium sumatur pariter annotetur, magnam oriri differentiam. Quamobrem res ipsa flagitare videtur, qui cōmodius Geographi mutuò se exaudiant, atque errores declinent, ut unum commune firmumque principium constituatur. cujus sane fides penes pyxidem nauticam lubrica nimis sit & instabilis, cum enim ea non eundem sequatur meridianum, per observationes in diversis latitudinibus factas, diversi meridiani pro primis, & prin-

& principiis assumuntur. Praeterea verò observationes per pyxidem ab aliis atque aliis eodem loco institutae tanta accuratione obiri nequeunt, quin 1 ☉ differentia inter ipsos eos intercedat, quae sane est passuum vulgarium 3000. Quare cum nihil certi à pyxide hac in parte suggeratur, ratio postulat terrae locum penitus fixum huic negotio seligi. Et quandoquidem una è septem Canariis, quae *Iuno* dicitur, à *Ptolomaeo* huic usui dicata sit, rationi consentaneum est ab hac non discedere. quia vero etiam unius ejusdemq; insulae termini, longitudine inter se differunt, aequum est certam quandam insulam eligi, inque ipsa locum exiguum quidem, sed notabilem & quasi perpetuum, qui differentiam 1 ☉ non inducat, nam cum longitudines locorum urbiumque usque ad ☉ sollicitè anxieque inquirantur, omninò necessarium erit ipsorum principium ne quidē 1 ☉ ambiguitate vacillare. Huic fini nobis assumpta est *Pico de Teide* petra, quae (utar Curtii verbis in re non absimili) non ut pleraeque modicis ac mollibus clivis in sublime fastigium crescit, sed in metae maximae modum erecta est, cujus ima spatiosiora sunt, altiora in arctius coëunt, summa in acutum cacumen exsurgunt: sita in *Teneriffa* septem insularum canariarum maxima, ditissima, praestantissimaque, id enim ipse ex relatu *Melchioris* à *Kerckhove*, qui istic & natus & educatus est, cognovi. Si quis in hoc terrarū orbe alium aptiorem locum norit eum ipsum deligere consultum erit. sed quocunque res cadat, ambiguitatem tamen illam omninò declinari decet.

5 DEFINITIO.

Dies geographicus est, qui à terrestris globi longitudinis principio initium ducit.

Cum Geographi de communi eodemq; diei principio hactenus, quod quidem norim, inter se non consentiant, in locis quoque longitudine multum dissitis nulla dierum erit aequabilitas, aut cōstantia. Vt si quis in altero locorum longitudinis plurimùm dissitae, cujusmodi est inter *Bataviam* & *Sinarum regionem*, siderum observationes, aliudvé quid anno 1602, 4 Idus Maji instituisset, ei qui in altero loco hoc è scripto cognoscet anceps & incertū erit duodecimane, an decimatertia Maji dies ipsis is fuerit. Et quia navigationes maritimaque itinera apud Hollandos Zelandosq; indies crescunt crebrescuntque, multa sanè incōmoda hinc existere possent, maximè verò in rebus Geographis, & Astrologicis, ubi unius diei ignoratio magnas errorū catervas secum trahit, ut in observādis planetarum locis, quae in regionibus adeò distātibus instituentur: cum tamen sideralli scientiae magna lux istinc affulgere possit, unde ipsa magis certa, minusque dubia sit, quod etiam sub loco clariùs explicabitur. Atque ut hoc pulvere & radio explicemus. istiusmodi diagramma describito, A B C D circulus terrestris esto * emmesocyclo parallelus, inq; quatuor quadrātes A B, B C, C D, D A distributus; tu igitur verbi gratia verseris in A, itaque quando tibi Meridies erit, versus ortum in B dices sextam esse vespertinam; similiter in B cōstituto quadrante altero Occidentem



* mediatori.

versus in C sex item alteris horis serius,id est,media nox esse videbitur,quę initium est 13 Maji. Atque idem quoque in A constituto videbitur. Iam verò si eodem modo, quo ab A versum B plagam Orientaliorem progressus es in C, ita ab A per D plagam Occidentaliorem contendas eodem ad C: quando tibi in A Meridies erit 12 Maji, dices D sex horas anteoccupare, id est, ipsis esse 6 matutinam 12 Maji, sic in D constitutis videbuntur quadrante altero Occidentaliores in C, sex item horis anticipare, hoc est, ipsis mediam esse noctem,tanquam principium 12 Maji. quod in A constituto tibi quoque videbitur, sed ante ibidem concluseras in C mediam esse noctem initium 13 Maji. Quamobrem cum tute repugnantia loquaris,minimè mirum fuerit si ab altero dissentias, aut si Portugalli reliquique Hispani, alteris in Orientem, alteris in Occidentem navigantibus, inter se de die integro controvertant.

Quod incommodum à Geographis evitabitur, si diei certum tribnatur initium; cujus exordium meritissimò, ut ista definitione à nobis usurpatum est, à principio longitudinis Terrestris desumitur.

Quod autem nonnihil incommodi hinc videatur existere,cùm duo loca vix horæ spatio inter se utrinque à primo meridiano dissita, integro die discrepêt, quod in usu populari difficile molestumque sit. id similiter intelligatur atq; ab Astronomis dierum in 24 æquales horas partitio recepta est,cujus initiū à Meridie ducitur, cum nihilo secius singulæ gêtes horas pro suo arbitrio disponant digerantque,aliis æquales, aliis inæquales horas usurpantibus, his à media nocte, illis ab ortu, aliis ab occasu solis initium ducentibus, de qua differentia Astronomi in Astronomica doctrina minimè solliciti sunt. Consimiliter, non est, cur diversarum gentium,diversa dierum principia Geographos torqueant, sed suo definitoque initio contenti sint. Et quemadmodum illi horas suas ad reliquarū differentiam Astronomicas appellant: sic Geographi,quî dies suos à reliquis secernant & distinguant,ut in definitione, Geographicos appellanto.

6 DEFINITIO.

Eruditum seculum dicimus, quo mirabilis quædam sciētia hominibus nota fuit,quod certis quibusdam signis certò quidem, sed nec apud quos, aut ubi locorum, aut quando extiterit cognoscimus.

Quia deinceps frequens Eruditi seculi mentio incidet, & simul quia paulò post in renovatione ejus declarare statui, quo modo, quavé ratione putem denuò tantam peritiam sideralis scientiæ, aliarumque rerum assequi nos posse, quantam aliquot retrò seculis cognitam animadvertimus; omninò necesse fuit ejus definitionem hanc ponere.

Verumenimverò ut res sit planior ita habeto. ante nongentos aut mille plus minus annos tam crassa caligo, tantaque ignorantiæ nubes usque ad proximum fere seculum hominum animos invaserat, ut propterea Barbarum dicatur, tanquam omnis erroris & barbariei plenum. quod tum cœpit cum Christiani Paganis superiores essent. à quibus ante graviter afflicti,ipsorumq; ritus & sacra exosi, non tantum libros de religione & Idolomania eorum conscriptos, aut in quibus ulla Deorum fieret mentio,sed etiam de scientiis & artibus liberalibus omnes pariter, quoscunque, aut ubicunque nanciscerentur cōbusserunt & ad internecionem usq; deleverunt. Tandem cum iste ardor deferbuis-

[illegible], res eo versa est ut [illegible]rorum Ethnicorum relliquiæ, tanquam tabulæ [illegible] o conquiri atque undique è tenebris erui, magnoq; [illegible] typis describi cœptæ sint, neque ii tantum, qui in ar[illegible] ii, qui in Ethicorum Deorum [illegible] non tantum in carminibus eos appellare & [illegible] iam [illegible] relligioni Poemata [illegible] us, & [illegible] tricis a[illegible] is ex[illegible] dicti cluerent. [illegible] in lucem prodierunt, & [illegible] artibus [illegible] cœlum [illegible] fuit [illegible]. sed [illegible] aliud [illegible]

[illegible] quam fun[illegible]tum, unde indicium [illegible] ephemerides quotidianæ experi[illegible] sunt.

[illegible] motus, quem *Ptolemæus* [illegible] 9 [illegible], sæpeq; ideò illorum [illegible] ab ipsis animadversa [illegible] medius planetarum motus ab ipsis adeò concin[illegible], aut [illegible] postmodum ad manes *Ptolemæi* [illegible] sed sed [illegible] quàm [illegible]

[illegible] adversum sit ante [illegible] fuisse, quam Æ[illegible] *Ptolemæum* [illegible] *Io.* [illegible] ex[illegible]. Una harum [illegible] nomen ex[illegible] memi[illegible] HER[illegible] is Terram circa Solem circumvolvi [illegible] videtur, si [illegible] ad cogno-

cognovisset, certè pro sua eruditione, inque cæteris æquitate, & candore naturalem hunc motum à peritissimis Astrologis descriptum, sine d[illegible] o posthabita illa quam nactus est semiperfecta scientia, amplexatus & [illegible]et.
Hunc Terrestris globi motum *Philolaus Pythagoricus* autore *Plutarcho*, & *Aristarchus Samius* cujus *Archimedes* in Arenæ numero mentionem [illegible]cit, jam olim ani[illegible] te[illegible]. Verum id erudito seculo non contigi[illegible] ex istis *Archimedis* verbis facile i[illegible]ligi potest, dum ait, *Aristarchum* redargu[illegible]e Astro[illegible]omos qui mundum dicebant sphæram, cujus centrum esset idem c[illegible] Terræ [illegible]tro, semidiameter verò recta inter Terræ & Solis centrum interjecta, quæ (præter cæteros errores) interdum major, interd[illegible] minor est, sibique inæqualis, ut nihil c[illegible]ti ab hac definiatur. Præterea proportio ab *Aristarcho* exposita, videlicet

Vt centrum sphæra,
Ad ejus superficiem sphæricam:
Sic circulus per quem Terræ globus defertur,
Ad distantiam stellarum inerrantium.

Vbi contra analogiam proportionis anathemati[illegible] æ heterogenea [illegible]tur, punctum scilicet cum superficie. Ex quibus perspi[illegible]tur [illegible] nostrum eruditum ab istis temporibus fuisse diversum. Et qua[illegible] *A[illegible]edes* proportionem istam explicet, hoc modo:

Vt Terræ [illegible]lobus,
Ad mundum nobis dictum:
Sic sphæra in quo circulus est terrestris motus,
Ad sphæram stellarum fixarum.

Nihil tamen hoc ad eruditum seculum p[illegible]fici[illegible] [illegible]um [illegible] b[illegible] vocibus, [illegible] certis enuntiatis efferenda [illegible]. [illegible]de c[illegible] eruditi seculi vestigi[illegible] hic etiamnum con[illegible]pici.

Sed magnum Astronomiæ studium ante *Pto[illegible]m* [illegible] est triangulorum sphæricorum tam diversa d[illegible] quæ postea apud Arabes prod[illegible]t, unde [illegible]d nos [illegible]rt. [illegible] c[illegible]orum [illegible]rum calculum Astronomicis abac[illegible] [illegible]m cernerent, valde in eo elaboratum est. Modus quide[illegible] quem [illegible] quitur subti[illegible] est, & elegans, quæ tota in ration[illegible] in additi[illegible]n & [illegible] versatur: sed usus admodum molestus & intrica[illegible] na[illegible] logista [illegible] calculo applicat, in ista doctrina omnibus exempli[illegible] descripta pr[illegible] invenit, ut facilitatem eam assequ[illegible]tur: sed de modo [illegible]dd[illegible] dæ[illegible]ue rationis assiduè in subjecto exemplo [illegible]ol[illegible] [illegible]t autem alter quoq; modus è sectione planorum à circul[illegible]s. Et te[illegible]tius item à *Regiomontano* editus.

Quod verò à nonnullis Astrologia nō ita pridem in[illegible] [illegible] pars ab *Hipparcho* ad posteros sit transm[illegible], [illegible] *[illegible]imoc[illegible]res* [illegible] 30 anno ab *Alexandri* d[illegible]cessu, p[illegible] studi[illegible] [illegible]; certè me ab istis longè d[illegible] [illegible]e fateor [illegible] [illegible]*chus* è m[illegible] [illegible]onumentis descripsiss[illegible] volumen [illegible] & ab eo ad nos transm[illegible]issum est, raram[illegible] n[illegible]m p[illegible] futuram fu[illegible]e: ipsum verò tam excellenti[illegible] mi[illegible]i non [illegible]t veri[illegible]mile. Nam *[illegible]lomæu[illegible]* [illegible].I[illegible].4 [illegible] tem quandam incidisse annotat, d[illegible]m calcu[illegible] pantiam in Epicyclo, ab eo qui est in Eccentrico [illegible], [illegible]

hypo-

hypothesewn diversitate; sed à calculi errore aliove lapsu natam: certè vel hinc *Hipparchus* inter cætera ingenii sui monuméta istius theorematis, quo eccẽtrici & epicycli motu idem effici demonstratur, autor primus, primusque inventor fuisse non videtur, sed ne ab ipso quidem (quod, non ut de ipsius fama quidquam detraham, verum ut propositum demonstrem, dictum velim) theorema hoc intellectum: enimverò simile illi fuerit, tanquam aliquis intellecta demonstratione novissimæ propositionis 1 lib. *Euclidis*, ubi ad usum accessisset, dubitaret utrum quadrata minorum laterum in triangulo rectangulo maximi lateris quadrato æqualia sint, quia in suo exemplo ipsorum differentiam deprehendit, ignarus scilicet, non à propositione istam discrepantiam oriri, sed ab hallucinatione manuum, oculorum, ab errore calculi, aut simili aliquo casu.

Præterea verò quod *Ptolomaeus* 2 cap. 3 lib. *Hipparchi* modum in Solaris loci investigatione, unde anni quãtitas inveniatur, veteribus præferat, quam hi à Solstitio æstivo instituebãt, quod eam *Hipparchus* minus fallaci via ab æquinoctio verno scrutatus sit. non est profectò verisimile eos, qui diuturna & sedula siderum observatione Planetarũ medios motus inquisivissent, adeò lubricum, & ancipitem observandi locum in solstitiis non animadvertisse; attamen si ut *Hipparchus* ait, in solstitiis observationes instituerunt, non, ex Solis ab æquinoctiali latitudine, id factum credam; sed potius, quod modus hic certior minusque fallax esset, ex observata inter Solem & fixarum aliquam longitudine ecliptica, nam interdiu lucente Sole diligenter inspectanti conspicuæ quoque sunt, cumque id *Ptolomaeus* latuerit laudes, quas *Hipparcho* hic tantas tribuit, justis rationibus subnixæ non sunt. *Timochari* autem ipsi, qui primus mortalium cœli plagas scrutatus, fixarumque stellarum observationes annotasse dicitur, neque iis, qui hoc de illo sentiunt, dictæ coelestium sphærarum diversæ descriptiones cognitæ fuisse videntur, quibus prisci cœli faciem, ut supra diximus, descripserant, ut *Timochares* primus fuisse non videatur. Idque eò magis quia planetarum medii motus à priscis notati, quos *Hipparchus* nactus est, ex accuratioribus fixarum stellarum locis quàm *Timocharicis*, qui 10 ① tanquam minimam mensuram usurpavit, ut ex tabulis *Ptolomaicis* perspicitur, annotati sint.

ALTERUM INDICIUM *erudi seculi*, est admirabilis numerorum peritia, quæ veteribus illis, & priscis viris fuit cognita; cujus unam, & quidem singularem Analyticem, quam Algebram dicunt æstimare licet, hæc paucos ante annos ex Arabicis libris eruta in lucem prodiit, de qua Chaldæis, Hebræis, Græcis (nam *Diophantus* recentior est) aut Romanis quidquam cognitum fuisse, in eorum monumentis nullum indicium extat, qui omnes Arithmetici, quos quidem meritò sic appelles, non fuere: Nam ipsis characteres huic negotio necessarii, decimarumq; periodi deerant, sine quibus magnos profectus facere nemo potest. Crediderim verò usos notis non multùm dissimilibus iis, calculis, nummisvé, aut similibus aliis signis, quibus vulgo computum subducunt. illi autem numerorum characteres apud Arabes denuò in lucem prodierunt, ut ex his cognosci possit quid numeri principium, punctumque sit, quod Barbaro inculto que seculo (Barbarum autem nunc dico, à celebrium Græcorum initio usque ad hæc tempora) perperam intellectum, unitatem esse crediderunt. Nam Illustr. *Iosephus Scaliger* aliquando nobis ostendit punctum Arabibus notari sic. idque punctum ab ipsis dici, nostrique o vicem fungi. congruens cum eo quod non ita pridem 2 definitione Arithmeticæ nostræ Gallicæ de eodem disseruimus. quod verò Europæi istius puncti loco o substi-

ſubſtituant, hinc eſſe crediderim, quia punctum nobis ſententiam perfectam claudit, eademque puncta numeros ſæpe terminant, quare ſi pro numeris ea uſurpentur ambiguitatem inducerent, ipſeque numerus præter æquum auctior, majorque videretur: quare ut ambiguitas iſta vitaretur pro . adhibitus eſt o. Cum igitur o noſtrum erudito ſeculo punctum appellaverint, nobis quoque deinceps eo nomine dicetur, & quidem Arithmeticum, ad puncti Geometrici differentiam, repudiata priore principii appellatione, quam hactenus iſti fini uſurpavimus. Qui verò judicio non ſatis valent, proptereaque autoritate ſe duci patiuntur eorum, qui de his ſcripſere, illos ſanè non avios errare crediderim, modò præſtantiſſimorum in hac arte autoritatem ſequantur, hoc eſt, Eruditi ſeculi Logiſtas, relictis Græcis qui Arithmetici non erant, neque ob notarum Arithmeticarum defectum eſſe poterant, ut ſupra diximus. Quamvis enim *Euclides* egregia *Arithmetica Theoremata* cōſcripſerit, quæ ab Erudito uſque ſeculo ad ipſum tranſmiſſa erant, nulla tamen habet problemata, nullam praxin; quę ex Arabicis in lucem denuò proceſſere; ut *Euclidis* theoremata Eruditum ſeculum redoleant, quod jam ante eum extiterat, tumque eſſe deſierat. Verum adeò ſollicitè de puncto hoc ſermo hic à nobis inſtituitur, quia unitas tanquam punctum Arithmeticum definita, Eruditi ſeculi teſtimonium exhibere videtur, cum inſtar puncti notabatur. eſt autem barbari item ſeculi ſignum, quod poſtea extitit, quo tam imperiti proceſſere Arithmetici, atque punctum Geometricum pro parte magnitudinis definitum infelices produceret Geometras.

Animadvertere quoq; licet Erudito illo ſeculo multas Arithmeticas factiones inſigni quadam facilitate expeditas per decimarū progreſſum. De quibus dicam paulò explicatius, cum enim ante aliquot annos de decimarum uſu ſcripſiſſem, mihique perſuaſiſſem commodè uſurpari in ſinuum per decimas diſtributione, modumque iſtum accuratius poſtea diſponerem, quem proprio Capite in cœleſtium doctrina breviter admodum & ſuccinctè tractabimus. eam operam jam ante à priſcis illis eruditi ſeculi hominibus ſuſceptam iſtinc maximè animadverti, quod Canon ſinuum à *Regiomontano* editus ſemidiametrum in 10000000 habeat diſtributam, qua partitione decimarum progreſſus perfectè comprehenditur. etenim cum, pro 60 Ægyptiorum, in 100 partes ſemidiametrum tribuerem, deincepsque pro ſingulis ſexagenis, ſingulas denas partes ſubſtituerem, canonem quidem ipſum abſolutum planè cognovi, ejuſq; primum autorem *Regiomontanum* eſſe credebam, cum ipſe initio ſui libri afferat, ante ſe diametrum in pauciores partes fuiſſe diviſam, à *Ptolomao* enim 120, ab *Arzahete* 300 trecentæ partes adhibentur, quarum ſingulæ in 60 ①, & 1 ① in 60 ② dirimitur.

Poſtea verò longe ſecus rem ſe habere cognovi; dum enim è tabulis *Regiomontani* ſcrutarer utrum termini rationis diametri ad perimetrum intra terminos *Archimedeos* conſiſterent, huic fini inquirebam ſinum 1 ①, id eſt 2909 cujuſmodi partium diameter eſt 10000000, qui ſinus propter peripheriæ ſuæ exilitatem ipſi propemodum æquatur, quare quadrans peripheriæ, id eſt, 5400 ① multiplicata cum 2909 efficiunt 15708600, quadrātis amplitudinem in partibus diametri 10000000, ejuſdemque quadruplum 62834400 pro integra peripheria: ratio itaque perimetri ad diametrū ſuam, erit quaſi 62834400 ad 20000000. terminique iſti intra *Archimedeos* terminos conſiſtunt; minores enim ſunt quàm 22 ad 7, majores autem quam 227 ad 71.

Cujuſmodi autem meditatio meum animum ſubiit, ſimilem crediderim

priſcos

priſcos iſtos, quos caſcos cum *Ennio* dicere licet, olim quoq; habuiſſe, hac potiſſimum de cauſa, quia *Georgius Purbachius* in ſua triangulorũ doctrina, commentarium quendam nactum ſeſe aſſerit, in quo variarum gentium ut Indorum, Ægyptiorum, Arabum placita de diametri ad peripheriam ratione recenſebantur, inter quos nonnulli eam his terminis 20000,62832 exponebant, qui quàm proximè ad numeros noſtros, ad veritatem autem etiam propiùs, quàm nos, accedunt. Sed qui id factitabant ęque ſinuum Canone rationem hanc derivabant, eos diametrum in 3 & aliquot numerales circulos diſtributam habuiſſe neceſſe eſt, neque tantùm ſeptenos cujuſmodi *Regiomontani*, ſed minimum uno amplius, nam numerus 62832 quinto charactere vero congruit, cum noſter à quarto vacillet, quod palam erit ſi terminos preſſiùs ſumas, cujuſmodi exhibuit magnus & ſubtilis Logiſta *Ludolphus à Ceullen*, poſita namque diametro 200000000000000000000.
Peripheriam minorem oſtendit quàm 628318530717958647694.
Major autem quàm 628318530717958647690.
Ex his inquam effici videtur, ante ætatem *Regiomontani* ſemidiametrum in ſinuum Canone in 10000000 notas, aut una etiam nota ampliùs tributam fuiſſe. idque erudito ſeculo factum non injuria ſuſpicari licet, cum nulla extent veſtigia quo id tempore factum ſit.

Hactenus igitur de priſcorum ratione in dividendis ſinibus, decimarumq; progreſſu dictum eſto; ſed in eaſdem partes circuli quadrantem etiam ab ipſis conciſum, ut hinc facilitatem tantam, quanta in appendice doctrinæ motus cœleſtis declarabitur, è circuli in 1600 partitione ſuſpicari licet. nam ita, autore *Ptolemæo* 3 lib. cap. 2. mathematica inſtrumẽta olim partiebantur. ex quibus ſequitur, quemadmodum Ægiptii quadrantem in gr. 90, gradum autem in Mathematicis inſtrumentis nonnunquam quadripartitò ſubdividebant; ut tamen nihilominus ſexagenaria uterentur numeratione, eadem ratione ab illis ſingulos quadrantes in partes 100 diviſos, earumque partium ſingulas in quaternas alias fuiſſe ſubdiviſas, ut tamen nihilominus quoque decimarum progreſſum uſurparint. nam ipſos per decimas progreſſum, & præcepta numerationis ejus (quæ preſſius in Miſcellaneis dicentur) inſtituiſſe, nec compendia quæ hinc ad arcuum per decimas diſtributione derivantur, animadvertiſſe, plane à vero alienum mihi videtur, præcipuè cum in aſtronomico epilogiſmo utramque ferè paginam faciat.

TERTIVM INDICIVM erit à Geometria, quamvis enim Grçci multùm in ea excelluerint, aliunde tamen hanc ad eos promanaſſe, ipſorum confeſſione manifeſtum eſt. Admirabilis ſane ſcientia, firmumque teſtimonium ſummi ingenii, & eruditionis, quicunque tandem ipſam in tanto faſtigio collocarunt. Cujus maxima indicia in elementis *Euclidicis* nobis ſuperſunt; Ex quibus præter Geometricum ſubjectum, eximium quiddam, quodque ſummopere uſui ſit, haurire licet; methodum ſcilicet eruditi ſeculi, in artium Mathematicarum deſcriptione, de qua, in ejus renovatione, ſententiam meam plenius exponam:

Dranc. Beuvrage. Potus.
Dreck. Boue. Lutum.
Dreef. Vne longue rangee d'arbres plantees. Series arborum.
Droef. Triſte. Triſtis.
Droes. Vne enflure venant à la gorge derriere les aureilles ou es aines. Panus.
Drom. Le fil de la treme du tiſſerant Licium.
Dronck. Yvre. Ebrius.
Drooch. Sec. Siccus.
Droom. Songe. Somnium.
Druck. Triſteſſe. Triſtitia.
Drop. Goutte. Gutta.
Druyf. Grappe. Vua.
Drie. Trois. Tres.
Dul. Enragé. Furioſus.
Dun. Tenue. Tenuis.
Duyſt. Mille. Mille.
Duym. Poulſe. Pollex.
Duyn. Dune. Collis arenoſus.
Duyf. Colomb. Columba.
Dwael. Touaille. Mantile.
Dwaes. Sot. Stultus.
Dwanc. Contraincte. Vis.
Dwee. Mol. Mollis.
Dweers. De travers. Tranſverſim.
Dwerch. Nain. Nanus.
Dy. Toi. Tibi.
Dijn. Tien. Tuus.
ECht. Mariage. Matrimonium.
Eec. Vinaigre. Acetum.
Eedt. Serment. Iuramentum.
Een. Vn. Vnus.
Eer. Avant. Prius.
Eer. Honneur. Honor.
Eerd. Terre. Terra.
Eerſt. Premier. Primus.
Eg. Herſe. Occa.
Elf. Onze. Vndecim.
Elſt. Aloſe. Aloſa.
El. Aulne. Vlna.
Eint. Fin. Finis.
Eng. Eſtroict. Anguſtus.
Erch. Malin. Malignus.
Erm. Pauvre. Pauper.
Ernſt. A bon eſcient. Serio.
Erf. Heritage. Hærediom.
Eſch. Freſne. Fraxinus.
Ey. Oeuf. Ovum.
Eyc. Cheſne. Quercus.
Eyſch. Petition. Petitio.
FAel. Faulte. Error.
Faem. Renom. Fama.
Feeſt. Feſte. Feſtum.
Fel. Felon. Crudelis.
Feil. Faute. Error.
Fielt. Gueu. Mendicus.
Fier. Fier. Ferus.
Fijn. Fin. Exilis.
Flesch. Flacon. Lagéna.
Fluc. Subit. Subito.
Fluym. Fleume. Phlegma.
Fluyt. Flute. Fiſtula.
Foc. Tringuet. Artemon.
Foy. Phi.
Form. Forme. Forma.
Fraey. Ioli. Lepidus.
Fret. Foret. Viverra.
Friſch. Vigoreux. Vividus.
Fruit. Fruict. Fructus.
GAef. Pur. Purus.
Gaer. Totalement. Omnino.

Gay.

Gay. Gai. Psittacus.
Gal. Fiel. Fel.
Galgh. Gibbet. Patibulum.
Galm. Retentissemẽt de la voix. Echo
Ganc. Allure. Incessus.
Ganc. Allee. Ambulacrum.
Gans. Oye. Anser.
Gauts. Entier. Integer.
Garst. Ranci. Rancidus.
Gast. Hoste. Hospes.
Gat. Trou. Foramen.
Gaef. Don. Donum.
Gau. Prompt. Promptus.
Geck. Badin. Sannio.
Geel. Iaune. Rufus.
Gheen. Nul. Nullus.
Gheest. Esprit. Spiritus.
Ghelt. Argent. Pecunia.
Ghelt. Porceau chastré. Maialis.
Ghelt. Lot. Quatuor heminæ.
Ghent. Iar. Anser mas.
Gent. Fonte. Fusura.
Gheit. Chevre. Capra.
Ghy. Vous. Tu.
Ghier. Vaultour. Vultur.
Ghift. Don. Donum.
Ghild. Homme liberal. Prodigus.
Ghins. Vers la. Illuc.
Ghist. Lie. Fæx.
Glants. Resplendeur. Splendor.
Glas. Verre. Vitrum.
Glat. Poli. Politus.
God. Dieu. Deus.
Goedt. Bon. Bonus.
Gom. Gumme. Gummi.
Gort. Orge seiche. Hordeum aridũ.
Goot. Ruisseau. Aquæductus.
Goudt. Or. Aurum.
Gracht. Fosse. Fossa.
Graef. Conte. Comes.
Graen. Grain. Granum.
Graet. Areste. Arista.
Graf. Sepulchre. Sepulchrum.
Gram. Courroucé. Iratus.
Gras. Herbe. Gramen.
Graeu. Gris. Glaucus.
Grents. Frontiere. Ora.
Greep. Poignee. Manipulus.
Griel. Gripaille.
Grijs. Gris. Canus.
Groef. Fosse. Fovea.
Grof. Gros. Crassus.
Grond. Fond. Fundum.
Groot. Grand. Grandis.
Gron. Horreur. Horror.
Gruen. Verd. Viridis.
Gruet. Salutation. Salutatio.
Gris. Moillon. Rudus.
Gunst. Faveur. Favor.
Guit. Guen. Mendicus.
HAec. Croc. Hama.
Haegh. Haye. Seps.
Haeo. Coc. Gallus.
Haer. Poil. Pilus.
Haest. Haste. Properatio.
Haet. Haine. Odium.
Half. Demi. Dimidius.
Hals. Col. Collum.
Ham. Iambon. Perna.
Handt. Main. Manus.
Harp. Haspe. Lyra.
Hars. Resine. Resina.
Haes. Lievre. Lepus.
Hecht. Manche. Capulus.
Hec. Claie. Vacerra.
Heel. Tout. Totus.
Heerdt. Fouier. Focus.
Heer. Seigneur. Herus.
Heesch. Enroué. Raucus.
Heet. Chaud. Calidus.
Hel. Clair. Clarus.
Held. Homme Noble. Heros.
Hel. Enfer. Infernus.
Helm. Heaume. Galea.
Hem. Lui. Illi.
Hemd. Chemise. Indusium.
Hengst. Estalon. Caballus.
Hert. Dur. Durus.
Herfst. Automne. Autumnus.
Herst. Eschinée. Spina porci.
Hert. Cœur. Cor.
Hesp. Iambon. Perna.
Het. Ce. Id.
Heur. Sienne. Sua.
Heusch. Courtois. Civilis.
Heus. Anse. Ansa.
Hex. Sorciere. Venéfica.
Hey. Lande. Campus sterilis.
Hey. Hie. Fistúca.
Heyl. Salut. Salus.
Heir Armée. Exercitus.
Hic. Hoquet. Singúltus.
Hiel. Talon. Talus.
Hier. Ici. Hic.
Hind. Biche. Cerva.
Hin. Poulle. Gallina.
Hirs. Mil. Milium.
Hoe. Comment. Quomodo.
Hoeck. Coing. Angulus.
Hoen. Poulle. Gallina.
Hoer. Paillarde. Meretrix.
Hoest. Toux. Tussis.
Hoet. Chapeau. Pileus.
Hoef. Merairie. Villa.
Hof. Iardin. Hortus.
Hoir. Heritier. Hæres.
Hol. Cave. Cavus.
Hondt. Chien. Canis.
Hooch. Hault. Altus.
Hooft. Teste. Caput.
Hoop. Monceau. Acérvus.
Hoop. Espoir. Spes.
Hop. Houbelon. Lupulus.
Hop. Hupe. Vpupa.
Hord. Claye. Crates.
Hoos. Chausse. Cáliga.
Hout. Bois. Lignum.
Hou. Coup de taille. Ictus.
Hoy. Foin. Fœnum.
Hulp. Aide. Auxilium.
Hulst. Houx. Aquifolia.
Hupich. Elegant. Elegans.
Hut Loge. Mapalia, orum.
Huych. Luette en la gorge. Angina.
Huyck. Hucque. Cucullus.
Huyl. Cheveche. Vlula.
Huys. Maison. Domus.
Hy. Il. Ille.
IA. Oui. Ita.
Iacht. Chasse. Venátus.
Iaer. An. Annus.
Ick. Ie. Ego.
Iet. Quelque chose. Aliquid.
Ieucht. Ieunesse. Iuventus.
Ys. Glace. Glacies.
In En. In.
Inct. Encre. Atramentum.
Iock. Ioug. Iugum.
Iock. Raillerie. Iocus.
Ionck. Ieune. Iuvenis.
Is. Est. Est.
KAeck. Maschoire. Maxilla.
Kaey. Cai. Acta.
Kaeck. Pilori. Numellæ versatiles.
Kalf. Veau. Vitulus.
Kam. Peigne. Pecten.
Kan. Pot. Amphora.
Kans. Chansse. Casus aleæ.
Kant als brood. Chanteau. Frustũ.
Keel. Garderobbe. Supparum.
Keer. Tour. Circuitus.
Keers. Chandelle. Candéla.
Kelck. Calice. Calix.
Keel. Gorge. Guttur.
Kees. Fourmage. Caseus.
Kemp. Chanure. Cannabis.
Kerck. Eglise. Templum.
Kerf. Crenne. Crena.
Kern. Pepin. Semen, nucleus.
Kers. Guisne. Cerasum.
Kers. Cresson. Nasturtium.
Kert. Cren. Crena.
Keur. Chois. Optio.
Keurs. Corset. Cyclas.
Key. Caillou. Cautes.
Kiel. Carine. Carina.
Kim. Cipeau d'un tõneau. Ora vasis
Kindr. Enfant. Puer.
Kin. Menton. Mentum.
Kist. Coffre. Cista.
Kit. Boisson. Brochus.
Klacht. Querelle. Queréla.
Klack. Crevasse. Crepitatio.
Klad. Crotte. Macula luti.
Klamp. Membrure d'un huis. Afsula.
Klanck. Tintement. Tinnitinentum.
Klap. Babil. Loquacitas.
Klau. Patte. Vnguis.
Kleet. Vestement. Vestis.
Klef. Attachant comme glu. Tenax
Kley. Argille. Argilla.
Klein. Petit. Parvus.
Klier. Aposteume. Tonsilla.
Klinck. Cliquet. Pessulus.
Klis. Grateron. Aparine.
Klock. Cloche. Campana.
Kloeck. Hardi. Audax.
Kloet. Rable. Rutáblum.
Klomp. Billot. Massa.
Kloot. Boule. Sphæra.
Klop. Coup. Ictus.
Kloof. Crevasse. Rima.
Klucht. Farce. Facetiæ.
Kluys. Heremitage. Sacellum.
Knaep. Serviteur. Servus.
Knecht. Garsun. Servus.
Knick. Hochemẽt de la teste. Nutus
Knie. Genoul. Genu.
Knip. Chiquenaude. Talitrum.

Knol. Naveau. Napus.
Knoop. Neud. Nodus.
Knop. Boutou. Bulla.
Koe. Vache. Vacca.
Koeek. Gaſteau. Libum.
Koel. Tiede. Tepidus.
Koen. Hardi. Audax.
Koets. Couche. Cubile.
Kool. Charbon. Carbo.
Kool. Chou. Braſſica.
Koop. Achapt. Emptio.
Korck. Liege. Suber.
Koudt. Froid. Frigus.
Kout. Devis. Fabula.
Kracht. Force. Virtus.
Kraeck. Son eſclatant. Crepitus.
Kraegh. Gavion. Iugulus.
Kramp. Crampe. Spaſmus.
Kram. Crampon. Fibula.
Kranck. Debile. Debilis.
Krans. Chapeau de fleurs. Sertum.
Kreeſt. Eſcreviſſe. Cancer.
Krib. Creche. Præſépium.
Krieck. Ceriſe. Ceraſum.
Krijch. Guerre. Bellum.
Krijt. Croie. Creta.
Krijt. Bayemeur. Eiulatio.
Kroes. Goblet. Scyphus.
Krom. Tortu. Tortus.
Krop. Cropion. Iugulum.
Kruyck. Cruche. Vrna.
Kruym. Mie. Mica.
Kruyt. Herbe. Harba.
Kud. Troupeau de beſtes. Grex.
Kund. Notoire. Notus.
Kunſt. Art. Ars.
Kus. Vn baiſer. Baſium.
Kuyl. Spelonque. Spelunca.
Kuyſch. Chaſte. Caſtus.
Kuyt. Le mol derriere la jambe. Sura.
Kuyt. Petite biere.
LAch. Ris. Riſus.
Laey. Layette. Capſa.
Laet. Tard. Sero.
Laf. Fade. Flaccidus.
Laegh. Rang. Series.
Lam. Affoible. Paralyticus.
Lam. Agneau. Agnus.
Lamp. Lampe. Lampas.
Lanc. Flane. Femen.
Lanc. Long. Longus.
Landt. Terre. Terra.
Lap. Piece de drap. Segmentum.
Laſt. Charge. Moles.
Lat. Late. Aſſula.
Laen. Tiede. Tepidus.
Lec als Lec ſchip.
Leer. Cuir. Corium.
Leech. Oiſif. Otioſus.
Let. Membre. Membrum.
Leech. Bas. Humilis.
Leec. Lay. Laicus.
Leer. Eſchelle. Scala.
Leedt. Deſplaiſir. Luctus.
Leem. Argille. Argilla.
Leen Fief. Prædium beneficiarium.
Leep. Caſſieux. Lippus.
Leep. Cauteleux. Aſtutus.
Leer. Doctrine. Doctrina.
Leeſt. Forme de eordoüaniet. Forma.
Leeu. Lion. Leo.
Lil. Le mollet du bout de l'aureille. Cartilago.
Leen. Appuy. Podium.
Leſt. Derniere Vltimus.
Lets. Laiſſe. Lorum.
Leur. Ravauderie. Res nullius valoris.
Ley. Ardoiſe. Ardoſia.
Licht. Lumiere. Lux.
Licht. Legier. Levis.
Licht. Poulmon. Pulmo.
Liet. Chanſon. Cantio.
Lief. Cher. Charus.
Lief. Ami. Amicus.
Lier. Liere. Lyra.
Lijc. Funerailles. Exequiæ.
Lijf. Corps. Corpus.
Lijm. Colle. Colla.
Lijn. Lin. Linum.
Lijſt. Bordure. Limbus.
Lind. Tillet. Tilia.
Lint. Ruben. Vitta.
Lip. Levre. Labium.
Lis. Ranſe. Carex.
Liſt Fineſſe. Aſtutia.
Loen. Lourdaut. Idiota.
Lof. Los. Laus.
Lont. Meiche.
Looc. Des aulx. Allium.
Loof. Fœuille. Frons.
Loogh. Lexive. Lixivium.
Loon. Salaire. Salarium.
Loop. Cours. Curſus.
Loos. Subtil. Subtilis.
Loes. Poulmon. Pulmo.
Loot. Plomb. Plumbum.
Loof. Armier d'une maiſon. Vmbraculum.
Loos. Mot de guet. Teſſera.
Los. Diſſie. Laxus.
Loſch. Louſche. Strabo.
Lot. Sort. Sors.
Lucht. Air. Aër.
Lul. Reſonance d'une chanſon.
Luſt. Volupté. Voluptas.
Luy. Pareſſeux Ignavus.
Luys. Pouls. Pediculus.
Luyt. Luc. Teſtodo.
MAcht Puiſſance. Poteſtas.
Maech. Affin. Affinis.
Maecht. Vierge. Virgo.
Mael. Malle. Mantica.
Mael. Fois.
Maen. Lune. Luna.
Maent. Mois. Menſis.
Maer. Mais. Sed.
Maer. Bruict. Rumor.
Maet. Meſure. Menſura.
Maet. Compaignon. Socius.
Maegh. Eſtomach. Stomachus.
Mal. Fol. Stultus.
Mals. Tendre. Tenèr.
Mam. Mammelle. Mamma.
Man. Homme. Vir.
Manck. Boiſteux. Claudus.
Maſt. Maſt. Malus.
Mat. Las. Defeſſus.
Me. Avec. Cum.
Mee. Garance. Rubia.
Meel. Farine. Farina.
Meeps. Fragile. Fragilis.
Meer. Mer. Mare.
Meers. Hune. Carcheſium.
Meer. Plus. Plus.
Meerſch. Marez. Palus.
Mees. Mauſangle. Parix.
Meeſt. Tout le plus. Plurimus.
Meeu. Oiſeau marin. Aquila maria
Melck. Laict. Lac.
Mem. Nourrice. Nutrix.
Men. On.
Menſch. Homme. Homo.
Merch. Mouelle. Medulla.
Merck. Marque. Signum.
Mere. Marché. Forum.
Mes. Couſteau. Culter.
Met. Avec. Cum.
Mey. May. Frons feſta.
Mier. Fourmi. Formica.
Mijl. Lieue. Milliare.
Mijn. Mon. Meus.
Mijne. Mine. Fodina.
Mijt. Mite. Mita.
Milt. Liberal. Liberalis.
Min. Moins. Minus.
Mis. Faute. Defectus.
Meſt. Fiente. Fimus.
Miſt. Bruyne. Bruma.
Moe. Las. Laſſus.
Moer. Mere. Mater.
Moes. Porée. Holus.
Moet. Courage. Animus.
Moy. Tante. Matertera.
Mol. Taulpe. Talpa.
Mondt. Bouche. Os.
Moort. Meurtre. Internecio.
Mos. Mouſſe. Muſcus.
Moſt. Mouſt. Muſtum.
Mot. Teigne. Tinea.
Mout. Grain appareillé pour braſſer de la biere. Polenta.
Mau. Manche. Manica.
Moy. Orné. Ornatus.
Muer. Mur. Murus.
Muf. Relant. Situs.
Mug. Moucheron. Culex.
Munt. Monnoye. Moneta.
Muts. Boner. Pileus.
Muil. Mulet. Mulus.
Muyl. Mnſeao. Roſtrum.
Muys. Sourris. Sorex.
Muyt. Mue. Cavea.
NA. Apres. Poſt.
Nacht. Nuict. Nox.
Naeckt. Nud. Nudus.
Naem. Nom. Nomen.
Naen. Nain. Nanus.
Naeſt. Tout le plus prochain. Proximus.
Naet. Couſture. Sutura.
Nap. Plat creux. Catinus.
Neus. Nez. Naſus.
Nat. Mouille. Madidus.
Nàu. Eſtroict. Strictus.
Neck. Chainon. Cervix.
Neer. Bas. Inferus.
Neef. Nepveu. Nepos.
Neen. Non. Non.
Neep. Pinſure. Compreſsio.

Neſt

Neſt. Nid. Nidus.
Net. Net. Nitidus.
Net. Rets. Rete.
Neet. Lende. Lens.
Nicht. Niepce. Neptis.
Nier. Rein. Ren.
Niet. Rien. Nihil.
Nieu. Nouveau. Novus.
Nijde. Envie. Invidia.
Noch. Encore. Adhuc.
Noen. Midi. Meridies.
Noo. A regret. Invitus.
Noort. Nurth. Septentrioo.
Noot. Neceſſité. Neceſſitas.
Nop. Floc. Floccus.
Neut. Noix. Nux.
Noit. Iamais. Nunquam.
Nu. Maintenant. Nunc.
Nut. Vtile. Vtilis.
OCh. Ah. Hei.
Oft. Ou. Vel.
Olm. Olme. Vlmus.
Om. Puur. Ob.
Ons. Noſtre. Noſter.
Oock. Auſſi. Etiam.
Oog. Oeil. Oculus.
Oogſt. Muiſſon. Meſsis.
Oom. Oncle. Patruus.
Oor. Aureille. Auris.
Oort. Lieu. Locus.
Ooſt. Orient. Oriens.
Op. Deſſus. Super.
Os. Beuf. Bos.
Oudt. Vieil. Verus.
Oyt. Onques. Vnquam.
PAcht. Ferme. Vectigal.
Pack. Fardeau. Sarcina.
Pael. Pau. Palus.
Paer. Paire. Par.
Paert. Part. Pars.
Palm. Paulme. Palma.
Pand. Hypoteque. Pignus.
Pandt. Pand. Lacinia.
Pao. Paelle. Sartago.
Pap. Papin. Pappa.
Pas. En poinct. Commodum.
Pat. Sentier. Semita.
Paeu. Paon. Pavo.
Paeis. Paix. Pax.
Peck. Poix. Pix.
Peert. Cheval. Equus.
Peerſch. Pers. Cœruleus.
Pels. Peau. Pellis.
Pen. Plume. Calamus.
Pens. Trippe. Inteſtina.
Perck. Parc. Septum.
Peer. Poire. Pirum.
Pers. Preſſe. Torcular.
Peez. Corde d'arc. Chorda arcus.
Pijp. Tuyau. Tubus.
Pier. Vers de terre. Lumbricus.
Pijck. Pique. Haſta.
Pie. Manteau à marinier. Nautica penula.
Pijl. Fleſche. Sagitta.
Pijn. Doleur. Dolor.
Pin. Baſton poinctu. Veruculum.
Pips. Pepie. Pituita.
Plack. Ferule. Ferula.
Plact. Planche. Syrtes.

Placts. Place. Locus.
Plaegh. Vexation. Vexatio.
Planck. Planche. Planca.
Plas. Marée. Lacuna.
Plat. Plat. Planus.
Pleck. Taſche. Macula.
Pleit. Bateau large & plat. Silata.
Plicht. Office. Officium.
Ploech. Charrue. Aratrum.
Plom. Rebouché. Hebes.
Ploy. Plits. Plica.
Pluym. Plume. Pluma.
Pock. Verulle. Lues venerea.
Poer. Pouldre. Pulvis.
Poel. Lac. Lacuna.
Pol. Concubinaire. Concubinus.
Pols. Puuls. Pulſus.
Pump. Offée. Sentina.
Pundt. Livre. Pondo.
Puort. Purte. Porta.
Poos. Petit eſpace de temps. Momentum.
Poot. Patte. Palma pedis.
Pop. Pouppée. Pupa.
Puſt. Poſteau. Poſtis.
Poſt. La poſte. Curſor.
Poot. Sion. Talea.
Pot. Pot. Olla.
Pracht. Magnificence. Magnificéria
Prat. Fier. Arrogans.
Prick. Lampreie. Muſtula.
Priem. Puinſon. Pugiunculus.
Prijs. Pris. Laus.
Proef. Preuve. Proba.
Pruym. Prune. Prunum.
Pruts. Superbe. Superbus.
Prye. Charogne. Cadaver.
Punt. Poinct. Punctum.
Put. Puis. Puteus.
Puyſt. Empoule. Puſtula.
QVaet. Mauvais. Malus.
Quael. Langueur. Languor.
Quant. Gallant. Scitus homo.
Quijt. Quitte.
RAdt. Roue. Rota.
Raadt. Conſeil. Conſilium.
Raem. Chaſſis. Fulcrum feneſtræ quadratum.
Raep. Naveau. Rapum.
Ram. Belier. Aries.
Ramp. Malheur. Infelicitas.
Ranck. Branche. Ramus.
Ranck. Fineſſe. Aſtutia.
Ranck. Greſle. Gracilis.
Randt. Bord. Ora.
Raſch. Soudain. Cito.
Raſp. Rape. Scalprum.
Rat. Rat. Glis.
Raef. Corbeau. Corvus.
Raeu. Cru. Crudus.
Recht. Droit. Rectus.
Ree. Biche. Cerva.
Reep. Cercle. Circulus.
Reſt. Reſte. Reſiduum.
Reuck. Odeur. Odor.
Reu. Chien maſle. Canis mas.
Reus. Geant. Gigas.
Rey. Danſe. Chorea.
Reyn. Pur. Purus.
Reys. Fuis.

Reys. Voyage. Profectio.
Reb. Coſte. Coſta.
Riet. Canna. Arundo.
Riem. Ceinture. Cingulum.
Riem. Rame. Remus.
Rijck. Riche. Dives.
Rijm. Gelée. Pruina.
Rijm. Rhitme. Rhitmus.
Rijp. Meur. Maturus.
Rijs. Riz. Oriza.
Rijs. Branche. Ramus.
Rinck. Anneau. Annulus.
Rindt. Beuf. Bos.
Ring. Viſte. Velox.
Rin. Cage. Cavea.
Rinſch. Aucunemẽt ſur. Subacidus.
Roch. Raye. Raia.
Rock. Saie. Toga.
Rock. Quenouille. Colus.
Roe. Verge. Virga.
Roet. Suie de cheminée. Fuligo.
Roef. Puupe. Puppis.
Roem. Vanterie. Iactantia.
Roep. Cri. Clamor.
Roer. Gouvernal. Gubernaculum
Roeſt. Enruuillure. Rubigo.
Roogh. Oeuf de poiſſõ. Ova piſciũ.
Rog. Seigle. Siligo.
Rol. Roulle. Phalanga.
Rundt. Rond. Rotundus.
Roock. Fumée. Fumus.
Root. Rouge. Ruber.
Roof. Butin. Præda.
Room. Creime. Cremor.
Roos. Roſe. Roſa.
Ros. Roux. Rufus.
Rus. Cheval. Equus.
Rot. Pourri. Putris.
Rot. Bende de gens. Claſsis.
Ruu. Rude. Rudis.
Ruet. Suif. Sevum.
Rug. Dos. Dorſum.
Rups. Chenille. Bruchus.
Ruſt. Repos. Quies.
Ruim. Ample. Amplus.
Ruyn. Hongre. Cantherios.
Ruyt. Rue. Ruta.
Ruyt. Lozenge. Teſſera.
Rie. Rang. Series.
SAcht. Mol. Mollis.
Sack. Sac. Saccus.
Sael. Selle. Ephippium.
Sael. Salle. Atrium.
Saen. Tuſt. Statim.
Saen. Cremme. Cremor.
Saet. Semence. Semen.
Saey. Saiette.
Saeg. Sie. Serra.
Saeck. Cauſe. Cauſa.
Salf. Onguent. Vnguentum.
Salm. Saulmon. Salmo.
Sandt. Arene. Arena.
Sap. Suc. Succus.
Sarck. Tumbe. Cippus.
Sadt. Saul. Satur.
Saus. Saulſe. Condimentum.
Saut. Sel. Sal.
Schacht. Fleſche. Sagitta.
Scha. Dommage. Damnum.
Schaeu. Ombre. Vmbra.

Schaeck. Eſchetz. Alveus.
Schael. Taſſe. Patera.
Schaep. Brebis. Ovis.
Schaerd, Teſt. Ruma.
Scbaers. A peine. Vix.
Schaets. Eſchaſſe. Gralla.
Schalek. Caut. Cautus.
Schamp. Brocard. Scomma.
Sehand. Deshonueur. Ignominia.
Schants. Rempart. Vallum.
Schaer. Graude multitude de gens. Caterva.
Schat. Threſor Theſaurus.
Schaef. Rabot. Dolabra.
Schee. Gaine. Vagina.
Scheef. Bihay. Obliquus.
Scheel. Louche. Luſcus.
Scheel. Greve de la teſte. Separatio comæ.
Scheel. Couvercle. Operculum.
Scheer. Force. Forfex.
Schel. Sonnette. Tintinnabulum.
Schel. Eſcorce. Cortex.
Schelm. Meſchant. Nequam.
Schelp. Coquille. Concha.
Schenck. Don. Donum.
Scheen. Creuë de la jambe. Tibia.
Scherf. Teſte. Teſta.
Scherp. Agu. Acutus.
Scheur. Fente. Fiſſura.
Scheut. Seion. Surculus.
Schicht. Dard. Iaculum.
Schier. Tantoſt. Mox.
Schijn. Lueur. Splendor.
Schijf. Tableau. Menſa.
Schil. Difference. Differentia.
Schilt, Eſcu. Scutum.
Scimp. Broeard. Iocus.
Schip. Navire. Navis.
Schoe. Soulier. Calceus.
School. Eſcole. Schola.
Schol. Sole. Solea.
Schoof. Gerbe. Faſcis ſpicarum.
Schoon. Beau. Pulcher.
Schoot. Giron. Gremium.
Schors. Eſcorce. Cortex.
Schout. Preteur. Prætor.
Schrab. Eſgratrigneure. Laceratio unguium.
Schraegh. Treſteau. Fulcrũ menſa-
Schram. Beſlaffr. Vibex. (rium.
Schre. Adjambée. Paſſus.
Schreeu. Cri. Clamor.
Schreef. Traict. Tractus lineæ.
Sehrift. Eſcriture. Scriptura.
Scroef. Eſcrouve. Cochlea.
Schub. Eſcaille de poiſſon. Squam-
Schud. Vautneant. Scurra. (ma.
Schult. Debte. Debitum.
Schup. Pelle. Pala.
Sohuer. Grange. Granarium.
Schurft. Rougneux. Scabioſus.
Schu, Sauvage. Agreſtis.
Schuym. Eſcume. Spuma.
Schuyt. Naſſelle. Navicula.
Se. Couſtume. Mos.
See. Mer. Mare.
Seel. Groſſe corde. Funis.
Seem. Sameau. Corium hædinum.
Seep. Savon. Sapo.
Seer. Vlcere. Vlcus.
Seer. Fort. Valde.
Self. Meſme. Ipſum.
Ses. Six. Sex.
Seyl. Voile. Velum.
Seys. Faux. Falx.
Sich. Soy. Se.
Sieck. Malade. Ægrotus.
Siel. Ame. Anima.
Sift. Crible. Cribrum.
Sijn. Son. Suus.
Sim. Singe. Simia.
Sin. Sens. Senſus.
Sint. Depuis. Poſtilla.
Slab. Bavette. Faſcia pituitaria.
Slach. Coup. Ictus.
Slaep. Tempes de la teſte. Tempora.
Slaep. Somne. Somnus.
Slang. Couleuvre. Coluber.
Slap. Laſche. Laxus.
Slaef. Eſclave. Servus emptitius.
Slecht. Simple. Simplex.
Sleck. Limaçon. Limax.
Sle Traineau. Traha.
Slee. Prune. Acatium.
Slet. Torchon. Peniculamentum.
Sleyp. Loogue queuë de veſtement. Syrma.
Slijck. Boue. Lutum.
Slijm. Limou. Limus.
Slim. Abibay. Obliquus.
Slincx. Gauche. Siniſter.
Slip. Pand. Peniculamentum.
Slot. Serrure. Sera.
Sluys. Eſcluſe. Cataracta.
Smaet. Calumnie. Calumnia.
Smaeck. Gouſt. Guſtus.
Smal. Eſtroit. Arctus.
Smeer. Graiſſe. Abdomen.
Smert. Doleur. Dolor.
Smet. Macule. Macula.
Smis. Forge. Fabrica ferraria.
Smit. Mareſchal. Fabes ferrarius.
Smout. Greſſe. Pinguedo.
Snap. Babil. Garrulitas.
Snaer. Corde de luc. Fides.
Snau. Mot dit avec deſpit. Iracunda locutio.
Sne. Coupure. Sciſſura.
Snee. Neige. Nix.
Snel. Viſte. Celer.
Snip. Beccaſſe. Gallinago.
Snick. Souſpir. Suſpitium.
Snoeck. Brocher. Lupus.
Snoer. Cordon. Chorda.
Snuf. Rume. Rheuma.
Snoo. Meſchaut. Vilis.
Snot. Morve. Pituita.
Soo. Ainſi. Sic.
Soch, Laict. Succus.
Sock, Chauſſon. Soccus.
Soch, Truye. Porca.
Soet. Doulx. Dulcis.
Sool. Semelle. Solea.
Soon. Fils. Filius.
Son. Soleil. Sol.
Soom. Bord. Limbus.
Sop. Feſte. Faſtigium.
Sop. Ius. Ius.
Sorg. Soing. Cura.
Sot. Fol. Stultus.
Spa. Houe. Ligo.
Spaey. Tard. Tardus.
Spaen. Eſclat. Aſſula.
Span. Extenſion de la paulme. Spithama.
Specht. Piemar. Picus.
Speck. Lard. Lardum.
Spel. Ieu. Luſus.
Speer. Lance. Lancea.
Speur. Trace du pas qui demeure apres avoir marché. Veſtigium.
Spie. Cheville. Impages.
Spie. Eſpieur. Inſidiator.
Spier. La chair blanche qui eſt à la poictrine d'un oiſeau. Pulpa.
Spies. Pique. Haſta.
Spil. Fuſeau. Fuſus.
Spind. Huche. Penarium.
Spin. Araigne. Aranea.
Spint. Picotin. Corbula.
Spit. Broche. Veru.
Spits. Haultain.
Spoet. Haſte. Properatio.
Spoel. Navette. Glomus textorius.
Spond. Chaſſit. Sponda.
Spoor. Eſperon. Calcar.
Sport. Eſchellon. Climacter.
Spot. Mocquerie. Irriſio.
Spraeck. Langage. Lingua.
Spreuck. Dicton. Sententia.
Spreeu. Eſtourneau. Sturnus.
Spriet. Iavelot. Venabulum.
Sproet. Lentille. Lentigo.
Spronek. Sault. Saltus.
Sprot. Harangade. Membras.
Sprau. Pepie des poules. Pituita in gallinis.
Spruyt. Ietton d'arbre. Germen.
Speu. Excluſe. Cataracta.
Speut. Eſcliſſoire. Syrinx.
Spijs. Viande. Cibus.
Spijt. Deſpit. Contumelia.
Stadt. Ville. Vrbs.
Staeck. Pali. Palus.
Stael. Acier. Chalybs.
Staet. Eſtat. Status.
Staey. Loiſir. Otium.
Staf. Baton. Baculus.
Stal. Eſtable. Stabulum.
Stam. Lignage. Genus.
Stanck. Puanteur. Fœtor.
Standt. Cuve. Cupa.
Stang. Perche. Pertica.
Stand. Eſtat. Status.
Stap. Pas. Paſſus.
Steck. Baſton. Baculus.
Steeds. Aſſiduel. Aſſiduè.
Steech. Obſtiné. Obſtinatus.
Steeck. Coup. Ictus.
Steel. Tige. Caulis.
Steen. Pierre. Lapis.
Steert. Queuë. Cauda.
Stel. (als ſtel bier) Eſtale. Vetus.
Stelt. Eſchaſſe. Gralla.
Stem. Voix. Vox.
Sterck. Fort. Fortis.
Steur. Eſtougeon. Turſio.
Steyl. Contremont. Surſum.
Stier. Taureau. Taurus.

Stijf,

Stijf. Roide. Rigidus.
Stijl. Posteau. Postis.
Stil. Quoy. Quietus.
Stock. Baston. Baculus.
Stoel. Selle. Sedes.
Stof. Poudre. Pulvis.
Stom. Muet. Mutus.
Stomp. Rebouché. Obtusus.
Stoop. Lot. Gelta.
Stoot. Poulsement. Concussus.
Storm. Tempeste. Tempestas.
Stoof. Estuve. Hypocaustum.
Stont. Hardi. Audax.
Stracx. Incontinent. Quamprimum.
Strael. Ray. Radius.
Straet. Rue. Platea.
Straf. Rigouteux. Durus.
Strang. Rivage de la mer. Littus.
Streeck. Traict. Tractus.
Streng. Aspre. Severus.
Streep. Traict. Stria.
Strick. Lacqs. Laqueus.
String. Ridelle. Restis.
Stronck. Tronchet. Truncus.
Stroo. Estrain. Stramen.
Stroom. Cours de l'eau. Fluxus aquæ.
Strop. Har. Vinculum.
Struyck. Planson. Frutex.
Struys. Austruche. Struthiocamélus
Struyf. Crepet. Laganum.
Strijt. Bataille. Prœlium.
Stuck. Piece. Frustum.
Stuer. Severe. Severus.
Suer. Aigre. Acer.
Sulck. Tel. Talis.
Sus. Ainsi. Sic.
Sus. Tout quoy. Silentium.
Suydt. Midi. Meridies.
Suyl. Pilier. Columna.
Swack. Debile. Debilis.
Swaer. Pesant. Gravis.
Swart. Noir. Niger.
Sweem. Becasson. Rusticula minor
Sweep. Fouet. Flagrum.
Sweert Espee. Ensis.
Sweer. Vlcere. Vlcus.
Sweet. Sueur. Sudor.
Swerm. Iecton de mouches. Examen apum.
Swijn. Porceau. Porcus.
Sy. Elle. Illa.

TAck. Rameau. Ramus.
Taeck. Certain œuvre par jour. Pensum.
Tael. Langue. Lingua.
Taert. Tarte. Scriblita.
Taey. Coriace. Lentus.
Tal. Nombre. Numerus.
Tam. Dompte. Mansuetus.
Tang. Tenaille. Forceps.
Tant. Dent. Dens.
Tap. Broche d'un tonneau. Embolum vasis.
Tas (als hoytas) Fenil. Fenile.
Teen. Osier. vimeu.
Teen. Orteil. Digitus pedis.
Teer. Tendre. Tener.
Tel. Haquenee. Gradarius equus.
Tempst. Tamis. Cribrum.
Teuch. Traict. Haustus.
Teyl. Vn plat creux de terre. Gabata figlina.
Thien. Dix. Decem.
Tob. Cuve. Cupa.
Toch. Cettes. Vetè.
Tocht (als tocht des heyrs) Le marcher de l'armée. Agmen.
Toe (als tot daer toe) A. Ad.
Tol. Gabelle. Vectigal.
Tong. Langue. Lingua
Ton. Tonneau. Dolium.
Toom. Reine d'une bride. Habéna
Toon. Monstre. Demonstratio.
Toon. Son. Tonus.
Top. Toupie Trochus.
Toorn. Ire. Ira.
Torsch. Grappe. Racémus.
Torts. Torche. Fax.
Tot. Iusques. Vsque.
Tau. Corde. Funis.
Traech. Lente. Lentus.
Traen. Larme. Lachrima.
Trap. Degre. Gradus.
Treck. Traict. Tractus.
Treeft. Tre-pied. Tripes.
Troch. Auge. Linter.
Tromp. Trompe.
Tronck. Tronck. Truncus.
Troost. Soulas. Solatium.
Tros. Bagage qu'on porte à la guerre. Impedimenta exercitus.
Trau. Fidele. Fidelis.
Trijp. Tripe.
Tucht. Modesteté. Modestia.
Turf. Tourbe. Cespes.
Tuych. Hardes. Arma.
Tuygh. Tesmoing. Testis.
Tuyn. Iardin. Hortus.
Twaelf. Douze. Duodecim.
Twee. Deux. Duo.
Twist. Discord. Discordia.
Twijn. Fil tors. Filum retortum.
Tijck. Coutil. Culcitra.
Tijt. Temps. Tempus.

VAem. Toise. Orgya.
Vaer. Pere. Pater.
Vaeck. Sommeil. Sopor.
Vael. Basset. Helvus.
Vaen. Baniere. Vexillum.
Vaer. Peril. Periculum.
Vaert. Fosse navigable. Fossa.
Vaert. Allure. Profectio.
Valck. Faucon. Falco.
Val. Cheute. Casus.
Val. Trebucher. Decipulum.
Valsch. Faulx. Falsus.
Van. De. A.
Vast. Ferme. Firmus.
Vat. Vaisseau. Vas.
Vee. Bestial. Pecus.
Veel. Beaucoup. Multus.
Veer. Passage Trajectus.
Veers. Vers. Versus.
Velds. Champ. Campus.
Vel. Peau. Pellis.
Veint. Garson. Infans.
Versch. Frez. Recens.
Vest. Muraille d'vne ville. Mœnia
Vet. Graisse. Pinguedo.
Veul. Poulain. Pullus equinus.
Veych. Qui est prochain de sa mort
Veyl. Exposé en vente. Venalis.
Vier. Quatre. Quatuor.
Vyer. Feu. Ignis.
Vies. Fascheux. Morosus.
Vijf. Cincq. Quinque.
Vijg. Figue. Ficus.
Vijl. Lime. Lima.
Vijs. Vis. Cochlea.
Vilt. Feultre. Cento.
Vinck. Becfigne. Frigilla.
Vin. Lopin de chair. Offa.
Vin. Aisle de poisson. Pinna.
Visch. Poisson. Piscis.
Vlack. Plain. Planus.
Vlaey. Flan. Scriblita.
Vlaegh. Ondée de pluye. Nimbus.
Vlam. Flambe. Flamma.
Vlas Lin. Linum.
Vleck. Village. Pagus.
Vleesch. Chair. Caro.
Vlieg. Mouche. Musca.
Vliem. Lancette à chirurgien. Scalprum.
Vlier. Sureau. Sambucus.
Vlies. Toison. Vellus.
Vliet. Rive. Ripa.
Vlijt. Dilgence. Diligentia.
Vlock. Floc. Floccus.
Vloeck. Maudisson. Imprecatio.
Vloet. Flot. Fluctus.
Vloer. Aire. Area.
Vloi. Puce. Pulex.
Vlucht. Fuite. Fuga.
Vocht. Humide. Humidus.
Voet. Pied. Pes.
Voor. Devant. Ante.
Volck. Peuple. Populus.
Vol. Plain. Plenus.
Vonck. Estincelle. Scintilla.
Vondt. Invention. Inventio.
Voocht. Tuteur. Tutor.
Voort. Avant. Vltra.
Voos. Corrompu. Insipidus.
Vorck. Fourche. Furca.
Vorsch. Grenouille. Rana.
Vorst. Gelée. Gelu.
Vort. Pourri. Putridus.
Vos. Regnard. Vulpes.
Vau. Pli. Plicatura.
Vracht. Voicture. Vectura.
Vraegh. Demande. Interrogatio.
Vranck. Franck. Liber.
Vreck. Chiche. Parcus.
Vre. Paix. Pax.
Vrees. Crainte. Timor.
Vreemt. Estrange. Extraneus.
Vreucht. Ioye. Gaudium.
Vriendt. Ami. Amicus.
Vroech. Tempre. Mane.
Vroet. Sage. Prudens.
Vroet. Eschars. Parcus.

Vro.

Vro. Ioyeux. Hilaris.
Vroom. Preux. Probus.
Vrau. Femme. Femina.
Vrucht. Fruict. Fructus.
Vry. Libre. Liber.
Vyt. Heure. Hora.
Vyt. Hors. Ex.
Vyl. Chathuant. Bubo.
V. Vous. Tibi.
Vurst. Prince. Princeps.
Vuyl. Ord. Sordidus.
Vuyst. Poing. Pugnus.
WAcht. Garde. Custodia.
Waeck. Veille. Vigilia.
Waen. Presomption. Opinio.
Waer. Ou. Vbi.
Waes. Marchandise. Merx.
Waer. Vray. Verus.
Waegh. Balance. Libra.
Wal. Remparts. Vallum.
Wandt. Paroy. Paries.
Wang. Ioue. Mala.
Wan. Van. Vannos.
Want. Car. Nam.
Want. Gand. Manica.
Was. Cire. Cera.
Wat. Quoi. Quid.
Web. Fil pour tistre. Textúra.
Wech. Chemin. Iter.
Weer. Belier. Aries.
Weer. Temps. Tempus.
Weer. Derechef. Iterum.
Wee. Malheur. Væ.
Weech. Paroy. Paries.
Weyck. Mol. Mollis.
Weet. Guesde. Glastum.
Weeld. Delice. Delitiæ.
Weer. Toutes armes de defense. Arma.
Weert. Hoste. Hospes.
Wees. Orphelin. Pupillus.
Weeck. Sepmaine. Septimana.
Welck. Quel. Quis.
Wel. Bien. Bene.
Wensch. Souhait. Optio.
Werck. Estoupe. Stupa.
Werck. Oeuvre. Opus.
Werf. Cay. Acta.
Werm. Chaud. Calidus.
Werp. Iect. Iactus.
Wesp. Guesp. Vespa.
West. Occident. Occidens.
Wet. Loy. Lex.
Wey. Mesgue. Serum.
Wicht. Enfant. Puer.
Wicht. Pois. Pondus.
Wie. Qui. Quis.
Wieck. Tente. Pannus.
Wiegh. Berceau. Cunæ.
Wiel. Voile de Nonnain. Velum.
Wiel. Roue. Rota.
Wilt. Sauvage. Silvester.
Wil. Volonté. Voluntas.
Winck. Cil d'œil. Nictus oculi.
Wint. Vent. Ventus.
Winst. Gain. Quæstus.
Wip. Bascule. Tolléno.
Wisch. Torchon. Penicillus.
Wis. Viorne d'oisier. Vimen.
Wis. Certain. Certe.
Wit. Blanck. Albus.
Woest. Desert. Desertus.
Wolck. Nuée. Nubes.
Wolf. Loup. Lupus.
Wol. Laine. Lana.
Wond. Plaie. Plaga.
Woort. Mot. Verbum.
Worst. Saucisse. Botulus intestinarius.
Wour. Forest. Silva.
Wraeck. Vengeance. Vindicta.
Wrat. Verruë. Verrúca.
Wreet. Cruel. Crudelis.
Wronck. Torment. Torsio.
Welp. Ieusne Chien. Catulus.
Wulps. Folastre. Lascivus.
Wurm. Ver. Vermis.
Wy. Nous. Nos.
Wijdt. Large. Amplus.
Wijf. Femme. Mulier.
Wiil. Temps vacant. Spatium.
Wijn. Vin. Vinum.
Wijs. Sage. Sapiens.
Zier. Ciron. Chiron.

158 RELIQVÆ MONOSYLLABA NOMINA, COGNOMINA, &c.

AB. Abs. De. Van.
Ac. Et. Ende.
Ad. A. Tot.
Æs. Cuire. Coper.
Ah. Ach. Ach.
An. Adverbium interrogantis.
Ars. Art. Const.
Arx. Chasteau. Borch.
As. Livre. Pont.
Ast. Mais. Maer.
At. Mais. Maer.
Au. Interjectio consternati animi.
Aur. Ou. Oft.
BIs. Deux fois. Tweemael.
Bos. Bœuf. Os.
CAlx. Chaulx. Kalck.
Cis. deça. Op dees sijde.
Clam. Encachette. Heymelick.
Cor. Cœur. Hert.
Cos. Queue. VVetsteen.
Cras. Demain. Morghen.
Crus. Iambe. Been.
Crux. Croix. Cruyt.
Cum. Avec. Met.
Cur. Pourquoy. VVaerom.
De. De. Van.
Dos. Dost. Houwelicke gift.
Dux. Duc. Leydtsman.
E. De. vyt.
En. Voici. Sies hier.
Et. Es Ende.
Ex. De. Vyt.
FÆx. Lie. Ghist.
Falx. Faulx. Sickel.
Fas. Licite. Toeghelaten.
Fax. Fallot. Torts.
Fel. Fiel. Gal.
Flos. Fleur. Bloem.
Fons. Fontaine. Born.
Frous. Fueille. Blat.
Frons. Front. Stirn.
Fur. Larron. Dief.
GIt. Genus feminus.
Glans. Gland. Eeckel.
Glos. Sœur de mon mari. Mans suster.
Grex. Troupeau de bestes. Kud.
Grus. Grue. Craen.
HA. A. A.
Hac. Par ci. Lanck hier.
Heu. Helas. Eylas.
Heus. He. Hau.
Hic Hæc Hoc Hunc Hanc. Hi Hæ Hos Has His.
Hinc. D'ici. Hier af.
Huc. Ici. Herwaert.
Hyems. Hyver. VVinter.
IAm. Ia. Nu.
Id. Cela. Dat.
In. En. In.
Is. Ea. Id.
Ius. Ius. Sop.
Ius. Droict. Recht.
Lac. Laict. Melck.
Lanx. Bassin. Schael.
Lar. Fouyer. Heerdt.
Laus. Los. Lof.
Lex. Loy. VVet.
Lis. Noise. Twist.
Lux. Lumiere. Licht.
ME.
Mel. Miel. Honich.
Mens. Sens. Sin.
Merx. Marchandise. VVaer.
Mons. Montaigne. Berch.
Mors. Mort. Doot.
Mox. Tantost. Terstont.
Mus. Souris. Muys.
NÆ. Certainement. VVaerlick
Nam. Car. VVant.
Ne. Non. Niet.
Nil. Rien. Niet.
Nix. Neige. Sneeu.
Non. Non. Neen.
Nos. Nous. VVy.
Nox. Nuict. Nacht.
Num. Adverb.
Nunc. Maintenant. Nu.
Nux. Noix. Neut.
O. O. O.
Ob. Pour. Om.
Oh. Interject.
Os. Bouche. Mont.
Os. Os. Been.
Par. Paire. Paer.
Pax. Paix. Paeys.

Pons.

Per. Par. Door.
Pes. Pied. Voet.
Phy. Interject.
Pix. Poix. Pec.
Plebs. Peuple. Ghemeynte.
Plus. Plus. Meer.
Pons. Pons. Brug.
Post. Depuis. Nae.
Præ. Devant. Voor.
Pro. Pour. Voor.
Proh. Interject.
Puls. Papin. Pap.
Pus. Bouë. Etter.
Qvis. Qui Quæ Quod Quid.
Quin. Que ne. Dat niet.
Quot. Combien. Hoe veel.
Quum. Quand. Als.
Res. Chose. Dinck.
Ros. Rosée. Dau.
Rus. Leschamps. Velt.
Sal. Sel. Saut.
Sat. Assez. Ghenouch.

Scobs. Sciure. Saeghmeel.
Scrobs. Fosse. Gracht.
Se. Aceuf.
Sed. Mais. Maer.
Seps. Haye. Tuyn.
Seps. Serpens.
Seu. Ou. Oft.
Sex. Six. Ses.
Si. Si. Ist dat.
Sic. Ainsi. Soo.
Sin. Mais si. Maer ist dat.
Sol. Soleil. Son.
Sons. Coupable. Misdadich.
Sors. Fortune. Fortune.
Spes. Esperance. Hoop.
Splen. Rate. Milt.
Stips. Denier. Penninck.
Stirps. Racine. Struyck.
Sub. Soubs. Onder.
Sus. Porc. Soch.
Tam. Tant. Soo seer.
Tax. Son de fouët. Clets.

Ter. Troisfois. Driemael.
Thus. Encens. VVieroock.
Tot. Autant. Soo veel.
Trabs. Poultre. Balc.
Tres. Trois. Drie.
Trux. Cruel. VVreet.
Tu. Toy. Ghy.
Tunc. Adonc. Dan.

Væ. VVee.
Vas. Vaisseau. Vat.
Ve. Ou. Oft.
Vel. Ou. Oft.
Ver. Printemps. Lenten.
Vir. Homme. Man.
Vis. Force. Stercte.
Vix. A grand peine. Nauliex.
Vos. Vous. Ghylien.
Vox. Voix. Stem.
Vrbs. Ville. Stadt.
Vt. Afin. Op dat.

220 GRÆCA MONOSYLLABA NOMINA, COGNOMINA, &c.

Α῎ϛ, mensis September.
Αἴξ. Capra.
Ἅλς. Sal, mare.
Ἄλξ. Potentia.
Ἄν. Si.
Ἄς. ἕως. Vsquequò.
Αὖ. Autem.
Αἶψ. Adverbium & conjunct.
Βὲκ. Panis.
Βὴξ. Tussis.
Βλὰξ. Mollis.
Βλὴς. Musca.
Βλὶξ. Assiduè.
Βοῦς. Bos.
Βρὶξ. Lactuca.
Βὺξ. Profunditas.
Βὼξ. Genus piscis.
Βῶς. Tergus bubulum.
Γάρ. Nam.
Γῆ. Terra.
Γλὰξ. Herbæ genus.
Γλαὺς. Noctua.
Γνὺξ. Genu.
Γοῦν sive γῶν pro γ' οὖν. Igitur.
Γραῦς. Anus.
Γρὺξ. Sordes unguium.
Γύψ. Vultur.
Δαὶ, vel Δὲ Autem.
Δαῖς. Convivium.
Δᾷς. Fax.
Δεῖ. Oportet.
Δὶν. Corpus.
Δὴ. Sanè.
Δὴν. Diu.
Δὴξ. Vermis lignum corrodens.
Δὶς. Bis.
Δμῶς. Servus.
Δὸρξ. Caprea.
Δρὰξ. Manipulus.
Δρὶς. Virtus.
Δρῦς. Quercus.
Δῶ pro Δῶμα. Domus.
Δὼς. Dos.
Εἰ sive ἤν. Si.
Εἶλξ. Procella.
Εἷς. Vnus.
Ἐκ sive Ἐξ. Ex.
Ἐν sive Ἔνι, Εἰς, Ἐς. In.
Ἓξ. Sex.
Εὖ. Bene.
Ζὰψ. Mare.
Ζεὶρ. Genus vestis.
Ζεὺς sive Δεὺς, Ζὰν, Ζὴν. Iupiter.
Ζῶς. Vivus.
Ζῶν. Animal.
Θὶν. Cumulus.
Θὴς. Debitor.
Θὴρ. Fera.
Θὴς. Mercenarius.
Θὶν. Littus.
Θὶς. Nomen piscis.
Θρὰξ. Nomen avis.
Θρὶξ. Capillus.
Θρὶψ. Vermiculus.
Θρὶψ. Parcus.
Θὼθ. September apud Ægyptios.
Θῶς. Genus lupi.
Θὼψ. Adulator.
Ἶν sive Ἶς. Genus mensuræ.
Ἶξ. Vermis.
Ἶς. Nervus.
Ἶψ. Vermis.
Καὶ. Nam.
Κἂν, quamvis pro Καὶ ἐάν.
Κὰρ. Caput.
Κὴξ. Genus avis.
Κῆρ. Cor.
Κὶς. Vermis.
Κλᾶξ. Clavis.
Κλὼν. Ramus.
Κλὼψ. Fur.
Κνὶψ. Culex.
Κνὼψ. Cæcus.
Κοὶξ. Plantæ genus.
Κοῦ. Vbi.
Κρέας. Caro.
Κρᾶς. Caput.
Κρῖ pro Κριθὴ. Hordeum.
Κτεὶς. Pecten.
Κτὴς. Possessio.
Κτὶς. Viverra.
Λὰξ. Adverbium cum calcibus.
Λᾶς. Lapis.
Λὶς. Leo.
Λῖς. Pannus lineus.
Λὺγξ. Inanis singultus.
Λὺγξ. Feræ genus.
Λὺξ. Lux.
Λὼψ. Chlamys.
Μὰ. Adverbium jurandi.
Μὲν. Quidem.
Μὰξ. Frustrà.

Μεὶς pro Μὴν. Mensis.
Μὲν. Tamen, quidem.
Μὴ. Adverb. Ne.
Μὴν. Mensis, & adverbiũ tamen.
Μνᾶ. Mina.
Μνοῦς. Lana tenerrima cum qua nascuntur agni.
Μῦς. Mus.
Μῶν. An.
Μὼψ. Cui hebes acies oculorum.
Ναὶ. Certè.
Ναῦς. Navis.
Νοῦς. Mens.
Νῦν. Nunc.
Νὺξ. Nox.
Νῶψ. Lusciosus.
Ξὺν pro σὺν. Cum.
Ὁ. Hic.
Ὅ pro ὅπου. Vbi.
Ὃς. Qui.
Οὐκ. Non.
Οὖν. Ergo.
Οὖς. Auris.
Ὄψ. Vox.
Πᾶ. Qua, Quò, Vbi.
Παῖ. Idem.
Παῖς. Puer.
Πᾶς. Omnis.
Πάξ. Genus calceamenti.
Πὰρ pro Παρὰ. A, Ab, Ex.
Παῦ pro Παῦσαι. Pausa.
Πῆ. Qui.
Πλὰξ. Tabula.
Πλὴν. Præter.
Πλῆξ. Stimuli genus.
Πλὶξ. Gressus.
Πλοῦς. Navigatio.
Πνὶξ. Suffocatio.
Ποῖ. Quodammodo.
Πῦ. Vbi, Partim, Alibi.
Πὼς .Pes.
Πρὰν pro πρώην. Dudum.
Πρὶν. Prius.
Πρὸ. Antè.
Πρὸξ. Animal cervo simile.
Πρὸς. Per, Ad.
Πρὼν. Eminentia montis.
Πρὼξ. Ros.
Πτύγξ. Genus avis.
Πτὺξ. Plicatura.
Πτὼξ. Timidus.
Πὺξ. Adverb. Pugnis.
Πῦρ. Ignis.
Πῦς. Quò.
Πῶ ubi pro πόθεν.
Πῶς. Quomodò.
Ῥὰξ. Genus radicis.
Ῥὰξ. Acinus uvæ.
Ῥὴν. Ovis.
Ῥὶν. Naris.
Ῥὶς. Nasus.
Ῥὶψ. Vimen flexile.
Ῥοῦς. Fluxus.
Ῥὼξ. Rupes.
Ῥὼξ. Rupes.
Ῥώψ. Virgultum.
Σᾶ, Incolumia.
Σάρξ. Caro.
Σεὶρ. Sol.
Σεὺς. Vermis.
Σὴς. Tinea.
Σὴψ. Serpens.
Σκῶρ. Merda.
Σκὼψ. Avis loquax.
Σὸς. Tuus.
Σπλὴν. Splen.
Σταῖς. Farina.
Στίξ. Turma cõtinẽs viro trecẽtos.
Στρίγξ. Avis.
Στροῦς, id est, Στρουθὸς. Passer avis.
Σὺ. Tu.
Σῦς. Sus.
Σφὴν. Cuneus quo ligna scinduntur.
Σφὴξ. Vespa.
Σφίγξ. Sphinx animal.
Σῶς. Salvus.
Ταὶ. Autem.
Τὶς. Quis, Aliquis.
Τρεῖς. Tres.
Τρὶς. Ter.
Τρὺξ. Fæx.
Τρὼξ. Gurgulio.
Τὺ. Tu.
Τὼς. Sic.
Τὰς. Sus, & piscis nomen.
Φὰψ. Avis genus.
Φεῦ. Heu.
Φὴρ pro Θὴρ. Fera.
Φθεὶρ. Pediculus, etiam medium clavi.
Φθοῖς. Genus placentæ.
Φλὸξ. Flamma.
Φρὴν. Præcordia.
Φρὶξ. Maris vel fluctuum fremitus
Φὺξ. Adverbialiter cum fuga.
Φὼρ. Fur.
Φὼρ. Genus apum.
Φὼς. Inustio ab igne facta in cruribus.
Φὼς. Vir.
Φῶς. Lux.
Χεὶρ. Manus.
Χρὴ. Oportet.
Χλοῦς. Herba.
Χνοῦς. Lanugo.
Χοῦς. Agger.
Χοῦς. Congius.
Χρῶς, & Χρὼς. Corpus.
Ψὶξ. Mica.
Ὦλξ. Sulcus.
Ὧς. Vt.
Ὢψ. Facies.

Quamob-

Quamobrem monosyllabæ voces, quæque primæ & suæ originis sunt ita descriptæ sunto. In cõpositionibus autem majoris esse cùm brevitatis, tum etiam certitudinis quàm Græcæ sint, id vel hinc perspicitur, quod vulgus hominum ἄμικον, quique ut in proverbio est neque nare neque literas norunt, ipsas nullo studio, nec opinantes quidem in compositionibus conjungant, idque propter idiomatis, & præceptorum bene ordinatam certitudinem.

Verbi gratia, si quis suberi scindendo peculiarem destinasset cultrum, eum nostro idiomate, etiam de appellatione aut compositione nõ sollicitus, appellabit *Corckmes*, quamvis harum vocum coagmentatio antea ipsi sit inaudita, quæ ab aliis perinde recipitur & intelligitur tanquam diu usitata; videlicet significari cultrum qui peculiariter suberi scindendo sit dicatus, hanc quilibet eodem ordine iisdemque enuntiabit syllabis, nemo enim dixerit *Meskorck*, neque alios casus syllabasvé adhibuerit. sic aliis compluribus exemplis Germanorum germanam compositionem probare, in promptu quidem esset, verùm quemadmodum supervacaneum fuerit, imò inutile, magna argumentorum copia & diversis rationibus velle demonstrare ubi locorum aër inveniatur, cum nusquam extra aërem secedere aut vitam agere possimus, sic cum tanta istarum compositionum copia ubique obvia est, ea recensere velle labor inutilis videri debeat.

Multa de hujus linguæ idiotismis in medium quoque afferri possent, sed quia hæc res propriam sibi deposcat grammaticam paucula voces à visu derivatas proponemus, quæ Germanis uberiorem meditationem suggerant. cujusmodi sunt *Steeroogen*, *Sprietoogen*, & *Aenschauwen*. Vox *Steeroogen* nobis sedulo & studiosè inspectare atque obtueri significat, sed nulli rei accuratior inspectio requiritur, ut ea quę volumus cognoscamus, quàm in Stellis si de die eas contemplari velimus, Sole supra horizontem exorto. nisi enim eas cõtinuò immotis oculis intuearis, aut commodo subsidio adjutus ipsarum loca notes, oculis semel aversis vix eas denuo inveneris, quod ipse reapse aliquãdo expertus sum. quandoquidem igitur in Stellis cõtemplandis maximè accurata oculorũ acie opus sit, commodè & eleganter admodũ vox *Steeroogen* inde derivata est. Ex quo etiam effici videtur Germanos olim sedulos siderum contemplatores fuisse, etiam isto observandi modo, de quo *Hipparchus* & *Ptolomæus* nihil inaudierant, aut saltem nihil intellexerant, ut supra pleniùs explanavimus.

Verbum autem *Sprietooghen*, quod est perperam videre, res geminas, deducitur à *spriet* quod crucem notat, ut antenna navis malo transversim opposita similiter *Swijnspriet*, idem & quod *Swijncruys* venabulum. nonnullis item *Sprietwech* pro *Cruyswech*, hoc est, quadrivio usurpatur. ut *Sprietoogen* idem sit quod *Cruysooghen*, id est *ooghen* oculi quorum radii non paralleli porriguntur ut rectè cernentium, sed sese intersecant, quod nostro idiomate *cruyssen* dicitur, ut homines luscitiosi qui propterea semper res geminas vident. ut vox hæc ex visus affectione originem duxerit, quippe è radiis oculorum transversim sese secantibus.

Denique ut de verbo *Aenschauwen* dicamus, notandum res ipsas nobis non videri, sed umbram duntaxat rei, quod explanatè docebimus primo postulato 1 libri Sciagraphiæ: ut cuncta quæcunque visu objiciantur nihil sint quam rerum umbræ *schauwen*, ideoque intueri *aenschauwen* & *aensien* Germanis eodem significatu usurpantur. Vnde perspicitur hujusmodi umbrarum proprietates ipsis probè notas fuisse.

Quamobrem qui Germanicam linguam rectè & intelligenter considerat,

D satis

ſatis ſuperque cauſæ habet ut tantum eam ſuſpiciat & admiretur, quantū ſigna 6 membro poſita poſtulant. Nam in eadem gente tam multos inveniri gnaros quid monoſyllabæ voces poſſint, ut ipſi monoſyllabæ loquelæ effectionem complectantur & abſolvant, mihi nimiſquam mirum videtur: & ſane in terrarum orbe neque hoc ſeculo, neque à quo tempore literarum monumentis cōſignatū quidquam extat, tam ſolertes & ingenioſi homines ulli extiterunt. certè tam excellens monoſyllabæ linguæ teſtimonium, artiſque & elegantiæ plena compoſitio, tamq; ſignificantia verba, me in ſui admirationem rapiunt, libereque & ingenue profiteor, primos ejus autores, eruditi ſeculi homines fuiſſe mihi videri. neque dubium exiſtimo, ſi denuo funditus linguæ ſuæ cognitionem eruere poſſent, eamque tanto in honore haberent, quantum promeruit, haud parùm ad eruditi ſeculi renovationem accelerandam profore.

Verumenimverò ut planius ejus cognitio pateſcat, utile etiam fuerit ſciri ubi locorum Germanicæ linguæ Atticæ iſtæ elegantiæ floreant, ut cæteri, qui ſequiore utuntur loquela ad eorum exemplum ſeſe forment. Si meum judicium in tam gravi negotio interponere neceſſe haberem, nullum certe angulum in univerſa Germania Northollādiæ, id eſt Hollandiæ Boreali anteferam, unde à docto quodam viro mihi tranſmiſſa eſt magna ſeges vocum monoſyllabarum, Northollandis duntaxat uſitatarum, eas autem ſumma animi voluptate perſpexi, neq; tamen inter expoſitas rettuli: quia Hollandis Borealibus ſolùm eſſent propriæ, namque iſtiuſmodi idiotiſmum potius ſcriptorem Northollandum requirere, & peritum aliquem ad iſtum laborem hortando monendoque inſtigare ſatius fore credidi. Sed tamen interea male me habet depravatio quæ elegantiſſimis Germanicæ linguæ relliquiis imminere videtur, quæque jam tantæ ruinæ initium fecit, quia Northollandi patriæ linguæ delicias neſcientes, eam tanquam nimis planam, ac minus elegātem reſpuunt, & Germanicis finitimarum gentium vocibus, qui negotiationis & mercaturæ gratia ad eos concedunt, miſcent ac interpolant. Sed quia id nulla vi impediri poteſt, loquendum erit ut multi, ſentiendum verò ut pauci. Hactenus igitur tertii membri ſubjectum explanavimus, in quo linguæ bonitas conſiſtat, cui illuſtrandæ Germanicæ linguæ exemplum uſurpavi. & ſi melior ulla ſit alia, quod equidem me fugit, meliora illinc exempla deduci poterunt.

DECLARATIO 4 MEMBRI.

Tantas tamque ſublimes & reconditas ſcientias, cujuſmodi artes liberales ſuo ambitu comprehendunt, methodi eruditi ſeculi ignaro, abſque ſummo labore addiſci, memoriæve mandari, aut ſine aliarum rerum neglectu, quæq; magis πρὸς τ' ἄλφιτα, exerceri poſſe, abſonū videatur. imò verò nō paucis haud veriſimile ſit PRINCIPEM ILLVSTRISSIMVM tantarum rerum adminiſtratione, quarum fama (nihil dicam hyperbolicum) totum jam orbem terrarum opplevit, diſtentum, harum ſtudio à cura rerum aliarum, quæque diligentius forſan adminiſtrari poſſint, non avocari. Verùm hoc gnaro brevitatis methodicæ eruditi ſeculi perinde videatur, tanquam ἄμυσος aliquis qui nec legendi nec ſcribendi artem noverit, ut novum & inauditum ſecum ipſe miretur, qui fieri poſſit ut hominum quiſpiam tam admirabilis ſit memoriæ, qui nomina formaſque ſingularum literarum obſervet, ipſaſque in ſyllabas & voces colligendo legat, cæteraque Grammaticæ munia abſque aliarum rerum neglectu obire poſſit: nam ut legendi ſcribendique exercitatio moleſta non eſt, ſed magnum rerum agendarum ſubſidium, contraque potius maximè admirabile ſit aliquem legendi ſcribendique ignarum difficí-

difficiles & arduas res agere; sic artium liberalium studium exercitatioque eruditi seculi methodo, & forma descriptarum non erit operosa, aut gravis, aut aliis negotiis obeundis impedimento, sed multæ commoditatis facilitatisque causa, ut magis mirum videri debeat harum ignarum multis magnisque rebus gerundis parem esse.

De hac autem methodo, sine qua nunquam prisci illi viri erudito seculo tantarum scientiarum peritiam nacti essent, quæ nota mihi sunt deinceps differere statui, & quidem

Primò de membris mathematicæ propositionis.
Secundò de definitionibus.
Tertiò de dichotomia.
Quartò de Anaphora.
Quinto de theoriæ & praxis conjunctione.

DE MEMBRIS MATHEMATICÆ PROPOSITIONIS.

ELementa *Euclidea*, quæ, ut 6 definitione explanatius dictum est, reliquiæ eruditi seculi non levibus argumentis esse judicantur, in duorum generum propositiones, theoremata nimirum, & problemata tributa sunt, quorũ membra inter se sunt distincta. primo enim statuitur generalis propositio, quæ deinde speciali exemplo confirmatur, in quo considerantur Datum, Quæsitum, Constructio, Demonstratio. quamvis autem quidam *Euclidis* interpretes membra hæc confundant, & fabricando demonstrent, tamen hac ratione (quod non ita dictum ut iis detraham, sed ut propositum demonstrem, accipi velim) ordinem eruditi seculi non sequuntur. Cum enim veterum propositiones membris distinguerẽtur, articulatim, & separatim ea proponi necesse erat, secus membra non fuerint. ut enim si simulacrùm cereum capte, pectore, brachiis, pedibus distinctum & ornatum liquefacias, omnis istarum partium figura, detractâ formâ, quamvis manente materiâ, evanescit & perit.

Vtilitas autem quæ ex hac membrorũ distinctione oritur hæc est. ut PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS tractatum ita articulatè interpunctum, quod omni studio his Hypomnematis secutus sum, primum quidem attentè perlegat, ac funditus propositionum argumenta, tam theorematum quàm problematum cognoscat. quibus semel penitus intellectis, cum deinceps ad usum ea transferre & applicare cupit, posthabitis propositionibus & ipsarum demonstratione solam constructionem, ut eam imitetur, perspiciat, certò sibi persuasum habens ejus rationem modumque non esse lubricæ, aut ambiguæ fidei, propter demõstrationem semel à se jam ante intellectam. Quod ita commodè constructione demonstrationi immixta & intertexta fieri nequit. quia semper demonstrationi intelligendæ laborem novum impendere necesse est, quod plerumque absque alta & subtili meditatione, aut aliarum propositionum citatione fieri vix potest, unde novæ difficultates molestiæque existunt, ut minimè mirum mihi videatur à multis tyronibus mathematicas disciplinas deseri, aut obscuras judicari.

Occurritur autem à quibusdam, demonstrationem negligi & quasi transiliri, solamque praxin istinc seligi posse. verum difficilis est hæc res & intricata, nam statim ista discerni nequeunt, solamne demonstrationem hæc constructio spectet, an verò ad fabricæ exædificationem pertineat. Neque non rarò

qui hęc literis mandat, sivè is autor, seu descriptor sit, post aliquod temporis intervallum de eo ipso ambigere poterit: Constructione autem breviter & succinctè, rejectis superfluis separatim descriptâ, ipsam universam imitatione exprimis de conclusione haud dubius; cæterasque illas difficultatis nullo negotio declinas. Quamvis autem nonnulli in Mathematicis suis operibus, non propositionum membra tantum, constructionem nempe cum demonstratione confundant, sed suo quodam consilio integra problemata theorematis nullo discrimine permisceant, quæ ipsi uno nomine elementa dicunt; crediderim tamen ob causas supra expositas, naturalem methodi ordinem, quæ erudito seculo clarissime nota erat, isto modo non servari, neque brevitatem, quæ istinc sperabatur, nobis suggeri, quod hujusmodi exemplo clarius elucescet. Si in opere multiplicationis vel divisionis, ut in lateris quadrati analysi assiduè mente versandæ essent ipsarum longæ & tædiosæ demonstrationes, cur hæc operis forma verum quid edat efficiatque, hui quam operosa quamq; intricata ipsarum factio foret antequàm factum, quotum, aut latus quadratum assequeremur. hinc inquam facilè perspicitur quanta confusio in mathematicis propositionibus, quæ ista via instuuntur, existat.

Sed illud in ipso *Ptolomaeo* etiam animadvertendum, (quod tamen non perinde accipi velim tanquam nomini ejus obtrectem, nam methodi illustrandæ causa tantum propono) quamvis libri ejus, ob consequentium cum antecedentibus cõnexionem deductionemque, è monuméntis eruditi seculi distinctè & ordinatè descriptis sumpti videantur, non tamen mathematico stilo, sed eo qui in gestarum rerum, & historiarũ tractatione usitatus est scripti sunt, nulla definitionum propositionumque habita differentia, ut ipse commodè citari possint; sed semel dicta, tanquam lectori intellecta, & memoriæ penitus infixa assumuntur, aut quasi non sit necesse in ullo opere ipsas citari, aut ubi locorum similis pragmatia in antecedentibus inveniatur, cùjus formam imiteris, demonstrari: sed à posterioribus *Ptolomai* paraphrastis *Purbachio*, *Regiomontano*, *Copernico* aliisque deinceps, vitium hoc animadversum est, & emendatum, qui propterea opus id *Euclideo* more, seu eruditi seculi ordine digesserunt.

DE DEFINITIONIBUS.

PRæter constructionis à cæteris membris disjunctionem, in monumentis *Euclidis* singulare quiddam, quod methodũ ordinemque spectet animadvertere licet: nam propositionibus definitiones præfiguntur, quibus propria technica vocabula, quorum usus sit in sequentibus, describuntur; idque profecto rationi omnino consentaneum est: cum enim artes peculiares sibi voces deposcant, quarum usus extra artem in communi sermone nullus sit, & quia ad adipiscendam rerum notitiam, voces quibus ipsæ notantur intelligere necesse est, consentaneum plane fuerit ipsas primum cognosci. præterea tam autori & magistro, quàm discipulo utile est, eas in fronte libri ordine disponi. inventor enim dum in propositionum quarundam descriptionibus forte animadvertit has vel illas minus significantes esse, notionesque sibi subjectas minus apte exprimere, commodius tutiusque istas emendabit, cum conjunctim & quasi una facie sub adspectum venient, quàm cum sparsim huc, illuc digestæ singulæ illic inquirendæ erunt, ubi primum earum usu opus erit. discenti quoque item major utilitas hinc existit, partim quia vocum doctrina, quæ à reliqua materia genere toto dissidet, facilius inter se concatenata comprehen-

prehenditur & percipitur, alia aliam clarius illustrante: partim etiam quia tyrone propositionum materiam jam tractante, si quæ technicæ voces forte exciderint, earum definitionem è communi ipsarum loco facilius repetet.

Sed explicandum quoque censeo quomodo hoc præceptum, ut mihi quidem videtur, naturæ consentire animadverterim: contigit enim aliquando ut plura de operum terrenorum, virgeorumque substructionibus, item fabrica lignaria, cæmentarea, ferraria, cæterisque etiam (de quibus in Architectura fusius dicetur) operibus cognoscere opus haberem, quàm vel è scriptis autorum monumentis, vel à Mathematicis percipere aut erudiri possem, in quo mihi quilibet in sua arte duces, & doctores optimi fuere. sed ut studium meum felici successu conficerem, eruditi seculi ordinem imitatus, à singulis vocum ipsis usitatarum, quarum cognitionem mihi necessariam animadvertebam, significationẽ scrutabar, quas ordine suo digestas, cum memoriæ mandassem, in mutuo colloquio illi me, & ego illos commodissimè intelligebam, non minus quam si longo jam tempore in ipsorum artificiis versatus essem, atque ita facillimè ea comprehendebam, quæ sine his difficilius & longiore temporis intervallo vix percepissem. Quemadmodum igitur hæc definitionum collectio, & perceptio in artibus mechanicis, antequam ad opus accedatur maximo usui est, ita quoque in artibus liberalibus ista definitionum coacervatio multum afferret levaminis.

Et quamvis in Arithmetica nostra Gallica omnes totius operis, vocũ theoriam spectantium definitiones in unum locum, sub titulo primæ partis, congessim, idque potissimum, ut totum opus dichotomiis absolverem, & conficerem secundum tabulæ modũ, quæ breviario subjecta est: tamen si denuo idem argumentum tractandum mihi esset, singulis partibus, seu libris diversi generis suas definitiones præfigerem, ut *Euclides* olim fecit, & nos in his mathematicis Hypomnematis affectavimus, dichotomia enim nihilominus illo modo obtineri, & servari potest.

DE DICHOTOMIA.

Quia verò dichotomię studium tanquam frivolum quibusdam minus probatur, & distributio in decem, duodecim, aut alias quotcunque partes ęquè elegans & cõcinna videtur, necesse est paucis sententiam meam probare. *Plato* igitur in *Polico*, & *Aristoteles* 1 libro de partibus animalium accuratè & sedulò de ea disserunt, quamvis nusquam eam in libris suis exprimant, ideoq; videntur hæc è reliquiis eruditi seculi hausisse, ipsamque dichotomiam erudito seculo usurpatam: atque adeo eo magis quod hanc in *Euclide* manifestò ubique cernere liceat, cujus demonstrationes posteriores à prioribus dependent, cujus scripta eruditi seculi reliquias ęstimare possumus. Quamobrem cum dichotomæ hæ non sint vanæ aut inanes, quid de ejus proprietate, & affectionibus sentiam deinceps explicabo. quippe ejus ope omnes unius integri partes, vel generis species, quæ describendæ erunt certissimè constantissimeq; explicari, & natura priora priùs, ac sequentia quæque suo loco proferri, ut doctrina hęc nõ inordinata consecutione, sed cognitis antecedẽtibus explanetur & demonstretur. Vt in tabula Breviarii planorum triangulorum, cæterisq; similibus videre licet. Manifesto item ex dichotomia liquet utrum aliquid in suscepto negotio omissum sit, cujus exemplum habes in tabella ad calcem

39 propositionis sphæricorum triangulorum annexa. Vbi tamen trisectio istiusmodi occurrit.

Latus A C (cum inæquale erit ipsi A B) quadranti { æquatur. præstat. cedit.

Pro qua, hujusmodi dichotomiæ usurpari potuere.

Latus A C (cum inæquale erit ipsi A B) quadranti est { æquale. inæquale. { minus. majus.

Vt trisectione ista, cùm è dichotomia quasi derivata sit, res eodem recidat. Præterea si totius distributio fiat in partes 12, 20 aliasvé complures, habito dichotomiæ respectu, in opere quidem idem quod dichotomiæ efficient, sed quia multifida sectio absque dichotomiæ forma scriptori inventu difficilis, & lectori intellectu obscura foret, æquum est dichotomiam retineri & usurpari tanquam eutaxiæ & legitimæ dispositioni perquam utilem.

Neque tamen necessarium arbitror distributionis vocabula per universum opus sparsim, ut à quibusdam fit, ipsi materiæ immisceri, sed sufficere ordinem futuri operis, breviario, aut tabella generatim & semel proponi. & quamvis hinc, sive id fiat, nec ne, nullus error existat, tamen consuetudinis meæ rationem reddere mihi visum est.

Nonnulli autem definitiones & propositiones suscepto negotio inutiles, nec necessarias, quibus dichotomiam expleant, inferciunt, quod plane *ἀπροσδιόνυσον* videtur, non enim propter dichotomiam res describuntur, sed quî distinctè & ordinatè describantur, dichotomiæ usurpantur. Vt si quis ad institutæ dichotomiæ supplementum, vel supervacua, vel satis nota ingesturus esset, videtur summo jure tum adscribi posse ea tanquam non necessaria, aut pervulgata non descriptum iri.

Præterea quod quibusdam videatur in monumentis *Euclideis* dichotomiæ nullam exstare rationem, quia Arithmetici libri Geometricis inordinatè sint immisti, neq; bisectionem qualem ipsi flagitant ubiq; inveniant, ii hoc respôsi ferant; libros istos ab eruditi seculi naufragio non simul ad *Euclidem*, sed sparsim delatos esse: ideoque quos prius acceperat priore loco collocavisse. neque verò *Euclidem* dichotomiæ peritum fuisse affirmare, aut infirmare ausim. hoc tamen dicam, in scriptis ejus clara dichotomię vestigia exstare, quod accuratius explicarem, nisi brevitati nunc studerem.

DE ANAPHORA.

VBique propositionum, rerumque similium enuntiationes (cujus exemplum 19 & 20 sphæricorum triangulorum propositionibus exstat) quoad ipsarum congruentia patiebatur, verbis similibus explicare studui, ne rerum similitudo, ob verborum dissimilitudinem dispar videatur, tanquam diversa quædam materia explicetur, quod lectori non raro multam caliginem offunderet.

Certè

Certè vulgò fecus fieri, & vocum fynonymia multos delectari, non me fugit, qui tum Rhetoricæ præcepta fe confectari arbitrantur, cum copia verborum fe non deftitui oftendunt. ego tamen in illorum fententiam ire non poffum, cùm fummum Rhetoricæ præceptum fit auditores in fententiam fuam pertrahere, quodq; propofitum eft, ipfis perfuadere. is autem, qui huic negotio aptiffimas ufurpat voces, artem maxime fequitur. quia vero anaphora, quæ inter figuras dictionis numerarur, ad hoc maxime apta fit, cujus ufus in Mathematis frequens eft, eam confectari oportet. atque adeò fupra fcripta verborum repetitio, non ob penuriam, fed perfpicuitatis ftudio nobis ufurpata eft: neque in Rhetoricæ præcepta quidquam commiffum, cum ea fic maximè à me adumbrata & expreffa credam. Et fi quando iftinc aberrarim id mihi vel invito, vel feftinatione nimia excidit.

Verumenimverò quia verborū fimiles res explicantium fimilitudo, in hujus operis in alias linguas metaphrafi, minus forte confpicua erit, in quibus metaphraftes fuum judicium fequetur, ideò lectori indicare volui. quid in Germanica editione fectatus fim, & qua de caufa ita fecerim. Cuique tamen in hac re liberum judicium efto, mihi enim fatis eft fententiam meam explicaffe.

DE THEORIÆ ET PRAXIS CONIVNCTIONE.

CVm in methodi forma cōtroverfia de Theoriæ & Praxis permiftione agitetur, etiam de hoc denique quid fentiam docere neceffe eft, quamobrem ut definitionibus fuis prius eas explanem, Theoria eft effectio, à Phyfico fubjecto abftracta, cogitatione folum comprehenfa: cujus generis funt Theoriæ *Euclidis*, ubi de numero & magnitudine differit tanquam ab omini Phyfica materia fejunctis. Praxis eft effectio, quę in Phyfico fubjecto re ipfa inftituitur: cujufmodi eft agrorum aggerumque figuratio, & pedum, decempedarumque iis comprehenfarum dimenfio. Vt Theoriæ conclufio omnibus numeris fit perfecta, Praxis autem imperfecta. Sic in Theoria demōftratur planum è perpendiculari & bafis dimidio trianguli Geometrici areæ exactiffimè æquari, ut nihil defit, neque quidquam redundet: In Praxi autem agro triangulo, aut è quavis materia plana atq; æquabili dimenfo, quod iftinc efficietur neutiquam erit exactum, partim quia nullam longitudinem tam accurata menfura dimetiri poffumus, ut à verà longitudine millefima parte craffitudinis unius pili non aberremus, imo verò etiamfi menfura fit exacta & bene jufta, demonftrari tamen nequit: partim etiam quia Phyficæ lineæ nullæ ita in directum exporriguntur, aut fuperficies ita planæ funt, prout ipfarum mathematicæ definitiones exigunt, & quamvis tales effent, demonftratione probari non poffet. Proprietas & finis Theoriæ eft, ut tanquam ftabile fundamenrum fit quo Praxis collimet, ubi moleftiore ftudio eo accurationis adfcendi poterit, quantam fubjectæ materiæ ufus defiderabit:

Ex quo perfpicitur, eos qui Mathefin tanquam minus perfectam calumniantur, quod in pragmatiis & ufu parum exactus confenfus fit, non fatis commodè Theoriam à Praxi, & factionem mechanicam à mathematica fecernere. Nam Praxis, propter ea quę fupra fcripta funt, ad fummam illam perfectionem adfpirare neutiquam poteft.

Hæ utræque natura adeo funt difparatæ, ut non raro multi horum alteri fefe addicant, qui alterius nullam tamen habeant notitiam, quod non paucis

doctoribus,eorumq; discipulis in Academiis evenire videmus,qui in *Euclideis* Elementis Geometricis docendis discendisque ętatem terunt,neque unquam agrorum aream, aggerum soliditatem, aut vasorum capacitatem mensurando explicant, in quibus verus usus versatur. Contra etiam non paucos geodætas videre licet qui omnibus præceptis quorum usus est in geodæsiis, nullis rationibus,aut demonstratione persuasi, tanquam veris assentiuntur. Imò nonnulli eorum causas aut demonstrationes horum ullas in rerum natura existere omnino ignorant.

Neque verò Theoria sine Praxi vana est aut inutilis, nam neque ejus opera qui materiam in sylvis cædit inutilis æstimanda fuerit, quia ipse hinc domos, navigia, molas, aquarum emissaria, cistellas, statuas aut simile quid non deformet, id, inquam, perperam falsòque diceretur: quamvis enim scientia hæc in homine laudabilis sit, quia tamen arboribus cædendis diversis materiam subministrat, quam singuli artifices pro se quisque dolent poliantque, labor ejus non est improbandus. sed si arbores cædat tantùm eo fine ut putrescant,neque ex his quidquam utilitatis percipiatur,id omnino insolens ineptumque foret. Eadem est in artibus liberalibus theoricorum ratio, hi enim pragmaticis materiam ministrant, & magno commodo sunt, quamvis ipsi pragmatici omnino non sint. Sic *Euclides* quem pragmaticum fuisse memoriæ proditum non est, à quo tamen propositiones ad posteritatem transmissæ Geodætis, Architectis, cæterisque magno usui sunt. Similiter Theoricus *Ptolomæus* cæterique, qui naucleri non erant, præcepta tradidere navium gubernatoribus in longinquis maritimis itineribus summopere utilia, ut hi sibi peritissimi videantur, si regulas ab illis descriptas intelligant, quamvis naucleri nulli essent. Quare Theorici contemplatio, cujus usus ad pragmaticos alios emanet, non est vituperanda, quamvis autor ipse pragmaticus non sit.

Quamobrem quid Theoria & Praxis significent, quove differant hactenus expositum cum sit, illud quoq; notandum, veteres Mathematicos & quosdam recentiores Theorię explicationem à Praxi distinctè suscipere,quem ordinem nos etiam cum usui erit persequemur, quia verò nonnulli aliter sentiunt, & artem cum artis usu, Theoriam cum Praxi commisceant, de isto quoque animi sententiam indicare necesse est, ut instituti mei causa clarius liqueat.

Principio igitur hominum animi ad Praxin variè sunt affecti, cum alii aliis de causis huc animum applicent, alius enim naturâ, aut causis nonnunquam impellentibus ad propugnaculorum muniendorum scientiam, & res bellicas propensior est, alius ad geodæsiam, alius ad vasorum capacitatem mensurandam, alius ad navigationes longinquas, alius ad architecturam, alius sola Theoria delectatur, alius horum aliquibus, alius etiam universis.

Cum igitur è præcipuis describendarum liberalium artium causis ea non postrema sit ut multi, ad communem humani generis utilitatem, facilè adipiscantur cognitionem istarũ artium ad quas animũ applicant, expendẽdum erit utrumnè id in doctrina fieri possit Theoria cum Praxi commista. quamobrem sic habeto: cùm in Theoria unicum aliquod Praxis exemplum ex infinitis ejus generis desumptum proponitur, istud fortè discipuli palato nõ probatum iri, quia aliud aliquod genus cõsectatur, aut desiderat. Vt si in Geometria inter Theoremata propositiones quędã geodeticę interserantur, in quibus assumantur, dicis gratiâ, dimensiones fenestrarum columnarumvè ad quas accessus non pateat, profectò evenire poterit ut discipuli animus ab hoc geodæsiæ genere sit aversus, ratus ejus usum in Praxi valdè rarum esse, aut inventis

his

his columnarum menſuris, parum certitudinis ineſſe, quàm in aliarum ædificationum opere exprimat, aut aliud aliquid ſimile ejus animum ſubire poterit. Denique etiam genus id geodeſiæ quod affectat nõ inveniet. atq; adeò ſi univerſum librum pernoſcere opus ſit, multa cognoſcet quorum ſtudio non tenebitur. Sed Theoriæ, tanquam opus bene coagmentatum, in qua poſterius priori ordine jungitur, à diſcipulo intellectæ, erunt tanquam fundamentum, ut planiſſime intelligat iſtam Praxis ſpeciem, quam è variis editis monumentis arbitratu ſuo legendam ſeliget.

Quamobrem ut concludam, hactenus viam expoſui, qua tantarum ſcientiarum peritia denuò comparari poſſit, quantam erudito ſeculo cognitam fuiſſe manifeſtum eſt. Atque hujus doctrinæ ratione ſequentia deinceps pertractabo.

FINIS PRIMI LIBRI GEOGRAPHIÆ.

SECVNDVS
LIBER GEOGRAPHIAE,
DE
HYLOCINESI TERRESTRIS
GLOBI.

OCCASIO SCRIPTI SECVNDI HVIVS LIBRI.

CVM PRINCEPS multò ILLUSTRISSIMUS Architecturam, nobilem illam substructionis speciem evolvisset, seseque deinde in munimentorum mœniumq; metatione, & collocatione multùm exercuisset, re ipsa edoctus est quantis difficultatibus ea impediretur in molitionibus, cum quædam ob solum fatiscentem corruant, sidantque, aut fluvius alluens crescente alveo eas deterat; fossę etiam sabulo, limove oppleantur, quędamq; loca ad justam altitudinem effodi & deprimi propter arenæ scaturiginem nequeant, aut sublicæ fistucis ad optatam altitudinem adigi non posint. Animadvertebat etiam nō nullos portus arenà limové obstrui, in quorum reparatione magnæ impensæ sæpe frustra insumptæ essent, consiliaque contra dictos casus meditata admodum diversa sæpe nullo communi firmoque principio niti, unde frustratis impensis, ipsi regioni magnum periculum crearetur.

Cum igitur ante etiam similes difficultates animadvertissem, ad causarum investigationem animum adjeci, paulatim data occasione notans, quæ huic negotio utilia videbantur, minimeque lubricæ essent fidei. quæ cum PRINCEPS ILLUSTRISSIMUS simul cum supra scripta Architectura perlustrasset, deincepsque expertus esset earum cognitionem expositis casibus vitandis multùm utiles, cum ut consilia inepta evitaret, tum etiam ut consultationibus aptis, aut suis etiam inventionibus certas operum nancisceretur explicationes, propterea hæc inter ejus Mathematica Hypomnemata rettuli, & ab Architectura separata, communi Geographiæ adjunxi: quippe quæ explicent motus mutationesq; humanarum virium machinationumque expertes, quæque à natura essentiæ terrestris globi ingenitæ sint, unde generalia præcepta deducantur, quæ se latius deinde ad Architecturam diffundant. Quamobrem de his, & quæ hinc dependent secundo hoc libro dicturi, eorum argumentum summatim sequenti breviario complexi sumus.

BREVIARIVM
SECVNDI LIBRI.

*ABsolutis vocum propriarum definitionibus necessariis, prima propositio erit de terrestris globi motu in genere, reliquæ sequentes de magna & perpetua terrestris globi materiæ separatione, & contraria arenæ, argillæ, lapidum, metallorumque concretione tam in locis planis, quàm montanis, itemque de mutatione littorum quæ exeduntur aut accrescunt, vadorumque in portuum introitu, quos * pulvinos dicimus, deque continua fluviorum sublimitate. Hinc de causa aquæ & arenæ jugis ex terræ interveniis emicantium. Denique terram quæ jam est, marinis fluctibus obrutam, contraque maritima loca in terram conversa iri.*

* havendorpels.

DEFI-

DEFINITIONES.

1 DEFINITIO.

Terreni globi hylocinesis, est variarum materiarum, è quibus coagmentatus est, motus in suo loco, figura totius manente sphærica.

Quandoquidem primæ hujus partis appellatio insignitur nomine Hylocinesis terrestris globi, eam ista definitione expressimus. ad cujus planiorem intellectum notandum est Aërem, Aquam, Arenam, aliasque ipsi immistas materias, occulto motu agitari, superna infernis, priora posterioribus locum commutantibus, qui motus in suo loco perficitur, id est rebus his sub eadem sphærica superficie, sphæræ formâ perpetuo tamen manente, comprehensis. quæ mutatio motusque à locali motu, de quo in sequentibus libris de Planetarum doctrina fusius dicetur, diversa est.

2 DEFINITIO.

Rapidam Psammorrhœam dico, quæ arenam movere, & secum vehere potest. Lenem verò, quæ arenam sidere patitur, neque arenam supervecta eam commovet.

Quemadmodum ponderibus horologio symmetris, cuncta ejus dentata tympana & rota, ipsiusq; horologii inquies motum reciprocans commoventur: alia autem pôdera leviora sunt quam ut rotas impellant. Ita flumina nonnulla tam rapido feruntur agmine ut arenas commoveant & secum vehant, quam Rapidam Psammorrœam appellamus: contra verò alia adeo leni, ut arenas sidere & vadum petere patiantur, neque arenam super quam invehuntur quoquam commovere possint, eamque propterea Lenem Psammorrœam dicemus.

3 DEFINITIO.

Rapida Ilyorrhœa est, quæ limum commovet secumque vehit. Lenis verò, quæ limum sidere patitur, neque limo supervecta eum commovet.

Cujus interpretamentum ex analogia 2 definitionis clarè satis liquet.

His rapidos lenesque fluxus silicum, gemmarum, metallorum & cæterarum rerum terrenæ materiæ adjungere liceret. Sed quia duæ proximæ definitiones instituto operi videantur facturæ satis, à cæteris istis supersedimus.

PROPOSITIONES

1 PROPOSITIO.

Formam motus globi terrestris generatim declarare.

Primus motor cuncta, tam totius quam partium respectu perpetuo motu & vicissitudine versare videtur: quippecum terrestris globus an..um suum curriculum circa solem, diurnum verò circa suum axem peragat; materia etiam è qua ipse compactus est & coagmentatus, perennem inter se mistionem quandam motumque habeat. Terra quidem ex aqua & aëre gemino maximè motu afficitur, aquæ etenim motu & fluxu agri comminuuntur & absorbentur, unde deinde in horizontis planitie novi existunt, quas alluviones dicunt, ut 4 aliisque deinceps propositionibus manifestius dicetur. Ex aeris commotione, qui ventus est, extuberantes & excelsi agri montani gignuntur, ut 5 propositione aliisq; sequentibus intelligetur. Quia verò causa aquæ, atque aeris moti quæri posset, ita habendum est, aquam quæ magnam terreni globi partem occupat triplici motu affici, à Sole, à Luna, ab Aëre. Calore solis in vaporem attenuatur, qui terram suo complexu globi instar ambiens Atmosphæra seu vaporum sphæra dicitur, cujus sublimitatem & à terra altitudinem cum cæteris eo pertinentibus tertio libro, cui titulus est *De Atmaoria*, enucleatè explicabitur: vapor is, ut in minoris materiæ resolutione animadvertere licet, in guttas abit unde pluvia oritur. idem congelatus in grandinem mutatur crassus autem vapor si ante cõglaciet quam in guttas dissolvatur, in nivem vertitur. Pluvia, grando, & nix quamvis ex mari educta sint, aëre tamen humorem prævissi trudente super verticem regionũ inducuntur, in quas recidentes, materiæ terrestri magni motus causæ existunt. Aquæ verò à Luna concitatæ motus, sunt æstus quotidiani, de quibus 6 libro pressius dicetur. Tertius autem motus quo unda ab aëre afficitur, ventus est, qui manifestò aquam commovet neque otiosè stare patitur. CONCLUSIO. Itaque terrestris globi motum generatim explicavimus. Quod erat propositum.

2 PROPOSITIO.

A materia sublimiorum agrorum, qui aquâ pluviâ, aut nive resolutâ deteruntur, alios agros gigni secus flumina, & prope ostia, ubi in mare se exonerant, explicare.

In montanis regionibus nive soluta, aquam è sublimi turbulentam crassamq; arena, argilla, luto, glarea, aliaque materia quam secum rapit mixtam defluere vidimus, turbida auté ista aqua per loca depressiora in flumina affatim influit: neque verò à vicinis montibus solum, sed aliquot dierum intervallo utrimque ab latere dissitis, ubi sæpe maximos montes sylvasque vi aquæ defluentis devoratos & absumptos animadvertere licet. Imò vero agros etiam sublimiores tanta altitudine exesos, ut qui relicti sunt, præ istis voraginibus, montes altissimi videantur. Aqua autem ista nimia ubertate & copiâ quandoque supra fluviorum crepidines exundans, in campos & paludes effunditur, ubi in latitudinem sese pandens priore impetu destituitur, fæcesque suas vadum petere patitur, quibus aquâ leniter inter alveum suum residente agros tantum auget, quantum

quantum ista inundatione advexerit. reliqua verò aqua quæ per alveum ad fluminis ostia, quâ sese mari immiscet fæces demum sidere patitur, cum istic tam rapidè neutiquam feratur, & quasi restagnet, arena & limus natura repugnante diutius in aqua hærere nequeunt, atque hinc tum alii novi agri existunt.

3 PROPOSITIO.

Cur idem flumen quibusdam locis agros ex alluvione natos arena macra, alibi verò pingui limo donet.

Cum multis mirum videri possit, arenam cœnumque permixta quidem in flumina invehi, agros tamen quos coalluendo gignunt partim esse arenosos, partim limo pingues, earum rationem paucis declarare visum est. Enimverò cum turbida crassaque aqua per patentes campos fertur, & impetu suo destituitur, ut 2 propos. jam dictum est, primum gravissima quæque ut silices & saxa ad vadum dilabuntur, arena autem sabulumque ad finem rapidæ psammorrhoæ: atque eatenus quidquid alluvione sua adjicit, arenosum existit, neque arena ultra vi fluminis deferri potest. deinde porrò limus subsidit, qui diutius, comprobante experientia, in aqua hæret, & propterea longius defertur. Flumen deinde paulatim, & leniter intra alveum recedens, singula suis locis, ubi primùm considerant, relinquit; atque ita materiæ diversæ aliò atque aliò disparantur.

4 PROPOSITIO.

Quomodo planities campestres horizonti parallelæ gignantur.

Agri in terreni globi superficie duûm ferè sunt generum, quorum alii in plano horizontis aliquot dierum itinere, tanquam libellati, æquabiliter exporriguntur: alii in montes assurgunt. causam modumque, quo campestris illa planities olim extiterit, vel nunc etiam, futurisvé seculis crescant augescantvé, hac propositione docebo, de montanis sequenti 5 dicturus.

Campestres igitur planities triplici, eâque valde illustri diversitate disparantur, unâ pingui glebâ, alterâ macro arenoso humidoque solo, tertiâ plaustri. Omnium verò æqualis accretio his fere incunabilis exoritur.

Solum ipsum infra aquam abditum, licet inæquali altitudine deprimatur, paulatim tamen succedente tempore cavitates ejus explentur: etenim duobus vasis aquâ limosâ impletis; hoc altitudine pedali, illo bipedali, ratio ipsa postulare videtur limum altioris aquæ, ubi in fundo consederit duplo altiorem esse minoris. huc accedit udum lutũ & arenam in fundo fluitantia, aquâ à ventis commotâ, pariter impelli atque ita loca depressiora quoque expleri. ut cuncta planitiem horizonti æquidistantem nanciscantur, quam diu flumine integantur: sed cum extra aquam, fluminis alveo minus pleno exstabunt; tum demum limosi & arenosi agri ex alluvione nati differentia suborietur, nam à cœno humiles planos horizontales campos existere hic demõstrabitur: ab arenosis autem alluvionibus, quæ aqua recedente siccantur, sublimes montanosq; agros gigni 5 propos. ostendemus: Etenim agri argillosi limosique aquæ recessu siccati indurantur, ut à vento disjici dissiparive nequeant, atque limus limo nova fluminis inundatione paulatim superinducitur & prius posteriore

quasi incrustatur, cujus rei manifesta signa extant in declivi fluminum crepidine, quam diversis incrustationibus pollicis crassitie, plus minus, obductam videre licet: quæ differentia ab herba efficitur, hæc enim à posteriore incrustatione priorem media secernit. Sed quia forte multi quibus horizontalis planitiei accretionem istiusmodi nunquam videre datum est, sententiam nostram refellere conabuntur: illorum igitur gratia, ut tanto labore eos liberem, istud adjiciam. Hic apud nos in Hollandia, similibusque regionibus ubi ex alluvione agri accrescunt, sæpe à possessoribus in dubium vocari, & inter se diffidere, utrum agri isti structione aggerum ab inundationibus liberandi sint, an verò aliquot annos expectandum, dum plus ab alluvione adjiciatur, & uberiore limi incrustatione augeantur; hujus enim rei variis locis varias etiam vicissitudines, & mutationes videre licet.

Hactenus igitur de campis argillaceis dictum esto. arenosa autem campestris planicies in colles nonnunquam haud excitatur, propter rivos à quibus perpetuò & æstate & hieme irrigatur, ut ob humorem à vento agitari impellivé non possit, quæ loca interea erica & herbis vestiuntur. Et quamvis tumores grumique arenosi in ericetis istis nonnulli etiam inveniantur, id hinc est quod terra eo loci minus irrigua aruerit, ventoque in tumultum coacta sit. Nonnunquam verò etiam rivorum amniumque cursu mutato, ericeta istiusmodi in cumulos arenosos monticulosque non assurgunt, maximè verò si tanto tempore solum irrignum fuerit, ut erica radicibus actis universum convestierit, ut turbines procellæque irrito impetu, arenam sabulumvé agitare, neque dispellere queant.

Palustres autem & bituminosi agri (quos *venen* dicimus) existent, cum depressior camporum planities alluvione terræ bituminosæ expletur & incrustatur, haud aliter quàm supra de arena argillaque expositum fuit: unde verò bituminosa ista terra oriatur mox 7 propositione declarabitur.

Notato autem has alluviones, quæ nunc tacito incremento fluminum invectu juxta ripas atque ostia, quà sese in mare evolvunt, nascuntur, etiam olim, nec minus futuris deinceps annis, eodem fluxisse origine: unde terra in mare magis magisque excurrens, ipsum explet & in angustum cogit. atque hinc temporis diuturnate mare aboleri videatur, nisi contra etiam alibi mare in terras irrumperet, & terræ quasi vicem redderet, ut suo loco pressiùs dicetur.

CONSECTARIUM.

Hinc liquet campestrem planitiem supra altissimas fluminum exundationes extolli τῶν ἀδιωάτων esse, cum planities istas summa fluminis unda tegi necesse sit; nisi forte flumen alveo aridiore & minus ubere fluat, aut alio contorto cursu deflectat, quod quandoque evenire suo loco demonstrabitur.

5 PRO-

5 PROPOSITIO.

Quomodo montani inæquabiles agri crescant.

Montium origo duorum potissimùm modorum est, quorum alter à fluminibus, alter à mari est. A fluminibus, cum alluviones arenaceæ sabulosæque tanta altitudine excreverint ut nullo fluminum incremento secundum 3 propositionem, aut ullis rivulis fluentisve irriguæ, humore destitutæ exarescant, & venti impetu, priusquam ullâ herba, quæ longiore tempore opus habet, vestiatur, hac illac disjectæ, salebris locisque inæqualibus oppleantur.

Quibus verò id reipsa videre non datur, ab nive exemplum petant, quæ in planicie, placidia tempestate, delapsa, ubique eam æqualiter tegit, vento deinde oborto, hic illic, aliis locis retecta etiam humo, in cumulos cogitur; quod eâdem ratione arenæ isti contingit: postea verò uberiore auctu flumen exundans cavitates explet, & interim rursum alveo contractiore labens, arenæ siccandæ spatium dat, quæ arida rursum impellente vento prioribus cumulis aggeritur, aut in novos excitatur, atque ea exundatione aliquoties repetitâ, solum tandem in montes exit altiores, quam ut à flumine inundari possit, etiam alveo plenissimo.

Præterea verò animadvertendum, multis locis agros pingues & fertiles in quos arena non solet devehi, nonnunquam tanquam arenâ obduci, quod magna aquarum vis, quæ fluminis ripis coërceri nequit in agros vicinos exundet; idque duas potissimum ob causas, quarum prior sunt æstus solito copiosiores & majores, cujusmodi trigesimo aut quadragesimo quoque anno vix contingere assolent. Altera est, quod post diuturnum gelu, crassâ glacie resolutâ, fluvius ob imbrium copiam rapidiore decurrens alveo, frustis glacialibus sibi ipsi cursum obstruat, ad quem obicem cætera glaciei frusta adhærescentia cumulos altissimos excitant, à quibus aquæ cursu præpedito, flumen quasi restagnans crescit, eodemque multum arenæ congerit, ac tandem in subjectos campos rapida ψαμμοῤῥοίᾳ sese diffundens, agros pingues arenâ novâ inducit. Quæ res forsan multis ficta videatur, quos experientia non erudierit, verum ii quibus non sine magnâ jacturâ res ea constitit, non sine dolore summo tanti damni causas norunt, ac reminiscuntur.

Neque hoc omittendum fuit, arenosam incrustationem successu temporis quandoque pingui alluvie rursum obduci, quæ denuò arena postea vestiatur. atque hinc est, qnod locis quibusdam altè suffossis, varia terra inveniatur, ut argillaceæ arena, arenaceæ nigra terra subsit, sub qua rursum argilla deinceps lateat, atque ita porrò.

Verumenimverò ut de montium accretione quæ à mari existit deinceps dicamus, principiò animadvertendum est arenam in maris littore variis mutationibus obnoxiam esse, venti enim vehementes è terra flantes (quos apogæos *Plinius* vocat) præcipuè quando procellis ex mari ortis non ita diu post succedunt, fluctus retroagunt, atque tum, quod rarò tamen contingit, fundamenta arcis Britannicæ hic prope Cattovicum deteguntur. A ventis autem è mari surgentibus arena uberrimè in littus evolvitur, quæ recessu maris à sole ventisque siccata, obortis à mari aliis procellis in cumulos aggeritur.

Colles vero arenosi quibusdam locis tantùm cæteris supereminent, maximè

cum duæ causæ eodem loci concurrunt, una quod crebræ procellæ è mari spirent; altera latum & sublime littus, in quo maris recessu multum arenæ altè siccari possit, quam venti ex mari flantes copiosè in cumulos congerant.

Mirum autem videri possit, cur ii grumorum arenaceorum cumuli non decrescant, siquidem aliis ventis à terra spirantibus arenam in undas & subjectum mare dissipari necesse videatur: Causa ejus rei gemina est, partim quod iis locis ubi cumuli arenacei crescunt crebriores venti è mari quam è terra spirent, partim etiam quod cumili isti paulatim herbis vestiantur, & arborum radicibus inter se serpentibus mutuoque discursu commistis, arena interspersa coërceatur: cui testimonium illustre est quod Hollandi, aliique colles suos arenosos junco vestiant, ut ita hos adversus mare tanquã obices muniant augeantq;. In Goereda (insula est Hollandica Zelandis finitima) arundinum satione colles arenosos excitant ubi ante nulli erant.

Notato autem montium auctus & incrementa nasci è variis partibus ventorum vi inter se coagmentatis, non secus quam campestris planities ex diversis coriis ab inundatione fluminum, ut 4 propos. dictum est, congestis. quod in montibus arenaceis, ubi imbrium abundantiâ fatiscunt, manifestè liquet. arenâ enim à turbine in altum aggestâ, cum ante herba vestiatur, quàm vehemens arenamque conciens tempestas novam materiam eò congerat, herba ista prius incrementum à posteriore secernit. Collium verò istorum coria à campestribus impari crassitie differunt, nam & earum aggestio magis inæquabili ratione perficitur. At quomodo discrimen id etiam in rupium saxis (postquam colles arenosi in rupes conversi erunt) perduret, mox 9 propositione dicetur.

Quamobrem cum hactenus tantum de monticulorum arenaceorum incremento sermo fuerit, & propositionis argumentum quorumlibet montium originem polliceatur, montium alterius generis, ut è terra nigra, argilla, saxis, metallis, aliisque similibus causę desiderari videantur. occurritur autem omnes montes (exceptis iis, qui vel humana opera & industria aggesti, aut à terremotu, similibusvè de causis excitati sunt) prima origine arenaceos fuisse, atque postea immutatos. Cujus rationem modumque infra docebimus.

6 PROPOSITIO.

Quomodo agri & colles arenacei in pinguem nigramq; terram mutentur.

Experientiâ quotidianâ erudimur in arenâ à fluminibus aut mari aggestâ, herbas & arbores diversi generis exoriri, quarum fructus, folia, frondesque & semina quotannis decidua à subjecto solo excepta id nigrum & pingue reddunt, eaque nigra pinguedo tàm altè sidit quàm temporis diuturnitas, aut copia decidens eandem deprimit. semina enim alia ut lini & raparum, aliis pinguedine præcellunt, & fructus quoque ut juglandes, amigdala, olivæque cæterique similes unde oleum copiose admodum exprimitur, plus pinguedinis afferunt, quam macræ aridioresque fruges. à galla verò, juglande, glande cæterisque similibus plus nigredinis existit. Sed nigram terram, esse arenam istiusmodi corio obductam, istic maxime liquet, ubi inter ipsam tanquam

incile

incile aliquod imber interluerit, nigra enim pinguedine & terræ quasi adipe eluta, in cavitate arenaceæ quædam striæ conspiciuntur. Si verò aliud expeditius experimentum postulabis, in vasculum quoddam (quod aliquoties ipse expertus sum) nigram terram indito, quam superfusa aqua in orbem rotando misceas, eaque cum pauxillum, dum sex aut octo passus conficias, quieverit, terra interim ad fundum dilapsa, aquam nigredine infectam transfundito. rursúmque pari ratione quâ ante, puram aquam infundito, agitato, depleto, & aliquoties continuato, donec nigredinem istam universam exhauseris, tandem arena aspera & scabra relinquetur, colore albo, flavo, aut subrufo, prout ea coloris varii esse solet. CONCLVSIO. Itaque quomodo arenacei agri, collesque in nigram pinguemque terram transeant, exposuimus.

7 PROPOSITIO.

Vnde* bituminosa ustilis terra oriatur exponere.

* Veenen terra Cesp.

Cum aliquando adipem & pinguedinem istam (de qua 6 propositione dictum est) secernerem, & curiosius versarem, animadverti ab atramento scriptorio non multum abesse, & lituram nō planè nigram quidem, sed quasi pullescentem efficere, cujus modi color cespitum ustilium esse solet. id atramentum arefactum terram bituminosam, quam *veenen* dicimus, omino referebat, planeque eadem videbatur, igni enim propius admotum non minus est pabulum erat quam nostrates fossitii ustiles cespites, & tanquam funes bombardici, vel terra sulfurea facillime accendebatur. Vt nigra hæc terræ pinguedo separata ab arena sua, pro ustili bituminosa terra, id est *venen*, haberi non immerito posse videatur. Quibus positis causa in promptu est, cur in campestri planitie viginti pedum altitudine bituminosa terra infra solum deprehendatur, flumina enim magno auctu per multos nigros pinguesque campos labentia, eamq; nigredinem secum corripientia (quemadmodū flumen illud *t'swarte water* nigra aqua, à colore, nostratibus dictū, quod prope sinum salsi maris sese in Isalam exonerat) arenam eamque nigredinem pariter quidem corripiunt, sed arena materiæ solidioris in obliquis fluminum anfractibus vadum continuò petit, nigredo verò ista levior, ultra labitur, novoque incremento continuò fluminis invectu augetur, ut hine alluvionem terræ bituminosæ existere necesse videatur.

Alii verò etiam cespites ustiles effodiuntur multa erica, aut foliis conferti, nonnulli etiam ramalibus trajecti, quorum ratio eadem est cum antecedente, ericetis enim sylvisque fluminis impetu correptis, materia hæc eo loci congeritur. CONCLVSIO. Itaque unde terra bituminosa cespitesque fossitii ustiles sub solo existant, exposuimus.

8 PROPOSITIO.

Quomodo vitrum, saxa, metalla, aliaque terrenæ solidioris materiæ in aquis resoluta fluctuent, exponere.

Scaturigines quasdam e rupibus ortas, aquam viridi aut cæruleo colore tinctam fundere animadversum est, similem ei in qua aurum, argentum, æsvé restinguitur, quæ viriditate ista à metallicis montium venis, per quas fluunt, afficiuntur. Sed idem color cum sit aquæ marinæ, effici videtur eam etiam à materia

teria metallica, quam in rupibus & saxis in fundo aut juxta littora latentem lavat, tingi. Vt metalla prius solida jam in aqua fluctuent, & diutina aquæ marinæ eluvie idem, quod aquâ, quam *regiam* dicunt, brevissimo temporis spatio efficiatur, quippe ut in ea matalla liquata natent. Idem judicium in cæteris ut vitro, saxis, aliisque ratio collocare videtur, eaque continua aquarum eluvie reddi quoq; fluitantia, & aquæ permisceri. atque eò magis quod Chymici asserant ab aqua recenti (quamvis marina eandem in se materiam quoque contineat) aliquoties & iteratò decocta, tandem fundo vitrum adhærescere, quod profectò non fieret nisi materia ejus aquæ permista natasset. sed resolutum id & fluitans vitrum etiam in fontium canalibus ligneis, quæ diu sub terra defossæ latuerint, rursum soliditati suæ redditum adhærescere videre licet, dum enim aquę cursu obstructo rumpuntur, ipsa obstructio nonnunquam vitreus quidam lapis esse videtur: similis quoque incrustatio vitrea lapeaque in sublicis pontium in flumine defixis alibi quoque cernitur. Quæ profecto neutiquam contingerent, nisi vitri lapidumque materia aquis inesset. Et vicissim nisi continua hæc rerum cōcretio alibi dissolveretur atq; aquæ commixta fluitaret, tandem aquam continuo partu exhaustam, ea quæ non continet, edere necesse esset, quod plane absurdum omnique experientiæ contrarium foret.

CONCLVSIO. Itaque causam exposuimus cur vitrum, lapides, metalla aliæque res solidæ resolutæ in aqua fluctuent.

9 PROPOSITIO.

De argillæ, vitri, lapidum, metallorumque incrementi modo dicere.

Argillæ, palustris & bituminosæ terræ genitales causas in campestri planitie à materia sublimiorum agrorum fluere 2 propositione supra dictum est, tum etiam 7 propositione unde bituminosa terra alteri terreno, quæ per 5 propositionem arena prius fuerat, superinducta esset. Itaque deinceps unde argilla, cujus materia diversi generis est, itemq; vitrū, lapides, metalla in iisdem sublimioribus agris existant explicandum est. Principio igitur animadvertendum montibus aut etiam convallibus alte suffossis, argillam, terram bituminosam, silices & saxa inveniri, quæ post montium ortus non creverint, sed ante etiam sub iisdem delituerint: sic Hollandicis arenosis collibus lapides, argilla, terra bituminosa, aliaq; materia similis ei, quę è pratis ac pascuis vicinis eruitur, occultata tegitur. quæ terra in littore, ad pedem tumulorum arenosorum, crebris locis hiante per rimas nigra renidet. Nam quæ loca jam marinis fluctibus obruuntur olim arida erant, cum Arx Britannica aliquot passuum millibus, ob invectum Rheni fluminis, quæ tum sese istic in mare evolvebat, à mari abesset: Rheni autē cursu in Mosam averso, quidquid ante fluminis invectu congestū erat à mari rursum absumptum est: arenosi vero colles secundum 5 propositionis doctrinam supra campestrem argillaceam planiciem congesti sint. Atque ista causa est cur, argilla, palustris bituminosaque terra, & saxa sub aliis montibus quoque inveniantur; imò nonnunquam sublimiusculè etiam, quippe quę eò largo fluminum auctu invecta sint: Verumenimverò de ista argilla, bitumine, aut saxis, quorum origines jam apertæ sunt, dicere non est animus, sed de agrorum arenaceorum cum argilla sui generis commixtione, deque harum in magnas metallicas rupes conversione, quæ nulla vi sali, aut rapido æstu eò congestæ sint.

Quamob-

Quamobrem ut tandem de reipsa dicere instituam, ajo tam in campestri planitie quam montibus (quamvis in montibus quidem maximè) lapides generari, ipsis modo supra exposito primùm genitis; hac de causa, quod crebro in campestri planitie unius aut alterius pedis altitudine effossa (quod in urbium obsidionibus, castrisque vallandis frequenter animadvertimus) corium quoddam lapideum pedis circiter crassitie occurrat, quod ferramentis marisque vi rumpendum est, quo perrupto terra succedit. cujusmodi aliquando occurrit munimento prope Hulstam (Flandriæ oppidum est) effodiendo, in planitie campestri fluminis invectu congesta & aggeribus adversus undarum injuriam munita, in qua id lapideum corium ab initio non simul ita enatum, sed sine dubio postea in istam duritiem mutatum est. similiter de montium in lapides & metalla conversione judicandum, quorum initia & prima exordia sub terra quoque me animadvertisse arbitror, ut prope Grollam ferri, alibi alterius generis. Quamobrem cum id quidem ita esse demonstrarim, superest ut inquiramus cur sit. Ajo itaq; mirum nō esse vitrum lapidesque, quę etiam aquæ pluviæ diutina concoctione in vasis fundo cōcrescunt, quæq; manifestò ligneis fontium tubis aliisque palis quæ aqua alluuntur, ut supra diximus, adhærescant, mirum inquam videri non debere, sed naturæ rerum consentaneum, eandem aquam sub grumis arenaceis per terræ venas continuo fluentem, lapidum vitrivé materia quam secum vehit istas obducere. nam & aqua salsa per arenam percolata salsedinem suam exuit ipsique arenæ imprimit. & cotes à multis arena cōcretæ, vitrové coactæ, judicantur. Imo arenæ eam coagmentationem in rupibus colore arenam referentibus haud rarò videre est, quæ nisi tactu vix ab arenæ grumis distinguuntur. eadem hæc arenæ in lapidem concretio arguitur à lapidum in montibus cohærentium intercurrente discriminis nota, cujus causa 5 propositione patuit, quippe id à diversis procellis & herbis istic enatis effectum esse. Porrò autem cum argentum aqua regia resolvatur & liquetur, eo, qui argentariis fabris usitatus est, modo, non mirum videri debeat, metalla, in aqua pluvia montana, liquata & fluitantia, in terræ venis paulatim rursum, modo supra exposito concrescere & consolidari, deinde temporis diutino intervallo rursum aliquando liquari & fluitare. Atque adeò manifestò apparet aquam nō solum in Terreni globi furno Chymico è mari tantum sursum tolli, indeque in terras relabi, & rursum in maria effundi, sed eandem esse fortem metallorum lapidumque, cæterarumque rerum quæ in collibus & campestri planicie inveniuntur. Neque multo absimilis ratio rerum animatarum & inanimatarum esse videatur: ut hinc veteres occasionem de mundi anima arripuerint, unde animalia animentur & vita reciproce reddatur, quemadmodum aqua in mare modò influit modo effluit. Ea tamen differentia inter hanc & illam quam supra tractavimus, aquæ, arenæ, filicum, argillæ & terræ bituminosæ materiæ separationem intercedit, quod modus quo singula istarum suis homogeneis adhærescant & uniantur, ex causis ipsis cognitus sit, illius verò nequaquam. enimverò, quomodo in terræ venis aurum sese auro jungat, quomodo herbarum animaliumque seminibus loco suis ortibus conveniente constitutis, alia materia ejusdem generis sese jungat misceatque non habeo dicere. Sed si causæ modusque penitus noscerentur, cur & quomodo argentum aquâ, quam *regiam* dicunt, liquatū æri adhærescat, æs verò liquatum ferro, ferrumque ad lapidem magnesium, his initiis forsan ad eorum subterraneam cohærescentiam aditum recludere possemus, atque adeò ad penitioris perfectæque chrysopoiiæ adyta penetrare, in

qua

qua hoc seculo multi chymici multùm desudant: verum cum ea etiam oculis exposita cohærescentia nos lateat, nihil mirum fuerit subterraneam & à visu nostro remotam metallorum aliarumque rerum ad sui quodque generis aggregationem nobis ignotam esse. Ideoque hac propositione non causam crementi, sed tantum de modo quiddam dicturos recipimus, quò alios ad penitiorem inquisitionem incitaremus.

CONCLVSIO. Itaque de argillæ, vitri, lapidum, metallorumque incrementi modo diximus. Vt erat propositum.

NOTATO.

Quamobrem cum generalis rerum terrenarum resolutio consolidatioque isto, qui dictus est, modo effici videatur, harum cognitio in earundem causis & proprietatibus expendendis subsidio esse poterit. Si enim intra rupem clausus, animo verses olim eam tumulū arenaceum fuisse, tantamq; varietatem succedentibus annis in ea generatam, atq; indies novam suboriri ab aqua pluvia eam perluente, quæ qualitates salis, sulfuris, vitri, lapidum, metallorum in arenam imprimit &, ut supra dictum est, sidere patitur, hæc res meditandi ansam prębeset, quid in eo ortu antecedat, quid sequatur, quomodo materię ejusdem generis & mutuò sese appetant, & cohęrescant, aliaq; his similia. Verbi gratia si argillæ crementum quæratur, mihi limus (qui arena pinguior argilla macrior est) ejus ortus initium esse videtur, vel tanquam argillam nondū perfectam: argillam autem petrarum rupiumque. Namque in montibus argilla, quæ pluviæ aquæ, aut nivis colliquatæ fluxu, secundum 4 propositionis doctrinam, non corripitur, paulatim in saxa & silices solidari videtur, atque hæc rupium esse primordia.

Occurrat autem aliquis, si montes pluviæ aquæ fluxu in saxa solidentur, in extima terræ cute prima ejus soliditatis incunabula existere debuisse, plurimis locis experientia manifeste repugnante, siquidem lapideum corium & quasi pavimentum, de quo supra, ferè uno aut altero pede infra solum invenitur.

Verumenimverò ut hunc scrupulum eximam, & causam exponam, ita habeto. In parietinis urbium arciumque, extimos lateres & cæmenta mollitudinem quandam habere, nulloque negotio dirui, interiora autem instar saxi solida esse, cujus causa à gelu, vento, imbribus, & Sole esse creditur: quam altè enim horum effectus penetrant nihil solidè induratur, cætera autem facilè. Eadem causa terræ quoque merito adscribi possit, ut quam altè isti varietati obnoxia sit, ut gelu, vento, imbre, sole afficiatur, (maxime vero à gelu, nam recentes parietes, humida adhuc calce, conglaciati, nunquam deinde solidè coëunt) tam altè terra in duriciem lapideam non abeat. Atque adeò si ita cautè circumspecteque quidlibet expenderetur, & veritatis lima examinaretur causarum cognitio melius longè & uberius patesceret.

10 PROPOSITIO.

Nihil esse terreni quod non sit è variis generibus commistum declarare.

Græci nihil simplex aut non mistum in rerum natura existere quidem asserunt, aquam enim non esse sine aëre & multis rebus terrenis, neq; terram sine aqua, aëre, aliis: Quæ sententia ab erudito & sapienti seculo ad eos forte emanavit,


navit, ſed cauſarum notitiam una adepti non videntur, neque modum generalem quo iſtud contingat, quem ex ſupraſcriptis manifeſtum jam arbitror, videlicet (ut ſummatim repetam) aquam pluviam per metallicos ſulfureosq; mótes fluentem, materiam iſtam liquatam & fluitantem ſecum corripere, quod in colore & odore aquarum animadvertere eſt, neq; minus alia reſolvere, quę colore aut odore percipi non poſſunt, ut lapides, vitrum, & aliud quidlibet. Vt aqua fluvialis è variis materiis montiũ, unde originem & incremẽta capit, commiſta ſit. & quia flumina hæc (quæ aliis materiis, dum ripas & alveum lavant, quoque commiſcentur) in mare ſe evolvunt, marina aqua terreni cujuſlibet miſtionem recipit. ea autem ſurſum ſcandens Atmoſphæram generat, & perpetuò recentem materiam ſuggerens alit, quæ ipſa ideo omnium rerum miſcella ſit. Vapor hic aſſiduè in rorem, pluviam, grandinem, nivemq́ue reſolvitur, quæq́ue ideò varia terrena materia permiſta ſunt. Quæ in terram delapſa, diverſam iſtam materiam ad novarum generationem relinquunt, & per veteres jam genitas fluentes, reſolvunt, liquataſq́ue in mare, ut prius, evomunt: atque ita terreſtres materiæ perpetuam inter ſe commiſtam habent ſpeciem.

CONCLVSIO. Quamobrem nihil terrenum ſimplex, ſed è variis rebus commiſtum eſſe declaravimus.

II PROPOSITIO.

Cauſam cur ripæ fluminum deterantur, aut alluvione creſcant, & cur indies alveo magis anfractuoſo decurrant declarare.

Motus alius quidã magnus in fluminũ ripis cõtingit cujus cognitio utilis ſit in agris emendis, aut aggere muniendis, urbibus condendis, munimentis moliendis, locisq́ue muniendis, ut pateat ubi futura ætate alluvio aut eluvio exſpectandæ ſint. Notandum itaque fluminum crepidines alibi acclives eſſe quæq́ue fluminis impetu aſſidue exedantur id latus nobis eluviei dicitur, alibi verò ripas invectu fluminis congeſtas arenoſaſq́ue inſtar marini littoris leniter proclinari. quarum proprietas in diagrammate clarius liquebit. A B C D E F G H fluvius quatuor curvaturis excurrat, ab I, K verſum fluens.




his poſitis aqua ab I impetu quodam in flexuram ripæ ad A impacta curvaturam eam & in fundo & ad latus dextrum exeſt, ideoq́ue terroſi agri quotannis alveo redundante abſumuntur. ut crepido iſtic altè aquam ſubeat, parumq́ue proclinetur. Aqua deinde hinc quaſi reſultans in alteram curvaturam irruit in G, ubi ſimiliter fundum altè evolvit crepidinemq́ue arrectam efficit, ſed contra altrinſecus ad latus B tam leni agmine incedit ut arenam ſuam ſuſtinere nequeat, qua ad vadum collapſa ripa leni clivo hoc invectu generatur, par ratio in cæteris concavis C, E & convexis curvaturis H, F, D intelligatur.

F Porro

Porro quotannis ad A, G, C, E fluminum impetu majores fieri anfractus, & oppositam ripam ejusdem invectu magis procurrere manifestum est, quamvis mutatio hæc in solo terroso major sit elariorque, quam in lapideo ob resistentiam. Præterea quamvis fluvii alveus itinere unius diei, quasi ad rectam lineam fluat, nihilominus temporis successu incurvari necesse erit; ubi enim in alterutra ripa solum proruerit, eam ob expositas causas continuò exest.

Veruntamen curvaturæ istæ nonnunquam etiam in directum redeunt aut minori saltem flexu oberrant; sed id ferè casu contingit. Cujus ratio talis est: ABCDEFG flumen oberret per anfractum BCDEF, crepidines autem excesæ B,F, eæ assiduè propius concurrentes, tandem impetu fluminis angustias istas perrumpente coëunt, & flumen relicto priore flexu CDE, rectiore fluit alveo ab AB rectà in FG.




Animadvertendum insuper emporia commodiora interioribus & concavis fluminum curvaturis allui, & in crepidine excesa situm obtinere, ut fluminis profundiore alveo navies istic sese cōmodius onerēt, exonerentq́;. Et ne fluvii impetus istic quippiam proruat amplius exedatvé, id humana industria providetur, qui procurrētibus aggerum structionibus lapide lignové fartis, tanquam acroteriis quibusdam ejus impetum retundunt. Sed quia de his in Architectura fusius dicturi sumus, hic nihil amplius addam. Sed crepidinis excesæ, aut littoris fluminis invectu aucti anomaliam quandam nonnulla, loca habere videntur, ut utrimque ripæ exedantur, vel utrimque alluvione crescant: id verò ob causas manifestas evenire solet: quippe cum fluvius inter rupes angustissimo alveo protruditur ruitque, utraque crepido altitudinem habere potest: In terroso etiam solo insula objectu suo flumen dividens efficiet ut ripæ oppositæ ad caput insulæ exedantur; aut vadū sub aqua occultum ejus rei causa fuerit. Contra verò flumen alibi in latitudinem effusum, uno, pluribusve alveis rectioribus decurrens, sub aqua idem efficiet, quod ante extra aquam fieri ostendimus, ut utraque opposita ripa in latitudinem diffusæ aquæ nullam declivitatem aut sub aqua altitudinem habere possit, sed sub aqua latentis alvei curvaturæ ad ripas propius accedentes, temporis intervallo crepidines declives efficient.

CONCLVSIO. Itaque causam cur margines fluviorum eluvie excesæ sub aquam altè descendant, aut contraria alluvione auctæ lentè proclinentur, & cur assiduè magis magisque incurventur declaravimus.

12 PROPOSITIO.

Cur sub aqua ad ostia fluviorum pulvini jaceant declarare.

Causa unde pulvinos, & quasi limina ad portuum introitum latere animadversum sit, ista est, quod naves oneratæ altiùs in aqua sidant, & profundiore alveo opus habeant quam ad fluminum ostia, quaque se in mare evolvunt deprehendant, ideoque plurimis locis fundi altitudo studiosè inquiritur, quàq; altissimus sit alveus signa nautis collocantur: quia prope ostiâ portus vadosior sit, quam ultra citraque. quamvis verò quidam portuum introitus tantam habeant profunditatem ut navibus liberum præbeant ingressum, neque bolidis jactu profunditatem investigare opus sit, nihilominus generali quasi præcepto docemur eo loci minorem esse altitudinem, quàm ultra istum locum citravé; cujus causa fere gemina est. Prior, cum flumina intra ripas arctentur, & sublimiori loco sint quàm mare, ea rapida psammorrhæa decurrunt, ut vicinorum agrorum arenam imbribus, aut liquatæ nivis fluxu correptam devehât, ut 2 propositione pressius dictum est: arena autem ista postquàm ex angustiis emersit, in amplum subjectum mare effusum in omnes partes æqualiter sese pandit & diffundit, quod aqua marina æquabili humilitate depressa sit, atque ita labitur usque ad finem rapidi istius fluxus, hic cum rapida psammorrhæa enervata in lenem degenerat, arenam diutius ferre nequit, eamque sidere patitur, ibique vadum arenaceum congeritur, qui pulvinus dicitur. Altera causa hujus quasi administra est leniter proclinatum littus. verum ut hoc commodius intelligas, figuram subjectam intuere, quæ orthographia est plani ad horizontem normalis, fluvium secundum longitudinem versus mare & littorà secantis. spacium punctis distinctum aquam notat, A B C D fluvium, B ostium qua sese in mare evomit, E F G H lenis declivitas littoris, B F I superficies aquæ summæ, G pulvinus, qui etiam nullo fluminis arenam ferentis invectu nihilominus necessariò istic existeret; flumen enim ob alvei angustias rapidiore decurrens agmine ab A ad ostium B, vel ab C ad D altius fundum eluit, extra ostium in latitudinem diffusa aqua minori impetu fertur, ut à B,



seu D antrorsum minorem habeat altitudinem, & si huc ad G verbi gratia rapida psammorrhæa deficiens accedat, fluvius istic solum altius eluere nequit, sed G in pulvinum abit; ante & pone quem fundum depressius sit, quàm in istus summo. CONCLVSIO. Itaque cur ad finem fluviorum, ad portuum introitum sub aqua pulvini lateant declaravimus. ut decuit.

CONSECTARIUM.

Liquet itaq; tantum ferè pulvinos hos assiduè antrorsum serpere, quantum fluminis invectu alluvio prope ostia crescit.

De ratione pulvinos deprimendi aut summovendi, quę causis cognitis certius perficitur, in Architectura dicemus.

13 PROPOSITIO.

Cur aqua fluvialis assiduè sublimius fluat declarare.

Non rarò flumina bifido labuntur alveo, ut Rhenus ubi ex se Wahalim derivat qui Noviomagum alluit, reliqua parte nomen suum servans Arenacum præterlabitur. quorum altero minuto aut arescente, reliquum alveum augeri consentaneum est atqui de cremento, quod ob causam hanc ita manifestam contingit agere nunc non institui, sed de communi incremento, quæque longe aliam ob causam contingat. Indicium unde incrementum id animadvertatur ex agris aggere munitis liquet, nam hîc in Hollandia cum primum aggeres jacerentur tam alti erant campi ut molis aquariis aquam expelli necesse non esset, cum post inundationes fluminum aqua per emissaria sese ultrò in alveum reciperet. sed post quinque aut sex annorum decadas, alibi citius, alibi vero serius, molas extrui necesse fuit, ne agri aquis perpetuò obruti nullos fructus ferrent. similia ex senibus in Borussia de agro Melving jacto aggere adversus undas munito audisse me memini, qui dicebant aquam fluminis Nagats tum sublimius adscendere, quam olim in ipsorum juventa, qua re coacti subsidium ab aquariis molis petere necesse habebant.

Sublimitas autem ista maximè ad exitum fluminum animadvertitur, quâ sese in mare effundunt aut in latitudinem pandunt. causa ejus rei vulgò creditur, quod plus aquę ex superioribus locis quotannis descendat, quam olim solet. verū cum in regionibus ab exitu magis remotis, quas idem fluvius interluit, sublimitas ea non animadvertatur, nullum istic incrementum erit, ideoque ab aqua uberiore ex locis superioribus profluente ejus rei causa non oritur, sed



aliunde, quam hoc modo explicamus. A B orthographia fundi arenosi designetur, cujus alveus in A tanto sublimior sit eo qui est ad B, quantum interjicitur inter A & C, hinc B fluminis exitus sit quà se mari committit, aut in altitudinem latitudinemque diffunditur, extra fines aggere muniti agri B D. post aliquot annos fluminis invectu nata sit alluvio B E: quibus positis arena ex superiore loco fluens, propter causas notas ab A in E ad rectam lineam labi nititur qualis summæ superficiei est fluxus, & quemadmodum prius ab A recta contendebat ad B, ita hoc casu semper intelligi necesse est ab A ad exitum fluvii, quà vel in mare se evomit, vel in altitudinem latitudinemque extenditur. Et F G fundum fluvii nunc altius excrevit quàm initio esset jactis primum aggeribus, maximumq; crementum est à B ad G, atqui quo propius ad A acceditur, eo minus incrementum ejus temporis animadvertitur, quod in dia-

in diagrammate manifeste perspicitur. Verumenimverò alvei fundo sublimiore, quamvis non major, sed eadem aquæ copia defluat, necessariò aqua propter alluvionem B E altius supra D B eminebit, quamvis augmentum id sursum versus A minus sentiatur: Quamobrem fluviali aqua sublimius fluente, agris verò aggere jam præmunitis nulloq; invectu crescentibus, incōmodo coacti brevi tempore molas aquarias moliri necesse habent; quique his locis agros jactis aggeribus ab undarum incursione vindicare volent, in eum eventum, cognitis jam causis, ab initio se parent. Præterea etiam hinc liquet, quid causæ sit, loca quædam aggeribus perruptis, sub aquis depressa latere donec fluminis invectu rursum satis creverint, quod hic multis locis animadvertere licet, quæ tamē olim aggere primū jacto, tam erant sublimes, ut aqua cum alveo uberiore fluxisset postea sponte ea desereret. Exemplū verò hoc ab agris aggere munitis sumpsimus, quia incrementum istic facilius notatur, cætera enim loca pariter cum alvei fundo crescunt, ut differentia hæc istic minus sit notabilis.

CONCLVSIO. Itaque causam explicavimus cur fluvialis aqua assidue sublimius fluat. Quemadmodum postulabatur.

14 PROPOSITIO.

Cur aqua ex terræ venis scaturiat declarare.

Terra ad justam altitudinem suffossa, aqua locis quibusdam tanquam ex fonte emicat: hanc tandem consistere, neque extra puteum exundare mirum quibusdam videtur, cujus causa hæc est. quod terra istis locis aquam tanquam spongia combiberit, ubi per venas, & tanquam siphunculos subterraneos occultis meatibus fluat; Itaque humidis his locis terra suffossa, aqua per venas delata loca petit depressiora, & tam diu crescit donec finitima omnis aqua altior ejus venæ exitu hâc confluat, inque altitudinem isti unde fluit æqualem assurgat. ultra autem crescere per naturam non potest, id enim esset perinde tanquam aqua humilior ex fossa in puteum vicinum eminentiori loco constitutum influeret. CONCLVSIO: Itaque scaturientis aquæ causam explicuimus. ut postulabatur.

15 PROPOSITIO.

Arenæ scaturientis causam declarare.

Terra ad justam altitudinem effossa, ad arenam vi quadam emicantem descenditur, hac exempta alia deinceps atque alia succedit, cujus scaturiginis ratio quo planior sit, notandum arenam eam scabram esse macramq; omni pinguedine destitutam, ut singulæ arenulæ lapillorum sint instar: harum cavitates (quandoquidem nulla pinguedine aut limo eæ contineantur) aqua ubique sunt refertæ, quam 14 propositione terram tanquam spongiam penetrare diximus. Cumque eò usque fossa depressa sit, aqua per arenam infusa emicat, quæ si rapidæ psammorrhoeç par existat, arenam sibi permistam una corripit. Notandum verò est scaturientem hanc arenam alia arena, similiter scabra asperaque tegi posse, quæ tamen ut subjecta non impellatur, quia aqua tanta vi istic non feratur, sed leniter tantum cavitates eas interluat arena glareaque immota. Ex quibus perspicitur arenam è scatebris emicantem, ab alia scabra asperaque arena natura quidem haud disparari, ut quibusdam placet,

sed loco id totum tribuendũ esse, quia depressiorem habeat situm ubi ab aquę scaturigine validius impellatur, validaque psãmmorrhœa protrudatur. Vt penitius inquirenti arena scaturiens non videatur aliud quàm aquæ è scaturigine emicantis impetu sursum ejecta, pari cum impulsu duratione, qua cessante quiescens, nomen cum re deperdat. CONCLUSIO. Itaque Arenæ scaturientis causam exposuimus. ut petebatur.

16 PROPOSITIO.

Quà nunc terra è mari extat quondam mare fuisse, & futuris seculis rursum fore: contraque terram fore, quà nunc mare est, declarare.

Mare à terra occupari ab alluvionibus fluminũ invectu natis inq; mare procurrentibus, insulisque in eorundem exitu liquidò constat: sic Schaldis ostio Zelandicæ insulæ prætenduntur: & Mosæ fluvio Hollandicæ. quæ tam copioso invectu augentur, ut paucis ante annis in Goereda insula agri aggeribus structis muniti sint, quâ nostrorum hominum ætate onerariæ naves tutò iter faciebant. Atqui quemadmodum alluviones istæ nunc augentur eodem modo etiam olim crevere. unde effici videtur Hollandorum regionem, mare quondam fuisse: atq; tum Rhenum invectu suo compestrem planitiem Bataviç, montanosq; agros altrinsecus, quâ Vada & Arenacium sita sunt, generasse: atque prioribus adhuc seculis per Geldriam mare se effudisse, novissimasque alluviones Clivensium finibus accrevisse: atque ita deinceps Rheni ripas cæterasque regiones retrorsum versus fontes relegendo. ubi in montibus quibusdam marinæ conchæ reperiuntur, quorum indicio patet eos colles arenaceos quondam fuisse. Præterea eosdem agros recenti fluminum invectu, quamdiu à locis quæ ab iis alluuntur materia terrea suggeretur, futuris deinceps annis magis magisque in mare excursuros credi par est. Quod quidem in Rheno flumine (si certi quippiam de regionum facie quas interluit judicari possit) non ita brevi finem habiturum est. quamvis saxosi Alpium montes unde exoritur (qui prius uberes fertilesque, & superioribus adhuc seculis grumi arenacei fuerant) nullam materiam ei cremento suggerant, reliquique montes indies minus minusque suppeditaturi sint, fieri tamen poterit ut ea loca quæ fluminis invectu jam nata sunt, tantum habeant, quantum à superioribus locis eluendo absumptum sit, id est agros materiam suggerentes infra tantum crevisse, quantum supra decreverint.

Par ratio Ægyptiacæ, Borussicæque, cæterarumq; omnino alluvionum per universum terrarum orbem intelligatur. unde efficitur, loca ea quæ nunc marinis fluctibus teguntur terram olim occupaturam. Vicissim autem ut mare terram invadat, tum demum continget, cum omni terrosa pinguede eluta, flumina nullam novam materiam in mare invehent, tumque rupes & saxa marinis fluctibus pulsabuntur & exedentur, quæ tamen ejus impetum diutiusculè retundent frangentque: quemadmodum hoc seculo in Norwegia animadvertere licet, olim enim rupes istæ continenti jungebantur, nunc verò sparsæ in mari & quasi disseminatæ jacent altissimis cinctæ fluctibus, quia à rupibus nulla materia confluit unde littora gignantur quæ mare summoveant, ut olim dum arenaceæ, pinguesque essent. Etenim rupes istæ fertiles uberesq;

montes

montes quondam fuere, antea etiam colles arenacei, & prius adhuc mare; rursúmque futuris seculis à mari exesæ fluctibus obruentur. cum assiduo eorum impulsu attenuentur. si quidem guttulæ casu crebro lapidem durum cavent; multò idem vehementius à sali & undarum vi perficitur.

CONCLVSIO. Itaque Terram hanc marinis fluctibus obrutam iri, maritimaque loca in terram conversa iri declaravimus. ut decuit.

ATQVE ITA
TERRESTRIS GLOBI HYLOCINESIS
FINIS ESTO.

TERTIVS LIBER
GEOGRAPHIAE
DE
T E R R E S T R I
*A T M Æ O R I A.

** Vaporium altitudine.*

BREVIARIVM
ATMÆORIÆ.

SOl mundi oculus extrinsecus, ignisque essentialis intrinsecus, aquam & terrenos humores suis caloribus incitant & sursum pellunt, ut perpetuo vapor adspectabilis inde sublimè feratur (quomodo autem is cerni possit infra dicetur) qui tanquam peculiaris quidam globus terram ambiat, isti usui qui in terrestris globi hylocinesi latius expositus est, ut videlicet hinc generentur magnæ & generales terrenarum materiarum compositiones resolutionesque. Quia vero humana ratio rerum istiusmodi accidentia cognoscendi cupida sit, veteres (quos ab erudito usque seculo repeto) studiosius inquirentes, animadverterunt vaporem hunc crepusculi efficientem esse causam; iisdemque initiis & mathematica via progressi crassitiem ejus & à terra altitudinem dimensi sunt, quæ ab Allaceno *luci reddita à* Gerardo Cremonensi *ex Arabicis Latina facta sunt, quem* Petrus Nonius *deinde Commentario illustravit. Vnde nos nostram istam Atmæoriam descripsimus, nostroque more digessimus.*


I PROPOSITIO.

Qua ratione Atmosphæra cernatur, eademque crepusculi causa sit exponere.

PRiusquam vaporum à terra distantiam inveniendi viam recludimus; ante & esse, & quomodo cernatur, & quibus initiis progressi veteres hæc indagarint exponam; Certe multis indiciis manifestum est sole ante ortum 15 gradibus infra horizontem adhuc depresso albedinem quandam diluculi per cœlum diffundi, & nobis videri, quam à crepera luce crepusculum generali nomine, speciatim verò auroram dicunt, ea latius serpēs per verticis punctum in Occidentem usque spargitur.


Sed quo id clarius sit, A B C D terrenus esto globus, quem Atmosphæra E F G H I undiq; ambiat; A oculus, cujus horizon physicus & sensibilis E F, utrimq; in atmosphæra ad E & F terminatur: deinde utrimque à solis ambitu duæ rectæ K G, M I terram contingant in B & D, secentque Atmospheram in G & I. Quibus positis, liquet Atmosphæram solaribus radiis illustrari ab I versus H in G, reliquum vero G F E I, eorum esse expertem, unde I H G candore quodam perfunditur alterius coloris quam tenebricosa pars G F E I: & consequenter in ea quoque vaporum parte quæ supra horizontem physicum E F sublata est, candor iste ab oculo A conspicitur.

I FORM.



Sole au

2 FORM.




Sole autem ad ortum propius accedente ut 2 hâc figuratione, ubi iidem characteres easdem notiones sibi habent subjectas, quas superiore, illustrata albicans vaporum regio I H G propius jam ad spectatorem G inclinata est. attamen in spacio E F nullus candor adhuc ab spectatore A animadvertitur.

Atqui Sole K L M N, ut in 3 figura ulterius progresso, illustrata albicansq; ea pars I H G, propius abest à spectatore quam in 2 diagrammate, nam G hic appulit ad F. attamen in vaporum regione supra physicum sensibilemque horizontem sublata, ab oculo spectantis A nihil candoris etiamnum animadvertitur, quamvis ejus initia, hoc est auroræ principium, eo loci jam sit, & albedo statim sit oritura.


Sole au-

3 FORM.



Sole autem KLMN promoto ortuique viciniore, ut in 4 diagrammate, jam illustrata albicans pars IHG principio suo G supra physicum horizontem EF emersa est: ut ab oculo A omne inter GOF comprehensum illustratum videatur: atq; paulatim solis accessu tenebris discussis tota pars FGE crepera albaque luce perfundetur.

G Quæ




Quæ cum à se satis lucis habeant & manifesta sint, demonstrationis non indigent. CONCLVSIO. Itaque quo medio Atmosphæra conspiciatur dictum est, & quomodo eadem auroræ causa sit. quemadmodum oportuit.

2 PROPOSITIO.

Altitudine summi solis limbi infra horizontem ad initium matutini crepusculi data, vaporum à terra sublimitatem in partibus 10000000 semidiametri terrestris explicare.

DATVM. Esto Terrenus globus ABCD, centrum E; mathematicus horizon AD, atmosphæra FGHI, spectatoris oculus B, ejusque physicus horizon GH, cujus terminus utrimque vaporum ambitui occurrat in G & H: & à summo solis limbo recta KH cum physici horizontis termino connexa terram tangat in C. His positis, propter rationes 3 diagrammate 1 propositionis expositas, auroræ istic erit initium. Quo tempore solis centrum 19 gradibus (ut *Allaceni* exemplum imitemur) infra horizontem depressum statuimus. anguloque à sole subtenso 33 ① æstimato, ut plerumque fit, centrum à superiori limbo aberit 16 ① 30 ②, tantoque summus limbus horizonti erit



ti erit vicinior quàm suum centrum: atq; adeò is duntaxat 18 gr. 43 ① 30 ② infra horizontem deprimetur. Hinc EB terræ semidiameter continuetur in L, ut BL vaporum altitudinem notet. QVÆSITVM. Vaporum altitudo BL in partibus semidiametri EB 10000000 invenienda est.

CONSTRVCTIO.

Acta EH secet terræ ambitum in M. jam triangulum BEH tres cognitos habet terminos; latus enim EB partium est 10000000, angulus EBH rectus, BEH 9 gr. 21 ① 45 ② semissis dati 18 gr. 43 ① 30 ②, cujus causam infra dabimus. quorum subsidio latus EH, per 2 exemplum 4 propos. planorum triang. invenitur 10135006.
Hinc deducta EM æquali ipsi EB 10000000.
Relinquitur MH, id est quæsita Atmæoria BL ipsi æqualis 135006.
PRÆPARATIO. Connectito EC, & ducito EN parallelam contra HK.

DEMONSTRATIO.

Cum summus solaris globi limibus infra mathematicum horizontem ED; 18 grad. 43 ① 30 ② ex hypothesi deprimatur, angulus DEN erit 18 grad. 43 ① 30 ②, cui BEC æqualis ita arguitur. quandoquidem KH circulum ABCD contingit in C ex thesi, CK necessario perpendicularis erit in CE cumque EN parallela sit contra CK per fabricam, angulus CEN quoque rectus fuerit, ut BED, atque hinc BEC efficitur æqualis ipsi DEN, hoc est, 18 grad. 43 ① 30 ②. verum cùm semisis anguli BEH, semisis sit ipsius BEC, nam ab H duæ rectæ circulum eundem contingunt in B & C, ipse BEH erit 9 grad. 21 ① 45 ②. Reliqua operis pragmatia per se manifesta demonstrationis luce non eget.
CONCLVSIO. Itaq; cum scitur quantû solis superior limbus ad auroræ ini-

tium infra horizontem deprimatur, vaporum supra terram altitudinem in partibus semidiametri terrestris 10000000 invenitur. Quod erat faciendum.

I CONSECTARIUM.

In promptu igitur est invenire quot decempedis, miliaribus, aliisvé mensuræ generibus in quaq; regione usitatis, vapor supra terram extollatur. Etenim singulis gradibus 18 miliaribus, ut fere fit, taxatis, quorum singula homo expeditus singulis horis conficiat, & ratione diametri ad perimetrum ut 7 ad 22: hinc efficitur semidiametrum terræ 2062 miliaria proximè complecti. unde proportio: ut semidiameter terræ 10000000 ad altitudinem vaporū 135006, sic terræ semidiameter miliarium 2062 ad quem? Concludes vaporum altitudinem sive atmæoriam $27\frac{8382372}{10000000}$ miliarium, quorum singuli una hora conficiantur, & in Hollandia 1500 Rhenanis decempedis taxantur.

Si quis forte *Allacenum*, ejusque paraphrastem *Petrum Nonium* de vaporum altitudine legerit, nosque ab illis dissidere animadverterit, neque utris assentiatur judicare possit, is ita habeat.

Cum K C H per hypothesin auroræ sit effectrix, hinc numeratio ordienda est ad inveniendam M H, non autem ab ea quæ è solis centro educitur, quemadmodum ab *Allaceno* fit; quando enim è centro solis recta educta terram stringit & continuata ad physicum horizontem pertingit, tum primum auroræ initium esse nequit, sed jam transisse necesse est, quia pars atmosphæræ albicat, & jam illustrata sit, quatenus à superiore solis parte lux diffunditur. Itaque si sub auroræ initio centrum Solis 19 grad. sub horizonte deprimatur, æquum est à limbo supremo 16 ① 30 ② sublimiore calculi rationem institui, qui sub horizontem duntaxat 18 grad. 43 ① 30 ② deprimitur, quemadmodum hoc exemplo à nobis expressum est.

Deinde non est necesse rationem ejus haberi quod amplius hemisphærio à Sole illustretur. Enimvero è 3 figura primæ propositionis manifestum est si K G justa altitudine infra horizontem depressa assumatur non referre quo I punctum pertineat, quæve ratio diametrorum Solis & Terræ sit, siquidem universa hæc negotio isti nihil varietatis inducant, & in epigolismo adhibita errorem creant. Neque id ipsum usque adeo elegantis propositionis primos inventores (qui ut dictum est prisci illi eruditi seculi homines fuisse videntur) latuisse crediderim, siquidem Mathematum callentissimi fuerint. ut omnia ista ab Arabibus addita videantur, à quibus, ut in pluribus aliis contigit, hoc negotium interpolatum corruptumque sit. Quamvis autem *Allaceni* conclusio parum à nostra absit, angulum enim B E H 9 grad. 23 ① 2 ② definit, quem nos 9 grad. 21 ① 45 ② esse docuimus: non arbitror tamen ejus viam usurpari debere; cum, quod inter eum & nos casu duntaxat aliquo differentia tantula intersit (nam secunda ejus supervacua supputatio prioris errores tegit & quasi corrigit) tum etiam quod æquum sit numerationem stabili & certo principio institui, cum hinc rerum causæ facilius feliciusque promantur, ad quas plene retegendas multa nos nunc deficiunt. Itaque deinceps pauca subjiciam

QVA

QVA VIA AD PENITIOREM EIVS COGNITIONEM PENETRARE POSSIMVS.

Vapor hic causa creditur à quo luminosa cœli corpora refractione afficiantur; & quo ad polum propius conceditur eo refractio major fit, magisque notabilis. itaque utile foret si hujus Atmæoriæ scrutatores, in sua quisque regione in refractionis quantitatem animum intendant. Enimvero si ad auroræ initium Sol eo loco constitutus assumatur quem sphærica triangula ostendunt, tantum à vero recederetur, quantùm à refractione afferretur. quod in regionibus Septentrionalioribus nimium sane foret. Præterea si in variis regionibus distantia multum disparatis, crebræ observationes instituantur, hinc etiam causæ cur major in Septentrione refractio sit cognoscerentur, utrum ea à sublimioribus vaporibus, an verò ab humidioribus existat an ab utrisque. Atqui cum res hæc nō à paucis, sed tantum multorum sociali studio, communi instituto, linguaq; ipsis vernacula commodè perfici queat, ut 1 Cosmographiæ libro fusius disputatum est, homines autem istius periti nimis quàm pauci sint, brevi magnus fructus istinc non est sperandus. Ideoq; contenti erimus, viam demonstrasse & digitum ad fontem quasi intendisse, quomodo negotium hoc confici & absolvi possit.

3 PROPOSITIO.

Qua ratione nubium altitudes interdum commodè dimetiri liceat.

Quandoquidem Atmæoriam explicandam suscepimus, nubesque vapor sit, de quarum altitudine quandoque etiam disquiritur, ejus data occasione dimensionem commodam explicabimus.

Aëre sereno nullisque ventis concitato, nubecula aliqua aptæ & concinnæ figuræ separatim lentissimo motu feratur, quæ umbram in planiciem campestrem jaciat, hujus latitudine dimensa, anguloque, quem ea linea in nube spectantis respectu occupet, observato, ejus a terra distantia inveniri potest. sed hæc generatim dicta specialibus exemplis illustrabimus.


1 *Exemplum Sole supra verticem constituto.*

DATVM. Nubecula A B C D optatam habeat formam, & à cæteris seorsim lentissime commoveatur, umbraque ejus in planiciem campestrem conjecta esto E F G H, ea major videbitur ipsa nube, cum tamen paullo sit minor: Sol autem jam supra verticem constitutus intelligatur.

QVÆSITVM. Quantum nubes ab umbra sua in campo expressa distet, invenire.

CONSTRVCTIO.

Vmbram apparenti nubis perimetro ABCD ſimilem eſſe manifeſtum eſt, tantoque minorem quantum à ſolaribus radiis abſumitur, de quo mox preſſius dicetur. Itaque circa umbræ mediū ſtationem occupato in I, animoq; notatis terminis E, G utpote umbris ipſorum A, C, angulum AIC aſtronomico radio dimetitor, is inventus eſto 4 gr. & diſtantia EG cognita. Atqui ut angulus hic AIC, interſtitiumque EG certius cognoſcatur, duobus adminiſtris ad EG terminos umbrę collocatis, ipſe inter eos fere medius ad I cōſiſtito, ut omnes in E, I, G ad rectam lineam cōſiſtatis, ſi enim ab ea medius ipſe declines dato ab altero extremorū ſigno in ordinem cogi poteris, atq; ita univerſis pari progreſſu umbram ſequentibus, radio Aſtronomico angulum AIC à nube ſubtenſum obſervato, quo invento extremus uterque ſe amplius ſuo loco ne commovento, ipſorumq; inter ipſos diſtantiam menſurato, nubemque deinceps miſſam facito.



Et angulus quidem is eſto	4 gr.
Hinc deductus angulus à Solis corpore ſubtenſus	33 ①.
Relinquit	3 gr. 27 ①.
Interſtitium verò EG eſto decempedarum	100.

Tumque proportione concludito: ut 3 gr. 27 ① hoc ordine tertius ad angulum à Sole ſubtenſum 33 ①, ita 100 decempedæ ad decempedas 16 proximè.

Ea cum EG 100 decempedis compoſitæ efficiunt AC decempedarum 116


Tumque acta IK perpendiculari in AC, triangulum AKI tres cognitos habebit terminos, AK quidem 58 decempedarum, cum ſit ſemiſſis totius AC 116 decempedarum, hoc ordine ſexti, angulumque AIK 2 grad. utpote ſemiſſem ipſius AIC 4 grad. hoc ordine primi, denique angulum AKI rectum, quorum ſubſidio per 1 exemplum 4 propoſitionis planorum triang. invenitur IK proximè decempedarum 1661.

PRÆPARATIO. Ne figura hæc novis lineamentis obſcuretur, altera ABCDEFGHIK eodem ſignificatu figuretur, aganturque KE, KG, AE, CG: atque EG utrinque continuetur in L & M, ut AL & CM utræque perpendiculares cadant in LM.

DEMON-


DEMONSTRATIO.

Quemadmodum LKI ad LKE, sic (propter earum exiguitatem) LI ad LE quam proximè per propositionem . . libri 2 doctrinæ Motus Cœlestis. Sed LAE ipsi LKE proximè item æqualis est, quare ut LKI ad LAE, sic LI ad LE. LKI autem & AIK 2 gr. semissis nempe 4 gr. anguli AIC æquantur. & LKE angulo à sole absumpto 16 ① 30 ② æquatur. itaque ut 2 gr. ad 16 ① 30 ②, sic LI ad LE. & dividendo ut 1 grad. 43 ① 30 ②, ad 16 ① 30 ②, sic EI ad EL. & sic eorum duplicia, hoc est, 3 grad. 27 ① ad 33 ①, ut EG ad LE & GM simul. atque adeò cum in cōstructione diceremus ut 3 grad. 27 ① ad 33 ①, sic EG 100 decempedæ ad 16, quartus hic LE & GM lineas conjunctim comprehendebat, quæ additæ ad EG 100 dabant totam LM 116 decempedarum. Sed AC & LM æquales sunt, AC igitur tantundem valebit, hoc est, 116 decempedas, qui numerus in constructionis ordine sextum locum supra occupat. Cætera demonstrationis nihil egent.



2 *Exemplum Sole à vertice inclinato.*

Cum autem Sol vertici non imminebit, sed inferiore loco consistet, quod frequentius solet, operis ratio talis erit. Planum per solis centrum, umbræque medium horizonti ad perpendiculum imminere animo concipito, cujus termini in ejus ambitu loco commodo cadant (quæ oculorum judicio exactè satis, quantum res postulabit, perficientur) ea ad lineam à se adumbratam, & in nubibus similiter sitam erit, tanquam EG ad AC in superiori exemplo; his terminis pragmatiam antecedentem secutus optatam distantiam concludes; Lineæ verò reliquæ ab his diversæ in opere nihil certi solidivè præstabunt, cum longius quam par sit exporrigantur. Soleque ad horizontem magis ac magis inclinante, illarum inconstans ratio magis magisque vacillabit, cujus veritas ex Opticis liquet.




Si verò, inventa nubis à metante distantia, altitudinem ejusdem horizonti perpendicularem cognoscere cupias, ea item ex angulo quo nubes supra horizontem attollitur, cognoscetur, hic dicis gratia inventus esto graduum 45, jam describito triangulum rectangulum NOP, ubi OP planitiem

campeſtrem deſignet, N nubis punctum id ad quod dimenſio illa fuit inſtituta, P locum obſervantis, P N ejus à nube inventam diſtantiam, N O P angulum altitudinis 45 graduum, N O perpendicularem in horizontem ab nube demiſſam, quæ optatam ejus altitudinem à terra indicat: ad cujus inveſtigationem triangulum N O P cognitos tres terminos ſuppeditat, latus N P, angulum P 45 grad. & O K rectum, quorum ope N O per 4 planorum triangulorum propoſitionem pateſcet. Cujus demonſtratio ex operis conſequentia manifeſta eſt.

3 *Exemplum Sole remoto.*

DATUM. Eſto A B C D nubecula forma expoſita, id eſt, concinna, atque à cæteris disjecta leniter verſus verticis punctũ directè (ob cauſas mox dicendas) feratur. QUÆSITUM. Quæritur nubis hujus ſublimitas ſupra terram.

CONSTRUCTIO.



Duo è ſuis quiſque ſtationibus, inſtrumento captandis angulis idoneo, triquetro, aut circulo in gradus diſtributo, ut E F G H I, K L M N O, cujuſmodi ferè in aſtrolabii dorſo deſcribitur, intervallo decempedarum aliquot, puta 100, aut 120 pro ratione nubis ſupra terram ſublati diſtantes, lineas horizontales H F, N L pinnacidiorum ope in directum inter ſe collocabunt, his cõſtitutis μοιρογνωμόνια ſive indices circa ſua quiſq; centra I, O, eodem momento (quod mutuis indiciis inter ſe ſignificabunt) ad idem nubis punctum convertantur, dextrorſum quidem in B, vel ſiniſtrorſum in D: non autem antrorſum retrorſumvè in A aut C, cujus cauſam poſtea explicabimus. uterque igitur collimet in B. jam triangulum fictitiũ B O I tres habet cognitos terminos: angulus enim B I O in inſtrumẽto E I F definitus eſt, itemque B O I in K O N, & diſtantia I O menſura applicata menſu-

menſutari poteſt. Vnde per 4 propoſ. plan. triangulorum latera I B, O B in partibus ipſius O L dcprehenduntur.

NOTATO.

In dato, ſeu hypotheſi poſtulavimus nubem rectà à vertice te verſum, aut contra à te rectà verſus verticem ferri, idque ea cauſa, quod operi major certitudo hinc exiſtat, quam dum in latus movetur ab D in B, aut contra à B in D: Nam quamvis metatores tum ad idem punctum haud colliment, differentia tamen quæ hinc ſuborietur omnino nullius erit momenti, cum recta ab O ad aliud id punctum, ipſi O B proximè æqualis ſit: itemque ab I ad ſimile punctum, ipſi I B propemodum æquetur. Atqui ſi ad A aut C colliment, id certè longè majorem differentiam induceret quam lineæ O B, aut I B.

CONCLVSIO. Itaque ad nubium à terra diſtantiam commodè quandoque menſurandam viam recluſimus. Quod poſtulabatur.

ATMÆORIÆ FINIS.

QVARTVS LIBER
GEOGRAPHIÆ,
DE
*HISTIODROMIA.

* *De velificationis cursu quam diximus Nausiporiam.*

BREVIARIVM
HISTIODROMIÆ.

QVandoquidem crebræ ex his regionibus in longinquas terras navigationes, multos incitarint ad investigandum subsidia maritimis longinquis itineribus utilia, quæ singuli, suis rebus studentes, PRINCIPI ILLUSTRISSIMO *maris Arcithalasso exhibebant, ista Hydrographiæ occasione maximè ad Mathematum exercitia studiaque excitatus est: ut utilissima & subtilissima quæque in Hydrographia, quæ quidem sciam de ea monimentis literarum consignata, perscrutatus sit. Quare ex ea Hydrographiæ materia quartum hunc librum de Histiodromia, quintum de Limeneuretica, sextum de æstibus marittimis in accessu & recessu expediendos selegimus, quia peculiare quiddam in his annotavimus, quæ inter Mathematica Hypomnemata locum sibi deposcant. Ad cætera autem hujus materiæ varii scriptores de iis rebus tractantes hypomnematismi loco erant, quos omnes ipse perlustravit.*

Histiodromiæ subjectum quatuor definitionibus, & undecim propositionibus expedivimus, earum duæ priores ὀρθοδρομίαν *seu rectas velificationis lineas, cæteræ* λοξοδρομίαν *seu curvas explicabunt. Cui tandem Appendicem de curvis lineis, seu obliquo cursu adjecimus.*

DEFI-

DEFINITIONES.

1 DEFINITIO.


Lineæ velificationis sunt eæ, quæ navium velis instructarum cursu describuntur.

Sic navis ab oriente in occiduam plagam velis contendentis cursus, quem tenuit, generaliter velificationis linea dicitur: speciatim vero cursus eurozephyrius, similiterq; cæteri à cæteris ventis, aut mundi plagis nomen sortiuntur.

2 DEFINITIO.

Rectum cursum seu ὀρθοδρομίαν dicimus brevissimam terrestris globi inter duo puncta peripheriam.

In Terræ globo A B C inter duo puncta A & B brevissima peripheria assu-



matur A B, ea necessariò erit maximi circuli: Hujusmodi in nautica pyxide nunc designantur, orbe ejus duabus & triginta lineis radiato, quæ in plano terrestri usque ad horizontem educi animo concipiuntur, aut in globis è materia solidis vulgatos 32 tractatus, seu ventos descriptos exprimunt.

Atqui si cui novum videatur curvas peripherias rectarum linearum appellatione usurpari, is sciat hanc rectitudinem ita considerari, quatenus in neutram partem inclinet, quod in obliquo cursu, cujus definitio sequitur, secus est.

3 DEFINITIO.

* vide def. 3. 1. lib. Geog.

Nave extra * emmesocyclum & meridianum ita velificante, ut peripheria ab carina in axem educta in carina eundem angulum perpetuo comprehẽdat, cursum quem ista velificatione navis describit, obliquum dicimus.

In 2 definitionis diagrapha D terræ polus sit, E navis, ab A instructis velis cucurrerit in E, ut peripheria E D ab carina F G ad polum connexa eundem angulum semper cum ea comprehendat F E D, quod contingeret si navis in plagam à nautica pyxide duntaxat indicatam contenderet, acu verum septentrionem tantum indicante. His positis linea seu peripheria A F E quam navis descripsit obliquus cursus dicitur. jam si angulus F E D rectus assumatur, navis rectà in Eurum Zephyrumve contendit, & A E peripheria circuli minoris erit: eoque cursu continuato, circulo descripto in A punctum unde moveri cœperat denuo rediret. Vnde liquet rectũ rursum versus Eurum A B, ab obliquo A E longe disparari; Atque majoris evidentiæ ergô C verũ orientem notet in communi horizontis & emmesocycli intersectione, A punctum quodcunque infra verticem, B in peripheria A C, & A F E statuatur æqualis ipsi A B. Itaque si navis ab A versus C currat in peripheria A C, ei qui in A consistet rectà in orientem contendere videbitur, at verò non ei qui in navi versabitur, qui assiduè majorem differentiam animadvertet, ut si A 50 gr. latitudinem habeat, navis cum devenerit ad C videbitur 50 grad. ab oriente aquilonem versus declinasse. Vicissim quamvis B ab A rectà ortum versus jaceat, navis etiam vectori videatur ortum petere, nunquam tamen pertinget ad B, sed longissime diversa abibit in E, supposita, ut prius quoque, peripheria A E æquali ipsi A B.

Notato præterea quamvis B ab A versus verum orientem situs sit, nõ tamen A ab B ad veri occidentis plagam jacere, quorum differentia in majoribus peripheriis magna esse possit. Sic ab loci latitudine 45 gr. peripheria 90 gr. recta versus orientem statuatur: rectus cursus ab orientali plaga versus reliquam, non directa in occidentem tendere videbitur, sed tantum in septentrionem declinare quanta sit dicti loci latitudo, videlicet 45 gr. quæ recta versus borrozephyrum declinant. Vt ab occidẽtaliori loco in orientaliorem contendenti, rectà ortum versus cursum instituere necessum sit: cõtra autem ab oriente versus alterum locum naviganti (ut rectum teneat cursum, nam in obliquo, reditus oppositi ejus venti nomen sortitur, unde velificatio primũ instituta intelligitur) in plagam notozephyriam. Et si latitudo loci 57 gr. foret, ea differentia quoque 57 gr. esset, quæ quinque vulgares tractus seu rumbos, excedit.

Quantoque ad polum propius acceditur, eo differentia ista in longinquis naviga-

navigationibus facilius animadvertitur, idque ob notas causas, quæ in Globo terrestri idoneis additamentis instructo manifestæ sunt. Vt naucleris, qui ea loca petant novasque terras inquirant, hujus rei cognitio necessaria sit, namq; imperitis contingit, ut navi alium in locum, quam ipsorum conjecturæ ferebant, disjecta, id initio æstibus occultis imputent, cujus tamen causa esse possit, quod hæc ipsa minus accuratè quam par erat observarint.

Atque hactenus de obliquo eurozephyrio cursu dictum esto, qui perpetuo circulus est, cæteri verò (præter meridianum & emmesocyclum) helices sunt, quarum forma sequentibus propositionibus explicabitur.

4 DEFINITIO.

* Λοξοδρομίαι nomina sortiuntur in suis quisque quadrãtibus à vicinitate meridiani circuli ut prima sit ei proxima, deinde secunda, atq; eo ordine ad octavam cõtinuato.

* obliqui cursus.

Sic in quadrante horizontali inter Orientem & Septentrionem comprehenso, λοξοδρομία meridiano circulo, hoc est Septentrioni, jam proxima, qui nautis nostris *Noordt ten Oosten*, id est, βορέας ἐπ' ἀπηλιώτην dicitur, prima λοξοδρομία appellatur. *Noortnoortoost* seu βορέας βορραπηλιώτης secunda, *Noortoost ten Noorden*, seu βορραπηλιώτης ἐπὶ βορέαν tertia, eoque ordine ad octavam usque continuato, quæ λοξοδρομία emmesocyclo semper est parallela. Eadem ratio in reliquis tribus quadrantibus observetur.

Tractibus his, præterquam quod à ventis appellationem sortiantur, ab ordine quoq; nomina indimus, ut λοξοδρομίαν primam, secundam, tertiam, atque ita ad octavam continuemus, quia quatuor similiter siti tractus, verbi gratia, *Noordt ten Oosten*, *Noordt ten Westen*, *Zuydt ten Oosten*, *Zuydt ten Westen*, id est, βορέας ἐπ' ἀπηλιώτην, βορέας ἐπὶ λιβυκόν, νότος ἐπ' ἀπηλιώτην, νότος ἐπὶ λιβυκόν, formam habeant admodum cognatam & magnitudine æqualem, unaque harum cognita omnes cognoscantur, eodemq; præcepto omnes comprehendantur: doctrinæ autem claritati expedit omnes istas species communi nomine contineri, ut hîc loxodromiæ primæ, quo tanquam genere reliqui contineantur, neque opus sit quatuor ventos pariter appellari, aut uno duntaxat nominato reliqui præteriti videantur.

PROPOSITIONES SUCCEDUNT.

CVm PRINCEPS multò ILLVSTRISSIMVS *Petri Appiani & Gemmæ Frisiæ Cosmographiam* ad caput 13. legendo cõtinuasset, & postea ad cap. 7. *in libello de locorum scribendorum ratione* devenisset, ubi modus distantiam duorum locorum investigandi docebatur, ea transiliit, cum quia pragmatia nullis demonstrationum mominibus firmaretur, tum etiam quia sphæricorum triangulorum doctrinam nondum edoctus erat: postmodum autem cum sese in hac exercuisset, memor locorum quos istis capitibus negligentius inspexerat, ipsis aliam pragmatiam ab ipsa origine & mathematica demonstratione repetitam substituit, neque solum ad locorum inter se distantiam anquirendam,


H 2 verum

verum etiam ad omnium terminorum, qui in istiusmodi thesi occurrere possint, investigationem catholica, & quasi regia via contendit.

I PROPOSITIO.

E duorum locorum sex istis terminis, Recto cursu primi loci ad secundum; aut secundi ad primum; longitudinis differentia: arcu differentiæ latitudinis primi loci: arcu differentiæ loci secundi; locorumque distantia, tribus quibusque cognitis, tres reliquos ignoratos terminos invenire.

DATUM. ABCD globus terrestris esto, cujus emmesocyclus BD, cujus initium D, polus A, primus locus in E, secundus in F, quæ peripheria maximi circuli EF, tanquam distantia connectuntur: Per loca EF duo quadrantes AEG, AFH traducti sunto, ipsiusque E latitudo esto EG 10 grad. arcus igitur differentiæ AE 80 grad. Deinde ipsius F latitudo FH 30 grad. ideoque arcus differentiæ AF 60 grad. longitudo loci E esto DG 20 grad. ac loci F longitudo DH 60 grad. ut GH differentia longitudinis duorum E, F, sit graduum 40. Atque adeò ex istis sex tres termini sint cogniti, AE quippe & AF latitudinum arcus differentiæ, & GH differentia longitudinis locorum. QUÆSITUM. Tres ignorati termini inveniendi sunt, id est, directi cursus linea EF, seu quo cursu rectà ab E in F contendendum sit, vel quod idem est, quantus sit angulus AEF. secundo cursus FE, seu amplitudo anguli AFE. Tertio distantia seu locorum intervallum, quæ magnitudine peripheriæ EF definitur.



Notato, qui commodius tete expedias, sex terminos propositione expositos, sex esse terminos sphærici trianguli, tres nempe angulos & tria latera, qui istis nominibus propter subjectam materiam appellantur.

CONSTRUCTIO.

Cum peripheria GH 40 sit graduum, pro amplitudine anguli EAF, triangulum AEF tres terminos habet notos, ipsummet AEF 40 grad. latus AE 80 grad. AF 60 grad. ex hypothesi. quorum ope reliqui ignorati eruuntur per

per 40 propof. fphæricorum triangulorum, angulus quidem A E F pro curfu E F 55 grad. 51 ①, tantum ab Borea in Eurum declinans, angulus A F E pro curfu F E 109 gr. 44 ① tantum ab Borea occafum prætergreffus in Auftrum declinans, hoc eft ab occidente in meridiem 19 gr. 44 ① concedens. Denique diftantia E F 42 grad. 15 ①.

CONSECTARIUM.

In promptu igitur ex tribus quibusque datis tres ignoratos perquirere, ut nihil fit neceffe figillatim ifta exemplificari, cum varietas magna hinc fuppullulet, fextuplex videlicet ad fingulos horum fex terminos.

CONCLVSIO. Itaque cognitis tribus quibufcunque duorum locorum terminis ex hifce fex. recto curfu primi loci ad fecundum; aut fecundi ad primum; longitudinis differentia; arcu differentiæ latitudinis loci primi; arcu differentiæ loci fecundi; locorumque diftantia, tres reliquos ignotos invenimus. Vt petebatur.

2 PROPOSITIO.

Recto curfu velificari.

Cum PRINCEPS ILLUSTRISSIMUS penitiffimè velificationem curfus obliqui, quam huic mox fubjungemus, percepiffet, atque cum iis rectum curfum côtenderet, qui breviffimus eft, placuit pro methodi ratione præcepta primum tradi, quomodo rectus curfus velificando teneri poffit: Qua de caufa accuratius in id animadverti, & quidquid ejus occurreret annotavi, quæ duobus exemplis altero mathematico, mechanico altero complexus fum.

1 *Exemplum mechanicum.*

DATUM. In fuperiore figuratione punctis A, B duo loca in terreftri globo defignentur, & A quidem unde navis folvat, B quo contendat.

QUÆSITUM. Quopacto liceat ὀρθοδρομεῖν ex A in locum B.

CONSTRUCTIO.

Loca A, B maximi circuli peripheria deletili connectantur, quâ navis rectus curfus adumbretur, tum A ad verticem conftituto, & hinc ad B circulo verticali perducto oftendat, verbi gratia, B recta ab A occidentem verfus jacere. Quibus pofitis ab A verfus B rectâ in occidentem contendes, quantum conjecturæ loci datur, ut puta tres quatuorvé gradus, ut ab A in H. fignatoque puncto ad meridianum devolvatur fub verticale punctum, polo pro ratione depreffo, & rurfum arcus à vertice per B punctum deductus oftendet in horizonte B ab H trium graduum intervallo diftare ab occafu in meridiem reflexum. tum rurfum fervato eodem curfu ab H per B 4 aut 5 gradibus velificando continuatis, ut in I, quem ad locum navis ubi devenerit, idem opus iteretur quod in H, & curfum magis adhuc in meridiem verfus B dirigendum animadvertes, quam in H fit factitatum. qua ratione curfus aliquoties flectendus, & quafi moderandus erit, donec ad B erit devenrum, atque optatum tenueris rectû curfum per A B: modo membra itineris & quafi ςαδιασμοὶ A H, H I fimiliaque cætera minuta fatis ufurpentur. nam quamvis pro peri-

pheria maximi circuli AH, alius teneatur cursus minoris circuli in boream magis paullò inclinatus, & pro reliquis segmentis peripheriæ A B, helicum volutarumvé minuta segmenta peragrentur, attamen istiusmodi segmenta si frequenti directione corrigantur, parum à vero aberunt ut eorum differentia non sit habenda pensi.

Notabis autem operis certitudinem hoc pacto explorari posse. cum navis appulerit v.g. ad H, sole aut sideribus dimensis, si eadem latitudo ab ipsis præstetur quæ in desormato terreno globo ab H ostenditur, id inquam minime lubricum argumentum videtur navem directum tenuisse cursum.


CONSECTARIUM.

Si in emmesocyclo esset decurrendum, certum est tum rectà orientem aut occidentem peti; Atque in Meridiano eodem, Meridiem aut Septentrionem.

2 *Exemplum mathematica via expeditum.*

DATUM. A & B loca data in terreno globo sunto, atque navis ab A solvens contendat in B; C mundi polus, D E emmesocyclus, latitudo loci A, esto E A 50 gr. atque B, F B 5 gr. ipsorum inter ipsa longitudinis differentia F E 83 grad.

QUÆSITUM. Recto cursu velificandum ab A in B, isque mathematicè inveniendus, per triangulorum sphæricorum epilogismum.



Ad priorem operis partem præparatio.

Ducito ab A in B peripheriam maximi circuli in qua navi decurrendum sit, eademque continuata secet emmesocyclum in D, & E A producta ad polum pertineat in C, eritque segmen A C 40 grad. cum ab E C 90 gr. peripheria E A 50 grad. deducta sit. denique F B in polum C educta, faciet B C 85 grad. nam de F C 90 grad. deducta peripheria F B 5 grad. exhibet reliquam B C 80 grad. angulus porro B C A mensuratur amplitudine peripheriæ F E 83 grad.

1 Constructionis pars.

Principio ut cursus quo ab A curritur in B patescat, cognoscenda ante est amplitudo anguli C A B, tantum enim ab Septentrione versus occasum declinandum erit. Cui negotio via sternitur à triangulo C A B, ejus enim tres termini per præparationem cognoscuntur, angulus quippe B C A 83 grad. latus A C 40 grad. & B C 85 grad. unde per 40 propos. sphæricorum triang. tres ignorati termini expediuntur, angulus C A B 92 grad. 8 ①, locorum distantia

stantia A B 81 gr. 41 ①; angulusque CBA 39 grad. 45 ①. Iam quantus est angulus C A B videlicet 92 gr. 8 ①, tantundem ab A à Septentrione ultra Occidentem versus Meridiem erit cursus inclinandus, id est 87 grad. 52 ① ab Meridie versus Occidentem, qui cursus continuetur dicis gratia 4 gr. usque in G, ut A G eosdem 4 grad. valeat.

Ad posteriorem operis partem præparatio.

Quandoquidem non dato recto angulo, ut in antecedente exemplo, terminorum ignoratorum investigatio fit intricatior, præparationem ita ordinabis in sequenti, triangulo ut angulus detur rectus, hoc modo. Triangulum B F D tres habet cognitos terminos, angulum quippe B F D rectum, latus B F 5 grad. ex hypothesi, & angulum D B F, qui ipsi C B A æqualis est, per priorem præparationis partem est 39 grad. 45 ①. unde D angulus latusque D B per 34 propos. sphæricorum triangulorum inveniuntur, & quidem angulus D 50 gr. 26 ①, latusque B D 6 grad. 27 ①, qui additi ad A B 81 grad. 41 ① dabunt 88 grad. 8 ① pro A D.

2 Constructionis pars.

Ad cursum, quo à G contenditur in B investigandum, arcum ab C in G eductum continuato usque ad emmesocyclum E F, isque sit C G H meridiani instar. jam triangulum G H D rectangulum fuerit, cujus tres termini cognoscuntur, rectus quippe G H D, & qui ad D 50 grad. 26 ①, per 2 præparationem, latusque G D 84 grad. 8 ①: cum enim A D per 2 præparationem sit 88 grad. 8 ①, hinc deductis 4 grad. per 1 constructionis partem, reliqui erunt 84 grad. 4 ① pro arcu G D, quemadmodum is assumptus nobis fuit. quorum auxilio angulus H G D per 34 sphæric. triang. propos. invenitur 87 grad. 45 ①. Atque is cursus ab austro versus occasum ex G in B contendenti tenendus est. qui 7 ① magis in meridiem vergit, quam dum ab A iter in G dirigeretur, deductis enim 87 grad. 45 ①, de 87 gr. 52 ①, reliqua erunt 7 ① Cum hoc aliquandiu usus fueris, ubi commodum videbitur, denuo calculo rem committes, qualis ad G jam expositus est, idque aliquoties aliis atque aliis locis continuando donec B optatum terminum contigeris.


Et quamvis 7 ① tam sint exigua ut à navi velificante observari nequeat, intelliges tamen arcũ ab G prorsum majorẽ quàm 4 gr. assumi potuisse. Atqui si primus arcus nimiũ amplius sumptus esset, ut in minori tamen velificationis cursus commodè corrigi, dirigique possit, calculum quoq; in minori arcu instituti æquum est. Huc accedit etiam illud, in hoc exemplo interceptis arcubus aliquot æqualibus majorem varietatem existere proximè ad punctum B, enimverò cum proximè B deventũ erit à meridie versus occasum 39 gr. 45 ① duntaxat cursus erit dirigendus, (nam angulus D B F tantæ amplitudinis esse invenitur) qui 48 grad. 7 ① magis in meridiem vergunt, quam cum ab A cursus cœptus sit instituí, ubi B A E angulus amplitudinẽ obtinebat 87 gr. 52 ①.

Præterea verò si latitudinem puncti G scire expetas, ut cognoscas utrum reipsa tantus sit, quantus ope mechanicæ factionis 1 exempli inventus sit, inquirito in antecedenti triangulo D G H etiam latus G H, hoc latitudinem optatam tibi definiet. CONCLUSIO. Rectum itaque cursum, ut petebatur, invenimus.

3 PROPOSITIO.


Obliquos curſus mechanicè deſcribere.

Mechanici iſti qui globum terreſtrem è materia ſolidum deformant, variis inſtrumentis,& adminiculis (prout quiſque commodiſſimum ſibi arbitratur)



ad λοξοδρομίων deſignationem utuntur,è quibus unicum nobis deſcribendum elegimus, non qui id uſurpetur, ſed qui explicatè diſerteque propoſitionis ſententiam exprimat. Eſto igitur ſphæra A B, in cujus ſuperficie polo G minor circulus deſcribatur C D E F, à cujus ambitu in 32 partes tributo ſinguli arcus cum polo G connectantur, qui duas & triginta uſitatas mundi plagas nobis exprimant. hic C G E ab Septentrione in Meridiem, itemque F G D ab Occidēte in Orientem excurrere intelliguntor. hinc formato æneum obliquangulum cavum, ideoque ſphæræ congruum, cujus obliquitas unicæ plagæ ſeu rhombo æqualis ſit, tantæ enim amplitudinis eſt angulus F G H. atque ita ſingulis rhombis inter F C interjectis ſua aptabis. atque ita aptatis his ſeptem ſphæricis obliquangulis alium ſumito globum L M N O æqualem priori A B cujus emmeſocyclus ſeu mediator ſit L N, M boreus polus, O notius, per hos acti Meridiani M P O, M Q O, M R O, emmeſocyclum ad ſingulos

gulos gradus fecant in P, Q, R. In hoc igitur globo λοξοδρομίας eo, qui fequitur, modo defcribantur; dicis gratia, fi cupias λοξοδρομίαν feu rumbum eu-



roboreum, fumes è feptem æneis obliquangulis id quod rumbo euroboreo congruet, quod efto R S T V, cujus crus T V meridiano applicetur puta ipfi M R O, ut angulus ejus ftatuatur in meridiani & ennmefocycli communi fectione R, lineamque ab R fecundum R S educito quæ proximum meridianum fecet in X, deinde promoveto cupremi obliquangulum ad meridianum M Q O, ut R congruat puncto X, ducitoque ut prius lineam X Y. Idque continuato verfus Z donec polo fatis vicinus videberis, aut etiam continges, atque ita rumbum euroboreum defignaveris. dixi autem donec polo propinquus fatis fueris, aut etiam contingas, quamvis mathematice rem expendentibus contingi non pofsit, nam helix eam affidue ambibit,afsiduoq; propius accedet, nec tamen unquam eò pertinget,cum tamen mechanice tangi aut tranfiri pofsit.

Hinc igitur, quæ nobis hactenus de euronotici rombi defcriptione dicta funt, jam manifefta eft reliquorum omnium romborum delineatio,& quâ viâ in dato terreni orbis loco obliqui ventorum tractus infcribi pofsint.

CON-

CONCLUSIO. Rumbos itaque mechanice designavimus. Quod fecisse oportuit.

Istum delineandi modum lubricum esse & minus constantem.

Namque ex assiduâ & multiplici, hujus cuprei obliquanguli R S T V crebra transpositione quædam inconstantia operi inducitur, cum similis quoque pluribus aliis instrumentis huic fini confectis accidere possit, & licet omnia certa rataq; forent, nihilo minus tamen demõstratione probari nequit. Ideoque modus iste à nobis tantum positus est, ut hinc quodammodo inconstantia fallaciaque quæ in rumbis in terreno globo delineatis hæret facilius intelligatur. Iterum quia clarissime, proprietates & affectiones rumborum ob oculos ponit, ut inde mathematica factio instituti possit, à quâ deinde mechanica ratio certius accuratiusque perficiatur, quod ipsum post has tabulas, quas jam mox subnectemus, apparebit.

4 PROPOSITIO.

Tabulam obliqui cursus construere.

6	80 47		36	81 42		66	82 31	[illegible]	96	83 15	
7	80 49		37	81 43		67	82 32		97	83 16	
8	80 51		38	81 45		68	82 34		98	83 18	
9	80 53		39	81 47		69	82 35		99	83 19	
10	80 55		40	81 49		70	82 37	[illegible]	100	83 21	
11	80 57		41	81 50		71	82 38	[illegible]	101	83 22	
12	80 59	[illegible]	42	81 52		72	82 40	[illegible]	102	83 23	
13	81 1		43	81 54		73	82 41	[illegible]	103	83 25	
14	81 2		44	81 55		74	82 43	[illegible]	104	83 26	
15	81 4		45	81 57		75	82 45	[illegible]	105	83 27	
16	81 6		46	81 59		76	82 46	[illegible]	106	83 29	
17	81 8		47	82 0		77	82 48	[illegible]	107	83 30	
18	81 10		48	82 2		78	82 49	[illegible]	108	83 31	
19	81 11		49	82 4		79	82 50		109	83 33	
20	81 [illegible]		50	82 5		80	82 52	[illegible]	110	83 34	
21	81 [illegible]		51	82 7		81	82 53		111	83 35	
22	81 [illegible]	[illegible]	52	82 8		82	82 55		112	83 37	
23	81 19	[illegible]	53	82 10		83	82 56	[illegible]	113	83 38	
24	81 21		54	82 12	[illegible]	84	82 58	[illegible]	114	83 39	
25	81 22	[illegible]	55	82 13		85	82 59	[illegible]	115	83 41	
26	81 24		56	82 15	[illegible]	86	83 1	[illegible]	116	83 42	
27	81 26	[illegible]	57	82 17	[illegible]	87	83 2		117	83 43	
28	81 28	[illegible]	58	82 18	[illegible]	88	83 4		118	83 45	
29	81 30	[illegible]	59	82 20	[illegible]	89	83 5	[illegible]	119	83 46	
30	81 [illegible]	[illegible]	60	82 21	[illegible]	90	83 6		120	83 47	

long.	latit.	distant.	long.	latit.		distant.	long.	latit.		distant.	long.	latit.		distant.
gr.	gr. ①	gr. ①	gr.	gr.	①	gr. ①	gr.	gr.	①	gr. ①	gr.	gr.	①	gr. ①
121	83 49		151	84	25		181	84	58		211	85	28	
122	83 50		152	84	26		182	84	59		212	85	29	
123	83 51		153	84	27		183	85	0		213	85	30	
124	83 52		154	84	29		184	85	1		214	85	31	
125	83 54		155	84	30		185	85	2		215	85	32	
126	83 55		156	84	31		186	85	3		216	85	32	
127	83 56		157	84	32		187	85	4		217	85	33	
128	83 57		158	84	33		188	85	5		218	85	34	
129	83 59		159	84	34		189	85	6		219	85	35	
130	84 0		160	84	35		190	85	7		220	85	36	
131	84 1		161	84	36		191	85	8		221	85	37	
132	84 2		162	84	38		192	85	9		222	85	38	
133	84 4		163	84	39		193	85	10		223	85	39	
134	84 5		164	84	40		194	85	11		224	85	40	
135	84 6		165	84	41		195	85	12		225	85	41	
136	84 7		166	84	42		196	85	13		226	85	42	
137	84 8		167	84	43		197	85	14		227	85	42	
138	84 10		168	84	44		198	85	15		228	85	43	
139	84 11		169	84	45		199	85	16		229	85	44	
140	84 12		170	84	46		200	85	17		230	85	45	
141	84 13		171	84	47		201	85	18		231	85	46	
142	84 15		172	84	49		202	85	19		232	85	47	
143	84 16		173	84	50		203	85	20		233	85	48	
144	84 17		174	84	51		204	85	21		234	85	49	
145	84 18		175	84	52		205	85	22		235	85	49	
146	84 19		176	84	53		206	85	23		236	85	50	
147	84 20		177	84	54		207	85	24		237	85	51	
148	84 22		178	84	55		208	85	25		238	85	52	
149	84 23		179	84	56		209	85	26		239	85	53	
150	84 24		180	84	57		210	85	27		240	85	54	

long. gr.	latit. gr. ①	distant. gr. ①	long. gr.	latit. gr. ①	distant. gr. ①	long. gr.	latit. gr. ①	distant. gr. ①	long. gr.	latit. gr. ①	distant. gr. ①
1	87 18		31	87 34		62	87 49		122	88 13	
2	87 19		32	87 35		64	87 50		124	88 14	
3	87 19		33	87 35		66	87 51		126	88 15	
4	87 20		34	87 36		68	87 52		128	88 16	
5	87 21		35	87 36		70	87 53		130	88 16	
6	87 21		36	87 37		72	87 53		132	88 17	
7	87 22		37	87 37		74	87 54		134	88 18	
8	87 22		38	87 38		76	87 55		136	88 18	
9	87 23		39	87 38		78	87 56		138	88 19	
10	87 23		40	87 39		80	87 57		140	88 20	
11	87 24		41	87 39		82	87 58		142	88 20	
12	87 24		42	87 40		84	87 59		144	88 21	
13	87 25		43	87 40		86	87 59		146	88 22	
14	87 25		44	87 41		88	88 0		148	88 23	
15	87 26		45	87 41		90	88 1		150	88 23	
16	87 26		46	87 42		92	88 2		152	88 24	
17	87 27		47	87 42		94	88 3		154	88 25	
18	87 28		48	87 42		96	88 3		156	88 25	
19	87 28		49	87 43		98	88 4		158	88 26	
20	87 29		50	87 43		100	88 5		160	88 26	
21	87 29		51	87 44		102	88 6		162	88 27	
22	87 30		52	87 44		104	88 7		164	88 28	
23	87 30		53	87 45		106	88 7		166	88 28	
24	87 31		54	87 45		108	88 8		168	88 29	
25	87 31		55	87 46		110	88 9		170	88 30	
26	87 32		56	87 46		112	88 10		172	88 30	
27	87 32		57	87 47		114	88 10		174	88 31	
28	87 33		58	87 47		116	88 11		176	88 31	
29	87 33		59	87 48		118	88 12		178	88 32	
30	87 34		60	87 48		120	88 13		180	88 33	


long.	latit.		distant.		long.	latit.		distant.		long.	latit.		distant.		long.	latit.		distant.	
gr.	gr.	①	gr.	①	gr.	gr.	①	gr.	①	gr.	gr.	①	gr.	①	gr.	gr.	①	gr.	①
183	88	34			273	88	56			3	89	13			94	89	26		
186	88	34			276	88	57			6	89	14			98	89	26		
189	88	35			279	88	58			9	89	14			102	89	27		
192	88	36			282	88	58			12	89	15			106	89	27		
195	88	37			285	88	59			15	89	15			110	89	27		
198	88	38			288	89	0			18	89	16			114	89	28		
201	88	39			291	89	0			21	89	16			118	89	28		
204	88	40			294	89	1			24	89	16			122	89	29		
207	88	40			297	89	1			27	87	17			126	89	29		
210	88	41			300	89	2			30	86	17			130	89	30		
213	88	42			303	89	3			33	89	18			134	89	30		
216	88	43			306	89	3			36	89	18			138	89	30		
219	88	44			309	89	4			39	89	19			142	89	31		
222	88	44			312	89	4			42	89	19			146	89	31		
225	88	45			315	89	5			45	89	19			150	89	32		
228	88	46			318	89	6			48	89	20			154	89	32		
231	88	47			321	89	6			51	89	20			158	89	32		
234	88	47			324	89	7			54	89	21			162	89	33		
237	88	48			327	89	7			57	89	21			166	89	33		
240	88	49			330	89	8			60	89	21			170	89	33		
243	88	50			333	89	8			63	89	22			174	89	34		
246	88	50			336	89	9			66	89	22			178	89	34		
249	88	51			339	89	9			69	89	23			182	89	34		
252	88	52			342	89	10			72	89	23			186	89	35		
255	88	52			345	89	10			75	89	23			190	89	35		
258	88	53			348	89	11			78	89	24			194	89	35		
261	88	54			351	89	11			81	89	24			198	89	36		
264	88	55			354	89	12			84	89	24			202	89	36		
367	88	55			357	89	12			87	89	25			206	89	36		
270	88	56			360	89	13			90	89	25			210	89	37		

long. gr.	latit. gr.	①	distant. gr.	①	long. gr.	latit. gr.	①	distant. gr.	①	long. gr.	latit. gr.	①	distant. gr.	①	long. gr.	latit. gr.	①	distant. gr.	①
215	89	37			6	89	46			190	89	52			195	89	57		
220	89	37			12	89	46			200	89	52			210	89	57		
225	89	38			18	89	47			210	89	53			225	89	57		
230	89	38			24	89	47			220	89	53			240	89	57		
235	89	39			30	89	47			230	89	53			255	89	57		
240	89	39			36	89	47			240	89	53			270	89	58		
245	89	39			42	89	48			250	89	53			285	89	58		
250	89	40			48	89	48			260	89	54			300	89	58		
255	89	40			54	89	48			270	89	54			315	89	58		
260	89	40			60	89	48			280	89	54			330	89	58		
265	89	41			66	89	48			290	89	54			345	89	58		
270	89	41			72	89	49			300	89	54			360	89	58		
275	89	41			78	89	49			310	89	54			20	89	58		
280	89	42			84	89	49			320	89	55			40	89	58		
285	89	42			90	89	49			330	89	55			60	89	58		
290	89	42			96	89	50			340	89	55			80	89	58		
295	89	42			102	89	50			350	89	55			100	89	58		
300	89	43			108	89	50			360	89	55			120	89	58		
305	89	43			114	89	50			15	89	55			140	89	58		
310	89	43			120	89	50			30	89	56			160	89	58		
315	89	44			126	89	50			45	89	56			180	89	58		
320	89	44			132	89	51			60	89	56			200	89	59		
325	89	44			138	89	51			75	89	56			220	89	59		
330	89	44			144	89	51			90	89	56			224	89	59		
335	89	45			150	89	51			105	89	56			260	89	59		
340	89	45			156	89	51			120	89	57			280	89	59		
345	89	45			162	89	51			135	89	57			300	89	59		
350	89	45			168	89	52			150	89	57			320	89	59		
355	89	46			174	89	52			165	89	57			340	89	59		
360	89	46			180	89	52			180	89	57			360	89	59		

Atque hactenus quidem septem canones septem loxodromiarum expositi sunto. octava vero loxodromia est circulus mediatori seu emmesocyclo perpetuò parallelus, ut in latitudinem nulla varietate afficiatur, quare de longitudine ejus tantum superest ut dicamus, cui canon sequens serviet.

DE FABRICA CANONIS OCTAVÆ LOXODROMIÆ.

Diagrammate canonis sequentis argumentum explicemus, sitque sphæra A B C D, in quo mediatoris sive emmesocycli vicem gerat circulus A B C D, cujus polus E, unde minor peripheria F G H delineetur. jam assumatur arcus D C differentia longitudinis inter C & D amplitudine 1 grad. actique à polo E duo quadrantes E D, E C secent minorem peripheriam in F & G, sitque G D dicis gratia 10 grad. differentia latitudinis inter G & D. Quibus positis arcus F G 1 grad. longitudinem occupat in suo circulo 10 grad. à mediatore seu emmesocyclo polum versus remoto, qui propterea brevior minorque fuerit quam 1 grad. mediatoris, cum hic unus sit maximorum in sphæra circulorum. propositum igitur nobis esto investigare amplitudinem arcus F G 1 grad. (in circulo 10 gradibus ab emmesocyclo remoto) in ① & ② ad emmesocyclum relati. seu quod idem fit si F G mediatori seu emmesocyclo applicetur quanti ejus parti congruat, quæ mensura per numeros in ① & ② explicanda sit. Itaque his intellectis deinceps ad opus accingimur.



Datum. Esto 1 grad. differentiæ longitudinis extra mediatorem in circulo qui ab ea sua latitudine 10 grad. recedat. Quæsitum. Amplitudo hujus in ① & ② emmesocycli inquirendus esto.

CONSTRVCTIO.

Vt sinus totus	10000000.
Ad sinum differentiæ 10 grad.	9848078.
Sic 1 gr. emmesocycli, hoc est	60 ①.
Concludes	59 ① 5 ②.

Veluti in sequente canone annotatum est.

DEMONSTRATIO.

Quemadmodum semidiameter maximi in sphæra circuli, cujus generis est hic mediator seu emmesocyclus,

Ad semidiametrum minoris circuli, qualis hic est qui 10 grad. latitudinem obtinet;

Sic peripheria 1 gr. maximi circuli, sive hujus emmesocycli,

Ad peripheriam unius gradus minoris circuli 10 gr. latitudinem habentis.

Est autem meridiani semidiameter æqualis semidiametro emmesocycli seu mediatoris, qui sinui toto 10000000 æqualis assumitur. atque semidiameter circuli latitudine 10 grad. supra descripti est in ipso meridiano sinus arcus differen-

ferentiæ 10 grad. sive quod idem fit, est sinus 80 grad. qui valet 98480781
Itaque
Vt 10000000,
Ad 9848078:
Sic arcus 1 gr. maximi alicujus circuli, puta meridiani,
Ad arcum 1 gr. minoris circuli 10 graduum latitudinem à maximo obtinente.

Atqui 10000000 ex fabrica dant 9848078, itaque 60 ① quoque dabunt 59 ① 5 ②. Quod demonstrasse oportuit.

NOTA.

Cum PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS factionis hunc modum inspexisset & simul probasset; in mentem ipsi veniebat sese olim similem arcus amplitudinem inter G & F interjectam è sphæricorum triangulorum calculo elicuisse, quod cum arcus sit sphæricus is modus aptior atque ipsi cóngruentior videretur. Atqui cum diversitatis rationem compararet, utrumque calculum suo fine separavit, illum quidem si de recto cursu & in sphærica superficie brevissimo agatur, hunc verò in obliquo minoris circuli cursu locum habere. Verbi gratia, si quæratur quantus cursus sit ab F usque G in λοξοδρομίᾳ seu obliquo cursu, qui hîc minoris circuli arcus est, calculus via supra descripta instituendus est: Cum verò idem cursu directo postulabitur qui in maximi circuli ambitu versatur, per sphærica triangula tete expedies. Ista hîc annotare placuit, cum in rei memoriam, tum etiam si cui res hæc obscura visa esset, ita illustrior appareat.

Canonis Fabrica hoc modo exposita & demonstrata; ipsum deinceps è *Peri Appiani Cosmographiæ prima parte* descriptum exhibemus.

OCTAVA LOXODROMIA, QVOD EST CANONION quantum 1 grad. differentiæ longitudinis extra emmesocyclum seu mediatorem in emmesocycli ① & ② taxatus valeat.

Hâc latitudine, gr.	①	*valet 1 gr. differ. long. istam dist.* ①	②		*Hâc latitudine,* gr.	①	*valet 1 gr. differ. long. istam dist.* ①	②		*Hâc latitudine,* gr.	①	*valet 1 gr. differ. long. istam dist.* ①	②	
0	30	59	59	0	16	0	57	40	9	31	0	51	25	16
1	0	59	59	1	16	30	57	31	9	31	30	51	9	17
1	30	59	58	1	17	0	57	22	9	32	0	50	52	17
2	0	59	57	1	17	30	57	13	10	32	30	50	36	17
2	30	59	56	1	18	0	57	3	10	33	0	50	19	17
3	0	59	55	2	18	30	56	53	10	33	30	50	2	18
3	30	59	53	2	19	0	56	43	10	34	0	49	44	18
4	0	59	51	2	19	30	56	33	11	34	30	49	6	18
4	30	58	48	2	20	0	56	22	11	35	0	49	8	18
5	0	59	46	3	20	30	56	11	11	35	30	48	50	18
5	30	59	43	3	21	0	56	0	11	36	0	48	32	18
6	0	59	0	3	21	30	55	49	12	36	30	48	14	19
6	30	59	36	3	22	0	55	37	12	37	0	47	55	19
7	0	59	33	4	22	30	55	25	12	37	30	47	36	19
7	30	59	29	4	23	0	55	13	12	38	0	47	16	19
8	0	59	24	4	23	30	55	1	13	38	30	46	57	20
8	30	59	20	5	24	0	54	48	13	39	0	46	37	20
9	0	59	15	5	24	30	54	35	13	39	30	46	17	20
9	30	59	10	5	25	0	54	22	13	40	0	45	57	20
10	0	59	5	6	25	30	54	9	14	40	30	45	37	21
10	30	58	59	6	26	0	53	55	14	41	0	45	16	21
11	0	58	53	6	26	30	53	41	14	41	30	44	56	21
11	30	58	47	6	27	0	53	27	14	42	0	44	35	21
12	0	58	41	7	27	30	53	13	15	42	30	44	14	22
12	30	58	34	7	28	0	52	58	15	43	0	43	52	22
13	0	58	27	7	28	30	52	43	15	43	30	43	31	22
13	30	58	20	7	29	0	52	28	15	44	0	43	9	22
14	0	58	13	8	29	30	52	13	16	44	30	42	47	22
14	30	58	5	8	30	0	51	57	16	45	0	42	25	22
15	0	57	57	8	30	30	51	41	16	45	30	42	3	23
15	30	57	49											

OCTAVA LOXODROMIA, QVOD EST CANONION

quantum 1 grad. differentiæ longitudinis extra emmesocyclum seu mediatorem in emmesocycli ① & ② taxatus valeat.


Hâc latitudine, gr.	①	valet 1 gr. differ. long. istam dist. ①	②		Hâc latitudine, gr.	①	valet 1 gr. differ. long. istam dist. ①	②		Hâc latitudine, gr.	①	valet 1 gr. differ. long. istam dist. ①	②	
46	0	41	40	23	61	0	29	5	28	76	0	14	30	30
46	30	41	18	23	61	30	28	37	28	76	30	14	0	31
47	0	40	55	23	62	0	28	10	28	77	0	13	29	31
47	30	40	32	23	62	30	27	42	28	77	30	12	59	31
48	0	40	8	23	63	0	27	14	28	78	0	12	28	31
48	30	39	43	24	63	30	26	46	28	78	30	11	57	31
49	0	39	21	24	64	0	26	18	28	79	0	11	26	31
49	30	38	58	24	64	30	25	49	28	79	30	10	56	31
50	0	38	34	24	65	0	25	21	29	80	0	10	25	31
50	30	38	9	24	65	30	24	52	29	80	30	9	54	31
51	0	37	45	24	66	0	24	24	29	81	0	9	23	31
51	30	37	21	25	66	30	23	55	29	81	30	8	52	31
52	0	36	56	25	67	0	23	26	29	82	0	8	21	31
52	30	36	31	25	67	30	22	57	29	82	30	7	49	31
53	0	36	6	25	68	0	22	28	29	83	0	7	18	31
53	30	35	41	25	68	30	21	59	29	83	30	6	47	31
54	0	35	16	26	69	0	21	30	29	84	0	6	16	31
54	30	34	50	26	69	30	21	30	30	84	30	5	45	31
55	0	34	24	26	70	0	20	31	30	85	0	5	13	31
55	30	34	59	26	70	30	20	1	30	85	30	4	42	31
56	0	33	33	26	71	0	19	32	30	86	0	4	11	31
56	30	33	6	26	71	30	19	2	30	86	30	3	39	31
57	0	32	40	26	72	0	18	32	30	87	0	3	8	31
57	30	32	14	27	72	30	18	2	30	87	30	2	37	31
58	0	31	47	27	73	0	17	32	30	88	0	2	5	31
58	30	31	21	27	73	30	17	2	30	88	30	1	34	31
59	0	30	54	27	74	0	16	32	30	89	0	1	2	31
59	30	30	27	27	74	30	16	2	30	89	30	0	31	31
60	0	30	0	27	75	0	15	31	30	90	0	0	0	31
60	30	29	32	27	75	30	15	1	30					

Quamobrem expositis Canoniis septem λοξοδρομιῶν latitudines per singulos meridianos gradatim ita nobis descriptæ sunto; unde in promptu est ratio quomodo earum subsidio absque ulla hallucinatione in terrestri globo λοξοδρομίαι delineari queant: latitudinum enim puncta in sua statione disposita & lineolis connexa voto satisfacient. Denique canones hi ad δοκιμασίαν λοξοδρομιῶν obliqui cursus examen sive in solido, sive in plano illi designati sint multum utiles erunt.

DE LOXODROMICARVM CVPREARVM HELICVM FABRICA.

Verumenimverò cum ad explicationem sequentium propositionum commodius, atque ad usum in multis problematis concinnius fore mihi videatur ut septem helices loxodromicæ ex ære deformentur, qui singulis sphæræ punctis ubi collibitum sit applicentur, atque ita è vestigio quæsitum assequamur, neq; necesse habeamus ipsas loxodromias globo terreno inscribere. Aut si inscripti jam sint ut intricatiori opere liberemur paucis istarum usum exponam, eo qui sequitur modo.


Si in globo terrestri loxodromia aliqua ratione supra scripta delineata sit, dicis gratiâ ea esto Euroborea supra à nobis in exemplum usurpata R X Y Z, quæ quarta est, similis ex cupro deformetur, qualis infra lineamentis *efg* exprimitur, videlicet ut interior limbus *efg* ipsi loxodromiæ R X Y Z omnino congruus sit, tamque basis *hi* addatur, cum qua *efg*, angulum faciat *heg* æqualem ei quem R X Y Z comprehendit cum mediatore sivè emmesocyclo L N. helix ista cyprea sphæræ instar protuberans intelligitor, ut ei applicata concava sui parte undique congruat.



Atque qua via hic helix λοξοδρομίας seu rumbi euroborei, (quæ loxodromiæ notozephyreæ pariter inservit,) delineata est, eâdem cæteræ sex quoque confie-

conficri poterunt, ut universim septem sint, quibus si totidem alias similes quidem sed opposito modo inclinatas adjicias, cujusmodi hic diagrammate *k* expressimus, quæ euroboreæ helici opposito inflexu respondet servitque pariter loxodromiis, borrhozephyreæ, euronotiæque. singulæ autem helices suis numeris notentur ut cui quælibet respondeat in promptu sit. prima 1, secunda 2, &c.

Porrò autem cum septima helex ob frequentes versuras minus firma futura sit, transversis vinculis firmari poterit si necesse videatur ut in subjecta diagrapha hic vides; aut alioquin eadem ex aliquot partibus componi.



CONCLUSIO. Itaque λοξοδρομίας seu rumbos delineavimus; Quod erat faciendum.

5 PROPOSITIO.

Data duorum locorum, eandem latitudinem habentium, longitudinis differentia atque latitudine: ipsorum inter ipsa distantiam & loxodromiam invenire.

NOTATO.

In singulis deinceps propositionibus triplicem dabimus pragmatiam, unam cupreâ helice, alteram loxodromiis in terrestrem globû inscriptis, quæ utraq; factio mechanica est, tertiam mathematicâ per numeros viâ. excepto hoc duntaxat exemplo, ubi cupreæ helicis nullus erit usus, quia octavæ loxodromiæ

 helix

helix congrua, quia supervacaneum videbatur, facta non sit. DATVM. Esto igitur longitudinum differentia 30 grad. latitudo verò 24 grad.

QVÆSITVM. Loxodromia ipsarum distantiaque invenienda esto.

1 Pragmatia loxodromiis in sphæram inscriptis.

Cum latitudo utrique loco par sit, optata loxodromia ordine erit octava, id est ab Oriente in Occidentem, vel contra. ut huc amplius nihil requiratur.

Porrò ad longitudinem ita procedam, si data duo loca in globo designata incidant in circulum emmesocyclo parallelum, circini crura ita divaricentur ut interstitium ipsorum ad lineam rectam proximè accedat, minimumq; ab circuli paralleli peripheria differat, ut puta apertura 1 gr. plusve minusve prout obliquitas paralleli postulabit, minores enim circuli prope polum magis inflectuntur, quam remotiores prope emmesocyclum. atque istâ mensurâ iteratâ quoties necesse erit, expositi paralleli arcum percurres, summâque graduum collectâ, hoc exemplo, si satis accuratè opereris, invenies distantiam optatam 27 grad. 24 ①.

Atqui cum duo exposita loca in globo designata non invenies, duas delétiles notas data latitudine longitudinisque differentiâ designabis, iisque uteris pro expositis.

Et si fortè loca data non incidant in parallelum in ipso globo expressum, dabis operam ut circinus à vicino parallelo æquidistanter meet, quod facile altero circino in auxilium advocato perficietur.

NOTÁTO.

At quærat aliquis quot miliaribus respondeant supra scripti 27 grad. 24 ①, equidem propter miliarium in variis regionibus quantitatem discrepantem & variam certi nihil definire possumus, ideoq; & hic & alibi distantiam tantummo gradibus & minutis ① æstimatam descripsimus, quos singuli pro suo arbitrio ad miliaria deinde revocent. Gradus à multis taxatur 18 horis nec concitato nec lento nimis passu meantium. hora autem talis 8000 passibus, vel 1500 Rhenanis nostratibus decempedis definitur, ut singulis passibus pedes 2½ Rhenanâ mensurâ cedant. Sed tamen summis votis exoptandum fuerit, naucleros naviumq; magistros gradus & ① usurpare ut ipsi mutuo se commodius exaudiant, faciliusque percipiant.

2 Per numeros pragmatia.

Quandoquidem expositæ latitudines æquales sint, necessario (quemadmodum superiore pragmatia dictum quoque fuit) optata latitudo octavam faciet loxodromiam.

Itaque ut horum locorum distantiam inveniam 4 propositione in Canone octavæ loxodromiæ datam 24 grad. latitudinem inquiro cui è regione annotatum invenio quæ distantia uni gradui hîc sit congrua videlicet 54 ① 48 ②, unde proportionem instituam hujusmodi. 1 grad. differentiæ longitudinis in hoc parallelo dat distantiæ 54 ① 48 ②, itaque dati 30 gr. quantum dabunt? Concludes distantiam 27 grad. 24 ①. cujus demonstratio ipso operis ductu manifesta est. CONCLVSIO. Itaque duorum locorum eandem latitudinem habentium longitudinis differentiâ latitudineque datis, distantiam ipsorum & loxodromiam invenimus. Quod facere oportuit.

NOTATO.

Quod si forte nec hic, neque in sequentibus propositionibus, dati numeri omnino atque exacte congruant numeris in canone ordinatis, ut tamen accurate optatum tangas scopum partem proportionalem usurpare poteris, quemadmodum in aliis tabulis fieri solet, & à nobis speciatim 11 propositione de sinuum fabrica descriptum est.

6 PROPOSITIO.

Duorum locorum eandem latitudinem habentium distantia pariter & latitudine datis, ipsorum loxodromiam & longitudinis differentiam invenire.

DATUM. Esto locorum duorum distantia 27 grad. 24 ①, latitudo 24 gr.
QUÆSITUM. Loxodromia ipsorum, & longitudinis differentia invenienda esto.

1 Pragmatia ex sphærâ loxodromiis inscriptâ.

Cum latitudo utriusque sit una, necessario (ut in 5 propos. 1 pragm. dictum fuit) optata loxodromia octava fuerit.

Porrò autem ad longitudinum differentiam inveniendam sic ages, si duo loca in eundem parallelum in sphæra expressum incidant, circini cruribus divaricatis intercipito particulam aliquam mediatoris seu emmesocycli, puta 1 grad. plusvé minusve, atque ea datos 27 grad. 24 ①, in dicto parallelo, qui per loca exposita transeat mensurato. deinde circumactâ sphærâ finem hujus sub meridianum collocato deinde quoque ipsius initium, eritque arcus inter hos meridianos interceptus ipsorum inter ipsa longitudinis optata differentia, videlicet 30 grad. in exposito paradigmate.

Atqui cum loca exposita in sphæra designata non invenies, ipse designato, opusque instituès ut prius.

2 Pragmatia in numeris.

Quia latitudo utriusque loci par est, necessariò (ut in 5 propos. dictum est) optata loxodromia octava erit.

Porrò ad longitudinis inveniendam differentiam 4 propositione in canone octavæ loxodromiæ datam latitudinem 24 grad. inquiro, cui è regione annotatum invenio quæ distantia istic uni gradui longitudinis competat, utpote 54 ① 48 ②: unde proportio 54 ① 48 ② hoc loco æquantur 1 grad. longitudinis itaque 27 grad. 24 ① cui æquabuntur? concludes optatam longitudinis differentiam 30 grad. Cujus demonstratio ex opere perspicitur.

CONCLUSIO. Itaque duorum locorum eandem latitudinem habentium distantia & latitudine datis, loxodromiam & longitudinis differentiam invenimus. Quod petebatur.

7 PRO-

7 PROPOSITIO.

Duorum locorum inæqualis latitudinis loxodromiâ latitudineque datâ, longitudinis differentiam, & distantiam invenire.

In confesso est si latitudines datæ æquales essent, loxodromiam fore 8: aut contra, si data loxodromia octava sit, latitudines æquales fore. Cum igitur differentia longitudinis, distantiaque ex latitudinis differentia inveniantur, ea autem hic nulla exprimatur, ex istis igitur datis neque longitudinis differentia, neque distantia elici poterit, atque ideo propositioni cautelam istam annexuimus *inæqualis latitudinis*. Vnde perspicitur quando in hujus propositionis paradigmatis data loxodromia octavæ valde finitima erit, conclusionem lubricam esse minusque accuratam.

NOTATO.

Evenit nonnunquam ut navis magister in eodem parallelo decurrerit, & duorum locorum latitudinem observationibus indagarit, atque hinc ipsorum distantiam eruere cupiat, ut ita cognoscat, utrum conjecturis, quibus in cursu usus est, cum nostris præceptis bene conveniat; aut ipsi etiam longitudinum differentiæ quam in globo tabulisve geographicis annotatam invenit. Vel etiam si nulla conjectura usus sit differentiaque longitudinis ignoretur, quomodo ea investigari possit; atque isti fini propositio hæc utilis est.

DATVM. Duorum locorum loxodromia 4ta esto, latitudoque occidentalior 5 grad 59 ① altera verò 28 gr. 42 ①. QVÆSITVM. Longitudinis differentia cum distantia investigandæ sunto.


1 *Pragmatia ope helicis loxodromicæ.*

Sumito globum terrestrem A B C D, hujus polus esto A, emmesocyclus seu mediator D B, notato punctū delctile E, latitudine 5 grad. 59 ① qui occidentaliori loco fuerant tributi, tumque assumito datam ex hypothesi 4 loxodromiam G H I K, hujus basin H G mediatori sive emmesocyclo D B applicato atque ita basin secundum emmesocyclum ducito donec helix I K stringat punctum E; deinde globum in occidentem convertito (quia alter locus orientalior assumptus est) donec meridianus & helix loxodromica sese in altera latitudine 28 grad. 42 ① intersecet. id igitur esto in L, communisq; meridiani & emmesocycli sectio sit in M. Quibus positis F M erit expositorum locorum longitudinis differentia, quæ hoc exemplo invenietur 24 grad.

Atque helicis pars E L distantiæ mensura est, quam simili modo qui 5 propositionis primâ pragmatiâ expositus est, per sua segmenta dimensus, invenies 32 grad. 8 ①.

2 *Pragmatia sphærâ loxodromiis inscriptâ.*

Ex inscriptis loxodromiis datam, ut hic 4, seligito eamque ad meridianum transmittito donec in datæ occidentalis latitudinis puncto 5 grad. 59 ① intersecetur. hinc sphæram in occidentem (quia locus secundus orientalior ponebatur), circumducito donec eadem loxodromia à meridiano in altera latitudine



tudine 28 grad. 42 ① intersecetur. Quibus positis emmesocycli segmentum à primi situs meridiano ad secundum interceptus longitudinis differentiam ostendet, quæ hic 24 grad. deprehenditur.

Et loxodromiæ inter has duas stationes segmentum, distantiam ipsarum metitur, quæ dimensa consimili modo atque in 5 propositionis 1 pragmatia factum est, invenietur hoc exemplo 32 grad. 8 ①.

3 Pragmatia per numeros explicata.

In 4 propos. canone quartam inquiras loxodromiam, quæque longitudines distantiaque datis duobus latitudinibus respondeant perquiras: ac minimæ quidem latitudini 5 gr. 59 ①, competere lõgitud. 6 gr. dist. 8. gr. 29 ①. Maximæ autem latitudini 28 grad. 42 ①, animadvertes
deberi longitudinem 30 gr. distantiam 40 gr. 37 ①.
Hinc primam longitudinem latitudinemque deducas,
relinquetur quæsita longitudinis differentia 24 gr. distant. 32 gr. 8 ①.

Demonstratio ex operis consequentia perspicitur.

CONCLVSIO. Itaque duorum diversæ latitudinis locorum loxodromiâ latitu-

latitudineque datâ, longitudinis differentiam, & distantiam invenimus. Quod fecisse oportuit.

8 PROPOSITIO.

Datâ duorum locorum latitudine, cum longitudinis differentiâ, loxodromiam & distantiam invenire.

DATUM. Loci occidentalioris latitudo esto 5 grad. 59 ①, alterius 28 gr. 42 ①, differentia autem longitudinis 24 grad.

QUÆSITUM. Loxodromia & distantia invenienda sunto.

1 Pragmatia auxilio helicis loxodromicæ.

Si loca exposita in globo terreno designata jam sint, deletiles signabis notulas pro ratione dati, quas in diagrapha 7 propos. assumes E, L. Dehinc è septem cupreis helicibus eam seliges, quæ proximè expositæ quæstioni servire videbitur, basimque G A applicabis emmesocyclo B D, eamque huc illuc commovebis donec loxodromiæ helicis I K interior limbus ipsum E alterum expositorum locorum stringat, si jam alter locus helicem istam item tangat, rem factam habes, secus aliam sumes similique modo opus institues, quæque ad data loca proxime accedet, ut hîc quarta, propositum expediet.

Et segmentum loxodromiæ inter data loca E, L interjectum ipsorum distantiam exprimit, quod hîc quidem secundum 5 propos. pragmatiam dimensum, 32 gr. 8 ① exhibebit.

2 Pragmatia sphærâ loxodromiis inscriptâ.

Si duo loca in terreno globo jam designata sub eadem loxodromia forte consistant, certum est istam loxodromiam esse optatam. Sed quia id perquam rarum fit, tale assumemus exemplum ubi eandem loxodromiam non subeant, ubi factio instituetur hujusmodi. versato globum donec expositorum locorum alter, dicis gratia occidentalior, meridianũ secet; deinde (quippe cum alter locus orientalior sit) globum in occidentem provolvito spatio 24 grad. in emmesocyclo, qui longitudinis differentiam definiunt. tumque considerato utrum loxodromiarum aliqua meridianum in maxima expositorum locorum latitudine 28 gr. 42 ① intersecet, quæ si ita evenerint, ista erit optata. sin verò eam assumes, quæ utrumque locum proxime continget: eritque hoc exemplo quarta loxodromia optata.

Itaque ut deinceps distantiam investiges, metire segmentum quartæ loxodromiæ inter data loca comprehensum, ut 5 propos. 1 pragmatiâ docuimus, atque hic quidem fuerit 32 grad. 8 ①.

3 Pragmatia ope numerorum.

In canone 4 propositionis datarũ latitudinum minimam 5 gr. 59 ① in 7 loxodromiarum aliqua inquiro, puta in quarta, atque ei longitudinem congruam animadverto	6 grad.
Dehinc in eâdem 4 loxodromia longitudinem alteri latitudini 28 gr. 42 ① congruam expendo, ea erit	30 grad.
Vnde ablati 6 grad. hoc ordine primi, relinquunt differentiam longitudinis	24 grad.

Quod

Quod si longitudinis ista differentia datæ aut omnino, aut proxime saltem non sit æqualis, indicium erit 4 loxodromiam non esse exposito exemplo congruam, ideoque alius loxodromiæ canon tentandus, donec terminus ordine tertius exactè aut proximè expositæ longitudinis differentię æquetur. At quia hic benè juste inter sese æquantur, quarta erit nobis quæsita loxodromia.

Cæterùm ad distantiæ investigationem in supra scripta quarta loxodromia quæro unam datarum latitudinem 5 grad. 59 ① cui respondet distantia 8 gr. 29 ①.
Deinde secundæ latitudini 28 gr. 42 ① debitam distantiam 40 gr. 37 ①.
Excessus supra minorem 83 gr. 29 ① terminum hoc ordine quintum erit quæsita distantia 32 gr. 8 ①.

Cujus demonstratio è factionis ordine in promptu est.

CONCLVSIO. Duorum itaque locorum latitudinis, longitudinisque differentia datis, loxodromiam & distantiam invenimus. Quod faciendũ fuit.

9 PROPOSITIO.

Data duorum locorum latitudine & distantia, loxodromiam & longitudinis differentiam invenire.

NOTA.

Duorum locorum latitudines observationibus, distantia etiam quandoque itinere permenso è cursu velificationis adhibitis conjecturis cognoscuntur, unde loxodromiam & longitudinis differentiam deinde eruere animus sit, ut velificatio secundum eas dirigatur, vel ut loca ista in globum accuratè inscribantur, aut inscripta examinentur isti sane fini problema hoc per quam aptum est. DATVM. Locus occidentalior latitudinem habeat 5 grad. 59 ①, alter 28 grad. 42 ①, ipsorum iter ipsa distantia 32 grad. 8 ①. QVÆSITVM. Loxodromia, longitudinisque differentia invenienda sunto.

1 Pragmatia helicis loxodromicæ adminiculo.

Primùm ad loxodromiæ investigationem assumo globum ut in diagrapha 7 propositionis, in eumque è datis locis alterum inscribo, is esto occidẽtalior, cujus latitudo 5 gr. 59 ①, sitque E. deinde è septem loxodromiis futuro operi aptiorem seligo, basinque applico emmesocyclo BD, eamque huc illuc commoveo donec loxodromia IK stringat punctum E, tumque ab E sursum secundum loxodromiam datam distantiam 32 grad. 8 ① exporrigo, ea cadat in L, id si incidat in expositam latitudinem 28 grad. 42 ① assumpta loxodromia erit optati cursus index. secus alia usurpanda erit, quæ istam latitudinem quam proxime nobis præstet. atque ea quidem in exposito paradigmate erit quarta.

Hinc porro longitudinis differentia derivatur, quæ à meridianis per E, L ductis comprehenditur 24 grad.

2 Pragmatia sphærâ loxodromiis inscriptâ.

Principio ad loxodromiæ investigationem, eam in sphæra eligito quæ voto maximè consentanea videbitur, eam puta in 7 propositionis diagrammate

N esse

esse I K, inque eâ occidentaliorem locum noto E, cujus latitudo E F 5 grad. 59 ①: porro consimiliter instituto 5 propositionis ab E optatam distantiam 32 grad. 8 ① in loxodromia designo, eaque incidat in L. si igitur L M datæ latitudini 28 gr. 42 ① æqualis sit, assumpta loxodromia erit optata Secus verò, aliam usurpabo, eam quippe quæ proximè datam latitudinem prope L punctum assequatur. Atque ea quidem in exposito isto problemate erit quarta.

Vnde deinceps longitudinis differentia deducetur, quæsita meridianorum per E, L, puncta transeuntium distantia F M, quæ hic quidem erit 24 grad.

3 Pragmatia numerorum ope.

Loxodromiæ investigatio, quæ prior est, ita instituitur. In 4 propositionis canonis datarum latitudinum minorem 5 grad. 59 ① ipsiq́ue congruam latitudinem perquiro, videlicet 8 gr. 29 ①.
Huc addo distantiam datam (addi inquam oportere, quia prior latitudo datarum erat minima, contra cum maxima erit subductionis opus erit usurpandum) quippe 32 gr. 8 ①.
Et conflatur distantia 40 gr. 37 ①.
Tum in eadem quarta loxodromia expendo latitudinem cõgruam distantiæ 40 grad. 37 ①, qui numerus hoc ordine est tertius, ea erit 28 gr. 42 ①.
Hæc latitudo æqualis expositæ latitudini secundi loci, argumento est quartam loxodromiam esse optatam. contra autem cum non æquabitur aliam usurpabis quam proximè problema expedire cognosces.
Postremo ad longitudinis differentiæ inventionem, inquiro loxodromiam, ut prius, longitudinemq́ue ipsi congruam sub data 28 grad. 42 ① latitudine expendo, & invenio 30 grad.
Itidem quæ alteri latitudini 5 gr. 59 ① longitudo competat, scilicet 6 grad.
Hi de 30 grad. deducti, reliquam faciunt optatam longitudinis differentiam 24 grad.

Cujus demonstratio ex operis analogia legenti obvia est.

CONCLVSIO. Itaque è duorum locorum latitudine distantiaq́ue datam, loxodromiam & longitudinis differentiam invenimus. Quod oportuit.

10 PROPOSITIO.

Data duorum locorum loxodromia, longitudinis differentia, cum loci alterius latitudine; ipsorum inter ipsa distantiam cum reliqui latitudine invenire.

DATVM. Loxodromia esto quarta, longitudinis differentia 24 gr. lociq́ue minimi occidentalioris latitudo 5 grad. 5 ①.

QVÆSITVM. Reliqui loci latitudo investiganda esto, ipsorumq́ue locorum inter se distantia.

3 Pragmatia adhibitis cupreis loxodromicis helicibus.

Primum omnium, ut reliqui loci latitudinem inveniam in globo aliquo, ut in 7 pro-

in 7 propositione E punctum designo latitudine data 5 gr. 59 ①. Tum, quia ex hypothesi quarta loxodromia datur, quartam helicem ipsi applico ut basis G H congruat emmesocyclo D B, atque helix ipsa stringat punctum E, eoq; ad meridianum devoluto notabo emmesocycli & meridiani communem sectionem F, hinc in 24 gradibus, quæ longitudinis differentia est data, sphæram in Occidentem provolvo, sitque id spatium inter F & M comprehensum, ibique meridiani & helicis sectionem communem in ipsa helice noto in L. his constitutis L M alterius loci latitudinem comprehendit, quæ in exposito exemplo invenitur 28 gr. 42 ①. Atque E L optatam exprimit distantiam, ea circino, secundum 5 propos. doctrinam, dimensa dabit hic 32 gr. 8 ①.

2 Pragmatia ope sphæræ loxodromiis notatæ.

Principio qui secundi loci latitudo patescat, in sphæræ quarta loxodromia (ea enim per hypothesin datur) I K assumo E punctum latitudine data 5 gr. 59 ①. Idque ad meridianum deduco, & sectionem meridiani & emmesocycli D B signo F puncto: deinde sphæram in occasum revolvo datâ 24 graduum longitudinis differentiâ; puta ab F in M, tumque quâ meridianus helicem loxodromicam intersecat adscribo L punctum. His positis L M erit alterius loci optata latitudo, quæ in exposito exemplo invenitur 28 grad. 42 ①. Et E L distantia, hæc secundum quintæ propositionis præcepta dimensa dabit 32 grad. 8 ①.

3 Pragmatia per numeros expedita.

Datam 5 gr. 59 ① latitudinem in 4 propositionis canone dataque loxodromia perquiro, atque ipsi congruam distantiam & longitudinem annoto, distantiam quidem	8 gr. 29 ①.
Longitudinem verò	6 grad.
Cum hac composita longitudinis data differentia (addi inquam oportere, nam data latitudo minima est: contra verò si maxima esset, subductionis opus esset usurpandum) quippe	24 gr.
Longitudo existet	30 gr.
Huic in supra scripta quarta loxodromia latitudinem secundi loci respondere video	28 gr. 42 ①.
Et distantiam	40 gr. 37.
Cujus excessus supra 8 gr. 29 ①, numeri hoc ordine primi est	32 gr. 8 ①.

Cujus demonstratio ex operis deductione obvia est.

CONCLVSIO. Itaque duorum locorum loxodromia, longitudinis differentia cum loci alterius latitudine datis; reliqui loci latitudinem, distantiamq; invenimus. Quod facere oportuerat.

II PROPOSITIO.

Datâ locorum duorum loxodromiâ, atque alterutrius latitudine distantiâque, reliqui latitudinem, & longitudinis differentiam invenire.

NOTATO.

Si loxodromia quâ è loco ad alterum decurritur sit cognita, locique alterius

latitudo cum distantia, quam conjecturis in velificationis cursu elicueris, unde reliqui loci latitudinem & lõgitudinis, distantiam eruere expetas, ut eam sphæræ inscribas, aut at ab aliis notatam cum ea calculum tuum contendas. istiusmodi instituto propositio hæc magno adjumento erit.

DATUM. Loxodromia exponatur quarta, latitudo minor & Orientalior 5 gr. 59 ①, distantia 32 gr. 8 ①. QVÆSITVM. Reliqui loci latitudo, & longitudinis differentia investiganda esto.

1 Pragmatia juvante helice loxodromica.

In globo terreno 7^mæ propositionis punctum E assumam latitudine 5 gr. 59 ①, atque ei loxodromiam quartam applicabo, ut basis GA emmesocyclo DB conveniat, atque helix IK stringat ipsum E, unde versus Orientem (nam E ex hypothesi occidentalior statuitur) ab helice IK absumo, secundum 5^tæ propositionis præcepta, 32 grad. 8 ①, ea incidant in L. jam perquiro latitudinem puncti L, quam arcus LM definit, invenitur que isto paradigmate 28 grad. 42 ①.

Postea locorum eorundem longitudinis differentiam FM inquiro, eritque in exposito exemplo 24 grad.

2 Pragmatia designatis in sphæra loxodromiis.

Quartam in sphæra loxodromiam assumo, cui datam latitudinem inscribo, dicis gratia esto IK in sphæra propositionis 7 ubi E punctum occupet latitudinem 5 gr. 59 ①. indeq́ue Orientem versus (quia E locus ex hypothesi occidentalior statuitur) ab helice IK optatam distantiam 32 grad. 8 ① secundum 5^tæ propositionis præcepta absumo, hæc dicis gratia incidat in L. Iam latitudinem loci L inquiram, eaque esto LM, cujus amplitudo 28 gr. 42 ①.

Deinde duorum locorum longitudinis differentiam FM expendo, hæc erit in exposito paradigmate 24 gr.

3 Pragmatia ope numerorum.

Expositam 5 gr. 59 ① latitudinem in data quarta loxodromia in canone 4 propositionis inquiro, ipsiq́ue longitudinem distantiamq́ue congruam expendo, longitudinem quidem invenio 6 gr.
Distantiam 8 gr. 29 ①.
Huc si addatur data distantia (addi inquam oportere, quia latitudo exposita minima sit: contra si maxima foret subductione opus esset) videlicet 32 gr. 8 ①.
Conflabitur distantia 40 gr. 37 ①.
Hæc ad suprascriptam quartam loxodromiam relata ostendit sibi congruam secundi loci optatam latitudinem 28 gr. 42 ①.
Et longitudinem 30 gr.
Cujus supra 6 gr. excessus numeri ordine hoc primi, exhibet optatam longitudinis differentiam 24 gr.

Cujus demonstratio è factionis analogia perspicitur.


CONCLVSIO. Itaque data duorum locorum loxodromia, lociq́ue alterius latitudine cum distantia, reliqui latitudinem & longitudinis differentiam, quemadmodum petebatur, invenimus.

NOTA-

NOTATO.

Supra de loxodromiis & orthodromiis, seu recto obliquoque velificationis cursu diximus, sed quia in longinquis navigationibus, cum occasio sinit, velificandi quædam ratio ex utrisque mixta in usu est, paucis eam complecti est animus. In diagrammate subjecto A B terrestrem globum nobis designet, indè eodem A B emmesocyclum, C polum boreum, D, E loca duo disparis longitudinis latitudinisque, per quæ duo paralleli circuli describantur D F, E G. jam ut cursum ex E dirigas in D neque orthodromicè neque loxodromicè ut prius, sed in meridiano cum octava loxodromia, primùm in eodem meridiano E F ab E rectà boream versus decurritur; deinde in Occidentem sub eodem parallelo cursus inflectendus, id est sub octava loxodromia assiduè decurrendum donec appellas ad locum optatum D.

Notato item cursus initium ab E in Occidentem contendendo, id est sub octava loxodromia perpetuo versando donec optatam longitudinem ipsius D, quæ istic est in G, nactus sis, deinde ab G in D rectà in Septentrionem dirigi posse. Attamen nisi venti marisvè fluxus aliud suadeant con-



sultius sit ab E currere in F deinde sub eadem latitudine ab F in D; quam ab E in G atque istinc in D, major enim certitudo illinc stat. minore enim hallucinatione curritur sub eadem latitudine E D, quam sub eodem meridiano aut longitudine G D, quantum enim conjecturarum ratione, marisvè fluxu diversum trahente in longitudine committitur, tanta etiam occasum vel ortum versus aberratio erit à puncto D. Vt, si forte D parvam aliquam insulam notet, in ambiguo sit utrum occasum an ortũ versus (quod quandoque usu venire solet) tua te abripuerit aberratio, quamvis sub debita latitudine navem tuam

 stiteris.

ſtiteris. Atqui cum ab E primò ſtatim boream petes, parum refert ortūmve an occaſum verſus ab F ſub juſta latitudine navem appellas, etenim ſi ſub iſta latitudine verſus D decurras, neceſſario ipſi D aliquando occurres.

Huic velificationi ſub uno meridiano & uno parallelo, ſeu octava loxodromia, calculo quidem nullo, qualem in antecedentibus orthodromiis loxodromiiſque uſurpavimus, opus erit; at curſus hîc, quemadmodum in diagrammate perſpicitur, brevitate illis nequaquam comparandus.

APPEN-

APPENDIX LOXODROMIARUM.

CAPUT I.

Relatio super ordinatione loxodromiarum.

NOnnulli, inter quos est *Robertus Hues*, loxodromiarum initium à meridiano emmesocyclum versus exporrigunt primo loco statuentes βόῤῥα-ἐπ-εὖρον, secundo βόῤῥα-ευροβόρεαν, atque ita deinceps. Aliis verò, è quorum numero est *Eduardus Wricht* à mediatore seu emmesocyclo versus meridianum procedunt loxodromiam ευρεπιβορέαν assumentes primam ευρο-ευροβορέαν secundam atque simili in cæteris ordine. Verumenimverò quia ambiguitatis evitandæ gratia utile fore videatur ut omnes qui super hac re tractant in loxodromiarum appellatione eundem sequantur ordinem; rationem mihi reddendam duxi, cur potius à meridiano quam ab emmesocyclo auspicandum censuerim.

Principio cum loxodromiam primam dicimus quæ proxime emmesocyclum sequitur, impropria locutio videtur cum observator extra emmesocyclum vel reapse vel ex hypothesi versabitur. ideoque non jam dicendum erit prima loxodromia ab emmesocyclo; sed prima à circulo contra emmesocyclum parallelo: atqui his concessis parallelus iste non erit in numero loxodromiarum; quem tamen, cum non sit orthodromia, inter loxodromias referri ex ipsarum definitione necesse est. Quare res ipsa, atque ordinis ratio omnino postulare videtur ut initium à meridiano sumatur. ita enim cursus ab ortu in occasum, vel cõtra, inter loxodromias suum locum tuebitur, octavum nempe. atque eam ob causam hunc modum in antecedentibus semper secuti sumus.

CAPUT II.

De erratis *Petri Nonii*, super numeris loxodromiarum.

Cum Lusitani reliquique Hispani primi expeditiones in terras toto pene orbe ab ipsis divisas tentarint, primi etiam rationem & proprietates loxodromiarum annotarunt; quas mathematum peritia summis pene par *Petrus Nonius* scriptis illustrabit, deque numeris formæ ipsarum accommodis nonnulla adjecit, quos ipsos non usquequaque assecutus est, quo tamen ipsius nomini derogatum nihil volo, cum ratio cui illa superstruebat, adeo firma videretur, ut vel peritissimum quemque prima fronte decipere & in errorem pellicere potuerit. Et sane si eadem examinis ratio ipsi quoque, quæ aliis postea, oblata fuisset, ipse errorem suum prævenire & medelam facere potuisset.

Nonius inquam 23 capite lib. 2. *de regulis & instrumentis* concludit sinus arcuum à polo ad loxodromiam Interceptarum esse in proportione continua: Verbi gratia in 3 propositionis diagrammate (ubi R Z quartam loxodromiam statuimus) esse sinum M R ad sinum M X, ut sinus M X sit ad sinum M Y, & sic M Y ad M A, itemque M A ad M B, atque ita M B ad M Z. ideoque

intermissis mediis M R ad M X habere rationem eandem quam M B ad M Z. Quod falsum esse ita cognoscitur. Triangulum M R X cognitos habet tres terminos, latus M R 90 grad. angulum M R X 45 grad. & R M X 1 grad. Vnde M X latus cōcluditur 89 grad. ejusq; sinus 9998. Vt sinus M R ad sinum M X sit in ratione 10000 ad 9998. Iam loxodromia ab R in B exporrigatur ut B duntaxat 10 grad. à polo absit, & sinus M B 10 grad. erit 1736. Itaque sinus M Z concludetur 1736. Nam inita proportione ut sinus M R 10000 ad sinum M X 9998, ita sinus M B 1736 ad quem? datur sinus 1736, qui deberetur arcui M Z. atqui hanc haud esse tantam ita convincitur. Triangulum M B Z tres habet terminos notos, latus M B 10 grad. angulum M B Z 43 gr. & B M Z 1 grad. Vnde M Z latus per sphæric. triangul. 42 propos. invenitur 8 grad. 33 ①. hujus autem sinus 1487 longe abest à suprascriptis 1736, qui ex proportione continua eruuntur. Vt arcus M Z, qui tantum 8 grad. 33 ① vacet, secundum istum *Nonii* modum 10 grad. foret, qui 1 grad. 27 ① justo majores sunt. Atqui cum tantus error ex unicæ proportionis opere existat, verisimile est majorem multò eidem M Z ex antecedentium omnium proportionum erroribus accedere, antequam ad dictos 10 gradus distantiæ à polo deveniatur.

CAPVT III.

De errore *Eduardi VVright* in canonibus loxodromicis.


Post Lusitanos Hispanosque, Angli, expeditionibus in longe dissita loca susceptis, primi fuerunt, qui cum ad harum loxodromiarū rationem animum adjecissent errorem *Nonii* retexerunt, ad quem corrigendum, non ita pridem loxodromiarum canones ab *Eduardo Wright*, quos nos 4 propositione retulimus, divulgati sunt, qui propius ad rem ipsam accedunt. δοκιμασία autem atq; examen unde eos vero assidere conjecturam caperem, hęc erat. cum secundum primam construendi canonis hujus rationem quartę loxodromiæ latitudinem anquirerem (ubi propter continuam additionem absque ulla multiplicatione aut divisione opus per quam expeditum est, nam tangens 45 grad. æquatur istic sinui recto) ad longitudinem 78 grad. ei 61 gr. 26 ① congruere deprehendebam, ubi *Wrichti* canones 61 gr. 14 ① suggerunt, ut in tanta longitudine 12 ① tantum inter sese dissidiant. Cognotam autem certis rationibus verum numerum minorem etiam esse necessariò quam 61 grad. 26 ①, quod magno mihi argumento erat canonem istum, quamvis rem ipsam acu nō tetigerit, vero proximę assidere. Cæterorum autem loxodromicorum canonum cum isto calculo convenientiam aliis negotiis impedito experiri datum non fuit. atque ut huic rei fidem faciam exponam unicum istud

THEOREMATION.

Quemadmodum declinatio loxodromiæ ab emmesocyclo unius in longitudinem gradus progressu ad declinationem progressus gradus sequentis, ita (quam proximè) secans arcus educti per initium novissimi progressus ad secantem per primi progressus initium.

DATVM.

DATVM. Terrestris globi A B C D polus esto A, emmesocyclus B E D, in quo quatuor puncta E, F, G, H, comprehendant singulos gradus E F, F G, G H. deinde per eadem puncta quatuor educantur meridiani A E, A F, A G, A H; Deinde E I, loxodromia, verbi gratia, prima secet quatuor meridianos in punctis K, L, M, I; hinc arcus describantur paralleli K N contra F E, L O contra G E secetq́; A F in P, similiter M Q R parallela cōtra H E secetq́; A G



in Q. Et ab N per P in Q usque agatur prima loxodromia, quæ segmento K L M similis erit & æqualis.

Iam igitur F K est loxodromiæ declinatio ab emmesocyclo F E D, in progressu unius gradus, id est loxodromia ab E continuata est in K ut in longitudinem unum gradum profecerit: E inquam isto progressu unius in longitudinem gradus, declinavit in latitudinem arcu F K, seu quod idem sit E N, cum à K N & F E ex hypothesi parallelis intercipiantur; eadem ratione intelliges N O declinationem esse loxodromiæ progressu unius insuper in longitudinem gradus, dum à K porrigitur in L ubi declinavit quasi ab N in O quia L O ex hypothesi contra G E parallela est. similiter O R loxodromiæ declinatio est progressu unius adhuc insuper in longitudinem gradus dum ab L producitur in M. Vt N O declinatio sit loxodromiæ unici in longitudinem gradus,

gradus, O R declinatio unius item gradus proximè sequentis.

QUÆSITUM. Vt demonstretur N O ad O R rationem habere eandem quam secans è centro sphæræ per L initium novissimi progressus L M, ad secantem per K initium primi progressus K L. sed secans per N æquatur secanti per K, quia K N parallela est contrà F E. similiter secans per O æquatur secanti per L, nam L O parallela est, contra G E, itaque demonstrandum est quemadmodum N O ad O R, sic secantem per O ad secantem per N.

Porro scopus instituti theorematis eo tendit, ut demonstremus numeros in exposito canone descriptos ab hac proportione dissidere, ideoque non omnino accuratos esse. Præterea quomodo eodem fundamento Canones accurati & bene justi, quamvis difficiliore modo confieri possint.

DEMONSTRATIO.

Assumamus diagrapham primæ definitionis de fabrica triangulorum, ubi triangulum A B I triangulo A F C simile est, cujus termini similiter siti proportionales sunt, id est

Vt A I ad A B, sic A C ad A F,

Sed A C æquatur A B, & G C ipsi A F, itaque erit

Vt A I ad A B, sic A B ad G C.

A I autem est secans, A B sinus totus, G C sinus ipsius C E qui est arcus differentiæ ipsius B C; ideoque catholico axiomate concludo,

Vt secans arcus ad sinum totum,
Ita sinus totus ad sinum arcus differentiæ.

Quibus positis ad hujus theorematis diagramma redeamus, ubi propter expositam proportionem ita infero:

Vt in quadrante A E, secans per N, seu arcus N E, ad sinum totum, sic sinus totus, ad sinum arcus differentiæ ipsius N E, seu A N. Hoc est in nudis terminis, ut secans per N ad sinum totum, sic sinus totus ad sinum A N. Eodemque modo,

Vt secans per O ad sinum totum,
Sic sinus totus ad sinum A O.

Atqui cum sinus totus utràque proportione media sit, efficitur hinc

Secantem per N, ad secantem per O esse,
Vt sinus arcus A O, ad sinum ipsius A N.

Sed quemadmodum sinus A O, ad sinum A N, sic circulus cujus semidiameter sit sinus A O, cujus pars est peripheria L P, ad circulum cujus semidiameter sit sinus A N, cujus pars est peripheria K N. Itaque

Quemadmodum secans per N, ad secantem per O, ita circulus cujus pars sit L P, ad circulum cujus pars K N.

Est autem L P ad K N (cum singuli ex thesi 1 grad. in suo orbe valeant) quemadmodum circuli toti quorum ipsi sunt partes. Erit igitur

Vt secans per N ad secantem per O, sic L P ad K N.

Verum L P, K N sunt termini similiter siti in duobus triangulis Q L P, P K N, quæ proximè similia sunt (quam proximè inquam, quia inter se contermina sunt, & latera habent valde exilia, quamobrem in propositione adjecta est cautiuncula *quam proximè*) adeòque reliquis quoque lateribus Q L, P K homologa erunt, hoc est

Vt L P ad K N, sic Q L ad P K: & consequenter,

Vt secans per N, ad secantem per O, sic Q L ad P K.

Verum

Verum R O æquatur Q L, & O N ipsi P X. Quare fuerit

Secans per N ad secantem per O, ut R O ad O N.

Et inversè,

Vt O N ad O R, sic secans per O ad secantem per N.

CONCLVSIO. Itaque quemadmodum declinatio loxodromiæ ab emmesocyclo progressu unici in longitudinem gradus, ad declinationem progressus in longitudinem gradus sequentis: sic (quam proxime) secans arcus educti per novissimi progressus initium, ad secantem per initium progressus primi. Quod demonstrandum fuit.

Quamobrem, cum ista proportio rata sit, propositum canonum errorem detegemus.

E I in exposito diagrammate primam notet loxodromiam, ubi latitudines F K, G L inveniēdæ sint. Primum ad inventionem F K, ajo triangulum K F E (quod plani instar habeo, nam ita quoque in canone assumuntur) tres terminos habere notos, K E F 78 grad. 45 ①, K F E rectum, & F E 1 grad. Vnde erutum latus K F in partibus sinus totius 100000000 ut calculus ad ② extendatur, invenitur per 4 planorum triangulorum propositionem 5 gr. 1 ① 38 ②, sed E N æquatur F K quare E N tantundem valet. Iam cognita N E, ut secundum expositi theorematis præcepta inveniam quoque N O ita cōcludam. Vt secans per N seu arcus N E 5 grad. 1 ① 38 ②, quæ est 10038616 ad secantem per E 10000000 (quam secantem nunc dicimus, quamvis improprie, cum secans nō sit, sed ut ex theorematis ratione appellationem observemus) sic arcus N E 5 gr. 1 ① 38 ② ad quem? concludes arcum N O 5 gr. 0 ① 28 ②. His additis ad N E 5 gr. 1 ① 38 ② fit N O, seu quæsita G L 10 gr. 2 ① 6 ②. Atque is numerus cum prima canonis loxodromici fabrica propos. 4. planè congruit. Namq́ue N K tanquam basis rectanguli trianguli valet 59 ① 46 ②, quibus regulam imitatus per planorū triangulum calculum deprehendes K P seu O N 5 gr. 0 ① 28 ②, ideoq́; etiam E O in suprascripta accuratione. A qua tamen secundus modus deficit, quamvis enim omnem calculum per ② etiam ducas G L tamen efficitur tantum 10 grad. 1 ①. Verumenimvero ut secundam hanc confectionem clarius explicem, sic agam. In collectarum secantium canone inquiro quis numerus congruat ipsi E N 5 grad. 1 ① 38 ② & invenio 3020 qui sibi additus exhibet 6040 cui in eodem canone respondent pro G L seu F O 10 grad 1 ①, qui à prioribus 10 gr. 2 ① 6 ② distant 1 ① 6 ②. quare novissima ratio non est accurata satis aut bene justa, nam etiam deinceps operis progressu error cressit.

Animadversione dignum quoque censeo, triangulum K E F in lateris K F investigatione planum haberi non debere, qua duo latera E F, F K quibus calculus instituitur inflexa sint & curva, ut F K per sphæricorum triangulorum præcepta inveniatur 5 grad. 0 ① 51 ②, qui à primo 5 gr. 1 ① 38 ②, duntaxat 47 ① distat. Et licet propter exilitatem triangulorum primò error sit parvus, progressu tamen crescit.

CAPVT IV.

Quomodo fabrica canonum loxodromicorum rata, & vera confieri posit, ex Autoris sententia.

Quemadmodum investigatio arcus N O secundùm præceptum theorematis,

matis 3[tio] hujus Appendicis capite demonstrati, instituta fuit, etiam O R inveniri poterit. quippe ut secans C E ad secantem N E, sic arcus N O ad quem? quod hinc existet definiet arcum O R, hic additus ad O E dabit arcum E R, seu H M latitudinis mensuram sub longitudine 3 graduum. jam si unius adhuc insuper longitudinis gradus latitudinem expetas, puta R S, rursum dicas; ut secans R E ad secantem O E sic arcus O R ad quem? terminus qui hinc existet quartus designabit arcum R S. atque ita in cæteris.

Neque negligendum longitudinis distantiam quo minor sit assumpta, eo cõstantius opus dirigere. arcuum autem segmẽta satis concisa usurpari gemino opere doceberis, si latitudinem per gradus, deinde etiam per graduũ semisses investiges, quamdiu utroque calculo discrimen nullum, aut exiguum quod contemni possit occurret, perseverato, cum autem dissidere senties, minores arcus assumito atque pro gradibus integris semisses, pro semissibus quadrantes graduum adhibeto. jam si rursus discrepantia notabilis existet, graduum semisses deserito, & quadrantes seu 15 ① tanquam principalem usurpato, eique alium minorem per 10 ① calculum administrũ addito. Atque hac via, quamvis operatio molesta sit, certum aliquid & ab errore liberum cudi poterit, dum per geminum opus graduum & semissium nulla discrepantia existet. neque necesse est ab eodem initio repeti semissium & minorum arcuum auxiliarem opellam, quamdiu enim gradibus graduumque semissibus bene convenit frustra esset istorum subsidium.

Præterea si calculum hunc secundum canonum loxodromicarum primam fabricam 4[tæ] propositionis instituere voles, ex re esset ante canonion instituere quantum 1 gr. paralleli cujusque in ①, ② & ⊙ emmesocycli taxatus valeat, quale est octavæ loxodromiæ canonion, sed accuratius tamen. in latitudine enim, pro 30 ① ordinato latitudinis progressu, per singula ① gradiendum; & qui gradus istic duntaxat ad emmesocycli ② revocantur, hic etiam ad ○ extendendi essent.

Hac talis canonis conficiendi molestia superata, clarum est reliquum opus sola multiplicatione confectum iri, cum in altera illa factione præter multiplicationem & divisionem secantes quoque adhibendæ sint. at contra tum ab istius canonis concenturiandi tœdio liber fores.

Atque hæc ratio minime fallax mihi videtur, quamvis operis ratio tœdiosa sit, ea tamen semel devorata securos de erroribus nos præstabit. Si verò interea à quoquam confectio expeditior certis innixa rationibus inveniatur, æquum omnino erit eandem huic præferri.

CAPUT V.

Quomodo velificatio secundum pyxidem nauticam accuratius, quàm vulgo fiat, posit dirigi.

Superioribus seculis nauticam pyxidem in octo tantum plagas diviserant, quæ posteaquam in longissimè dissitas orbis partes expeditiones susceptæ sunt ad tricenas binas excreverunt. Imo à nonnullis etiam ultra in 64 plagas tribuitur, verum novissima hæc partitio aliis, quibus ista subtilis divisio in navis cursu oculorum judicium subterfugere videtur, omnino improbatur & rejicitur. Veruntamen PRINCEPS ILLUSTRISSIMUS cum negotium hoc penficulatius examinaret, modum proposuit, quo non tantum in quatuor & sexaginta plagis, sed etiam gradatim per 360 in quot partes circulus tribui suevit,


vel

vel etiam fingulorum graduum particulas, ut complures in eadem navi eandem inſpectantes pyxidem, quaſi eodem ore unum eundem graduum, gradusve ſemiſſem aut quadrantem, pro inſtrumenti amplitudine, & accuratione, deſignaturi ſint. Et quia materia hæc ſuperioribus affinis eſt eam huic Appendici annexui, duobus exemplis rem univerſam expediturus.


1 *Exemplum pyxidis nauticæ ſtellâ verſatili rigidæ papiro affixâ.*

ABCDEFG pyxis eſto, in qua incluſa orbicularis rigida & recta papyrus, quæ non uſitato 32 plagarum partitione, ſed in 360 gradus dividatur, ut ſinguli quadrantes 90 gr. in extremo papiri margine complectantur. ſub hac alia ſimiliter rigida & orbicularis ſubjiciatur, in qua acus magnete tacta fixa jaceat, ut ita diſtantia à ſtella verſatili tanta ſtatuatur, quantam iſtius loci uſitatus magneticæ deflexus exiget.

In exteriore pyxidis ambitu recta perpendicularis notetur CE, dehinc CH à C verſus pyxidis centrum directa, & ab H alia deorſum parallela ducatur contra CE. porrò A punctum rectâ per diametrũ pyxidis opponatur ipſi G,



unde AG perpendicularis in exteriore pyxidis ambitu ducatur, ut GE connexa rectâ ſubeat centrum & parallela ſit contra AC. Iam IKLM navis




ichnographiam notet, N O locum ubi pyxis collocari solet, hinc P Q agatur contra navis carinam parallela, à medio quippe puppis cum proræ medio cõnexa: verùm, quia P Q nostro instituto nimium exigua est, aliam majorem ipsi homologam exponam in sequenti diagrammate notis R S, quam istius lineæ contra carinam parallelæ vicem fungi fingo; in hac R S statuito pyxidem ut puncta E G secundum eam dirigantur.

His ita ordinatis, navis cursus secundum gradus aut alias minutiores partes dirigi poterit, dicis gratia 17 grad. expositi sunto quibus ab Occidente in Meridiem sit cursus inclinandus, ita clavus erit regẽdus ut 17 isti gradus plane cõgruant rectæ, quæ ab H deorsum tendit parallela contra C E, quamdiu enim è regione istius stabit, accuratius judicium assecutus eris, verum simulatq; unico gradu aut semisse à linea quæ sub H ducta est deflectet, omnes qui aderunt unanimi consensu eodemque ore clamabunt extra viam recedi, & nominatim quantum aberretur designabunt.

2 *Exemplum Pyxidis nauticæ habentis nudam acum magneticam.*

Verumenimverò quia cuspis acus magneticæ omnibus involucris chartaceis denudatę accuratius exactiusq; innatam sibi vim exercet, quam dum duo ferramenta acusvè ad acutum angulum inter se committuntur papyroque affiguntur, illa quoque instituto nostro majorem afferet certitudinem, atque tum interior pyxidis ambitus, ubi recta ab H deorsum tendit, in 360 grad. dividetur, quipe quater 90 grad. ut unus quadrans numerationis suæ initium ducat ab H, B versum, alter ab H versus D, reliqui duo ab A in B, & in D.



Atque ad H scribatur Boreas, ad A Notus; Ad B, ubi usitato more scriberetur occasus, signetur ortus, opposita autem parte ad D occasus. Hinc quantus acus magneticæ hoc vel illo loco erit deflexus, tantùm distet E punctũ ab R S linea, quę sumitur cõtra carinam parallela. Verbi gratia si magneticę deflexus sit graduum 10, à C versus B numeratis 10 gradibus, decimum gradum collocabis in linea R S, tum enim E punctum 10 gradibus removebitur à linea carinæ R S. His positis, si velis, verbi gratia, cursum 17 gradib. ab occasu

casu versus meridiem inflectere. navis ita dirigenda erit ut mucro acus magneticæ stet è regione 17^{mi} gradus ab Occidente in Meridiem in pyxide designati, atque hinc manifestum hunc modum accurationem esse superiore.

Atqui si forte, quia ortus nomen in locum occasus immigrarit, metuas ne navales pedes, qui clavum dirigunt, ob novitatem falli contingat, navis magister pro quatuor mundi cardinibus quatuor characteres A B C D adscribere poterit. Et cum mandare volet ut navis cursum 17 grad. dirigant ab occasu in Meridiem, imperabit ut 17 grad. cursum inflectat ab D in A.

Præterea ut commodius Septentrionale pyxidis punctum seu E tantùm à carinæ linea R S removeatur, quantùm magneticæ deflexus hoc vel illo loco postulabit, utrimque ab R S 40 aut 50 grad. notentur ut pyxidis punctum E isto vel isto gradui, qui deflexui congruus erit, aptetur, inque hujus circuli centro pinnula erigatur in qua basis pyxidis suo centro defixa versetur.

HISTIODROMIÆ

FINIS.

LIBER QVINTVS
GEOGRAPHIÆ
DE
*LIMENHEVRETICA.

Metaphraſte Hug. Grotio Batavo.

* *Portuum inveſtigandorum ratione.*

BREVIARIVM
LIMENHEVRETICÆ.

Neminem esse reor, qui ignoret quantâ diligentiâ jamdudum, ex quo præsertim homines nihil orbis intentatum relinquentes, in Americam Indiamq; navigarunt, optimi rerum indagatores quæsierint certam aliquam rationem, qua ii, quibus clavus commissus est, ubicunque tandem locorũ essent, certò scirent ejusdem loci situm longitudinemq;, atque ita ad destinata navalia pervenirent. Sed nescio quâ fatorum invidiâ hactenus negatum sit indubitatam ejusce rei scientiam adipisci. Quidam enim cum idipsum per chalybem, sive acum marinam invenire conarentur, ipsi longitudini polum attribuerunt, quem à magnete denominarunt: sed aliter hæc se habere res ipsa docuit, cum comperta sit acus sive chalybis declinatio, illius poli normam non observare. Interea tamen temporis continua isthæc indagatio occasionem dedit alteri rationi, quâ ad optatum portum possit certo quodam modo cursus dirigi, ignorata nihilominus tam loci in quo navigium, quam in quo portus est verà longitudine. De ista igitur portus investigandi ratione, quam LIMENHEURETICAM *indigitamus, quæq; longè specialior est nobilissima* longitudinis *inventione, quinto hoc libro disserere est animus.*

DEFI-

DEFINITIONES.

I DEFINITIO.

Declinatio magneticæ à Septentrione ad Orientem ἀναβλισμὸς vocatur, Occidentem versus δυσισμὸς, & nomine universali χαλυβόκλισις: Χαλυβόκλισις autem & ὀρθοβορεοδεῖξις generali χαλυβοδείξεως nomine appellantur.

IMprimis sciendum venit quotidianâ nos experientiâ doceri chalybem sive acum magnete illitam (quam propterea magneticam appellabimus) eodem utique loco unicam duntaxat mundi plagam designare, at non ubiq; locorum eandem, modò enim à Septentrione in Orientem, modo in Occidentem deflectit, quæ χαλυβοκλίσεως communi nomine comprehenduntur. at quia nonnullibi etiam verum Septentrionem commonstrat, hanc ὀρθοβορεοδεῖξιν & illam χαλυβόκλισιν, χαλυβοδείξεως generali appellatione inclusimus. Tanta autem tamque anomalæ inclinationis ratio in cœlestium rerum libris explicabitur, ubi Terræ motus, cum utique ipsa quoque è planetarum sit numero, describetur. Sed ut quilibet clarius hujusce rei θεωρίας addiscat, placet hinc principia quædam rei majoribus adhuc nihilominus experimentis indagandæ, proponere, in quibus σύνοψις ostendetur quædam eorum locorum, quorum chalybodixes jam à doctissimo Geographo *Petro Plancio* assiduo labore, & non sine magnis dispendiis ex variis terrarum angulis propè vel procul dissitis sunt observatæ: quem honoris causâ iccircò nomino, ut tam ii qui locos vel navalia ad hanc rationem posthàc invenient, quàm ii qui jam invenêre, *Plancio* soli se ad gratias habendas sentiant obstrictos, ut qui causa sit princeps hujusce observationis.

Ante tamen hoc præmittere consultum arbitror, si forte posthàc diligentiore & exactiore experientiâ locorum chalibodixis, longitudo, vel latitudo alia quàm quæ est in synopsi, possit inveniri, ita ut necesse esset definitiones explicationesque rerum & vocabulorum immutare, non ideò tamen nos ab hoc proposito debere absterreri, sed multo potius eò omnibus viribus contendere, ut sensim ad certiorem rerum cognitionem perveniamus, his tanquam fundamentis superstruentes. quam opinionem secuti idipsum quod hodie vero simillimum est, tanquam verum prosequemur, ut si alii quoque idem data occasione faciant, semper propius propriusque ad id quod ejus verissimum in rerum natura est accedamus.

CHALYBODIXEOS SYNOPSIS.

				Anatolis.		Latitud.		Lõgitud.	
				gr.	①.	gr.	①	gr.	①.
* *Accrescens declinatio Orientalis.*	Primi spatii sive tmematis ad plagam Septẽtrionalem	* Auxanomenos anatolismus	In Insula Flandricâ Corvo.	0	0.	S 37.	0.	0.	0.
			In Insula Flandrica S.Mariæ.	3.	20.	S 37.	0.	8.	20.
			Prope Insulam Majo dictam.	4.	55.	S 15.	0.	11.	20.
			Apud Canariæ Insulam Palmam.	6.	10.	S 28.	30.	16.	20.
			Apud Caput de Roca prope Vlissiponem.	10.	0.	S 38.	55.	24.	30.
			In extremo Hiberniæ Occidentem versus.	11.	0.	S 52.	8.	24.	12.
			In finibus Angliæ.	12.	40.	S 50.	21.	28.	0.
* *Decrescens declinatio Orientalis.*		* Elattumenos anatolismus	Ad unum miliare versus Orientem à Plemutho.	13.	24.	S 50.	18.	30.	0.
			Apud Timaltum in ipso pelago.	12.	40.	S 55.	0.	33.	0.
			Londini in Anglia.	11.	30.	S 51.	24.	34.	6.
			In Angliæ promontorio.	11.	0.	S 51.	8.	35.	40.
			Amstelodami.	9.	30.	S 52.	20.	39.	30.
				Dusismus.					
* *Accrescens declinatio Occidentalis.*	Secundi spatii seu tmematis ad plagam Septentrionalem	* Auxanomenos dusismus	Helmshudæ ad Occidentem à Nortcapo Finomarci.	0.	0.	S		60.	0.
			Nortcapi Finomarci.	0.	55.	S 71.	25.	61.	30.
			Norquindæ.	2.	0.	S 71.	10.	63.	30.
			In loco Rusciæ S. Michaël sive Archangelus nominato.	12.	30.	S 64.	54.	83.	30.
			In strato australi Vaygathi.	24.	30.	S 69.	30.	103.	0.
			Langenesi in Nova Zembla.	25.	0.	S 73.	20.	100.	30.
			In Wilhelmi Insula apud Novam Zemblam.	33.	0.	S 75.	35.	110.	0.
* *Decrescens declinatio Occidentalis.*		* Elattumenos dusismus	Yshouckii in Novâ Semblâ.	27.	0.	S 77.	12.	120.	30.
			Winterhusii, sive in Chimatœciâ Novæ Semblæ.	26.	0.	S 76.	0.	120.	30.

Primi

			Anatolis. gr. ①.	Latitud. gr. ①.	Longit. gr. ①.
Primi spatii sive tmematis ad Meridionalem plagam,	Auxanomenos anatolismus	105 Hispanicis miliarib. Occidentem versus à Capite S. Augustini in Brasilia.	0. 0.	M.	0. 0.
		Ad Caput S. Augustini in Brasilia	3. 10.	M 8.30.	6. 0.
		Βορείως καὶ νοτίως cum Cap. dos Almas in Guineâ.	12. 15.	M 0. 0.	29. 0.
		Ad Zephyroboream βορειοτάτως ab Insulis Tristanicis de Cuncha.	19. 0.	M 31.30.	30. 0.
	Elattumenos anatolismus	Ad Zephyroboream ζεφυρωτέρως ab iisdem.	15 0.	M 31.30.	36. 0.
		Βορείως καὶ νοτίως cum capite Bonę spei.	2. 30.	M 35.30.	57. 0.
			Dusismus.		
Secundi spatii ad plagam Australem exceptis Goâ, Cochin & Cantano,	Auxanomenos dusismus	Germ. mil. 17 à Cap. das Aguillas ad Orient.	0. 0.	M.	60. 0.
		Quinq; miliarib. in pelago à terrâ Natal.	4. 30.	M 33. 0.	66. 0.
		Apud Barxos Indiæ.	11. 0.	M 22. 0.	79.30.
		In Mosambicâ.	11. 0.	M 14.50.	81.40.
		In sinu S. Augustini Madagascarâ	13. 0.	M 23.30.	83. 0.
		Ad Meridiem à Cap. S. Romani.	16. 0.	M 28. 0.	86.20.
		In sinu Antoni Gilli in Madagascarâ.	25. 0.	M 16.20.	91. 0.
	Elattumenos dusismus	34 Germanib. miliarib. λιβονοτίως à Brandaone.	22. 0.	M 19.20.	110. 0.
		In Goa Indiæ celeberrimo emporio.	15. 10.	M 15.30.	120. 0.
		In Cochin.	15. 0.	M 9.45.	121. 0.
		25 Germ. miliarib. Occidentaliter paulum ad Boream ab angulo Zephyronotio Zamatræ.	6. 0.	M 5.28.	147. 0.
		In Bantano Indiæ Emporio.	4. 45.	M 6. 0.	150. 0.
		In Insula Lubocquâ.	2. 25.	M 6.10.	155. 0.
		In angulo Zephyronotio ab Insulâ Balii.	1. 30.	M 8.40.	157. 0.
		In ostio fluvii Cantani in China.	0. 0.	M 23. 0.	160. 0.
		In Bunam qui locus ad Eurum ab Orientali Iavæ parte situs est.	0. 0.	M	160. 0.

Quamob-

Quamobrem ut ad synopseôs explicationem veniamus, ante omnia dicimus trium quas in synopsi vides columnarum primam chalybodixes loci designare, alteram latitudinem, quibus tertia conjuncta est, quæ longitudines (prout eam conjecturam potuimus assequi) complectitur, ut loci eò faciliùs in sphæra reperiantur, & formæ chalybodixeôn in sequentibus apertius demonstrentur. Nota S. in columnâ secunda Septentrionalem sive βορείαν designat latitudinem, M Meridionalem sive νοτίαν.

2 DEFINITIO.

Auxanomenos anatolismus vel dusissimus est, quo magnetica ab Occidente ad Orientem prolata accrescit: & elattumenus quo decrescit.

Quod ad vocabula illa auxanomenu, & elattumenu attinet, antequam ad definitionem eorum perveniamus, opus habent præcedenti quadam declaratione. Videre est in synopsi Magneticam in Corvo ὀρθοβορειοδεικνύειν, id est, verum Septentrionem demonstrare, sed deinde quò quis magis Orientem versus proficiscetur, eò magis itidem videbit Chalybem ἀνατολίζειν usque unicum miliare Orientem versus à Plimutho, ubi declinatio ad summum perveniens est 13 grad. 24 ① Abhinc rursum incipit decrescere Anatolismus usque ad Helmshudam, qui locus ab Occidente à Nortcapo Finomarci dissidet, ubi iterum ὀρθοβορειοδεικνυει. Longitudo autem à Corvo ad Helmshudam est 60 grad. Quibus perpensis, constat maximam chalybodisin grad. 13 & 24 ① apud Plimuthum, cujus longitudo erat 30 grad. fieri in medio duorum locorum ὀρθοβορειοδεικνυμένων. Nam 30 grad. medietas est inter principium & 60 grad.

Quæ autem hîc in boreali plagâ dicta sunt, eadem obtinere docet experientia in parte Australi; nam 105 Hisp. miliaribus à Capite S. Aug. apud longitudinis principium iterum ὀρθοβορειοδεικνύει, ut & (quemadmodum ex Synopsi liquet) ad 17 mil. Germanica à Cap. das Aguillas, qui locus est in longitudine 60 grad. & in medio utriusque ad 30 nempe grad. uti in Boreali parte rursus est maximus anatolismus, quo de loco hæc fuit in synopsi mentio: Ad Zephyroboream βορειοτέρας ab insulis Tristanicis da Cuncha, ubi est chalybodisis 19 grad.

Ex his concludere volumus, Magneticam ὀρθοβορειοδεικνύειν in singulis locis sitis in duobus hemicyclis meridianis Diacorvou & Dhelshudes, ductis ab uno polo ad alterum. Et anatolismum summum esse in locis omnibus sitis in semicirculo meridiano ducto per locum illum, quem diximus unico miliari à Plimutho Orientem versus distare.

Adeò ut illa terræ pars, quæ intra duos hemicyclos meridianos à se mutuo 60 gr. in long. distantes comprehenditur, spatium sit in quo magnetica semper à Septentrione ad Orientem declinat. Medietas autem illius, terræ videlicet portio inter duos semicirculos meridianos, quorum prior per principium, alter per 30 grad. ducitur inclusa, ubique sit locus auxanomenu anatolismi: Altera verò elattumenu anatolismi, nempe cum quis ab Occidente ad Orientem tendit, persequens ordinem graduum longitudinis.

Ex his quæ dicta sunt in primo tmemate cum anatolismo ejusq; partibus, in quarum unâ est αὐξανόμενος, in altera ἐλαττούμενος anatolismus, facile intelligi potest quæ sit ratio secundi tmematis cum dysismo, & quæ ratio partium,

tium, quarum una est auxanomenu, altera elattumenu dysismi: nam in ostio fluvii Cantani in China ad long. 160 grad. à Corvo dissito, tertio jam ὀρθοβορεοδεικνύει; itaque inibi ducto tertio semicirculo meridiano, erit portio terræ, inter secundum illum hemicyclum Merid. & hunc tertium 100 grad. longitudine à se mutuo distantes, spatium in quo Magnetica à Sept. in Occid. declinat, & in medietate utriusque in hemicyclo Merid. 50 gr. ab secundo & tantundē à tertio dissito, aut alioquin 110 gr. à primo diaCorvou remoto, maxima Magnetices declinatio, ut liquet ex Synopsi duobus in locis, quorum unus est in Hilermoneso, sive Wilhelmi insula apud Novam Zemblam, ubi summus dysismus in lat. inventus est 33 grad. Alter est 34 mil. Ger. ad Euronotum à Brandaone dissitus, ubi maxima chalyboclisis in lat. inventa est 22 grad. cum longitudo singulorum sit 110 grad. ita ut in medietate secundi spatii, quæ terræ portio comprehenditur inter semicirculum Merid. 60 grad. & alterum 110 gr. ubique sit auxanomenus dysismus, in alterâ medietate elattumenus dysismus.

Horum 160 grad. long. qui arcus 20 grad. exceptis terræ mensuram dimidiam complet, *Plancius* chalybodixin, quam jam ostendimus, est assecutus: Quod ad cæteras mundi partes, vel ad Occidentem à Corvo, vel ad Orientem à Cantano dissitas, attinet, non bene conveniunt experimenta quæ nactus est ab Hispanis, Britannis & nostratibus. Neque mirum cum neque scientia perfecta affuerit, neque experimenta ad eam rem necessaria: expectat tamen alia experimenta certiora.

3 DEFINITIO.

Hemicycli meridiani, in quibus est ὀρθοβορεόδειξις, nominantur à nobis primi, & secundi semicirculi meridiani, & ita deinceps pro ordine grad. long. quotquot tales sunt circuli incipientes ab hemicyclo diaCorvou.

Sic meridianus circulus cujus hemicyclus Septentrionalis per Corvo, Meridionalis verò per eum locum eductus, qui περιφερικῶς distantiâ 150 Hispanicorum miliarium Occidentem versus à Capite S Augustini in Brasiliâ in synopsi describitur, primus hemicyclus appellatur. Ita secundus dicitur, qui Septentrionali parte per Helmshudam, Meridionali per eum locū tendit, qui 17 Germanicis miliaribus à capite das Aguillas Orientaliter aberit. Eâdemque analogia tertius, qui per ostium Fluminis Cantan in Chinâ porrigitur.

4 DEFINITIO.

Planum contentum primo & secundo hemicyclo meridiano nominatur primum spatium sive tmema, & alia ex ordine secundum, tertium, & ita usque ad finem.

DEIN-

DEINCEPS PROPOSITIONES.


1. PROPOSITIO.

Chalybodixin in pelago invenire.

Quanquam inventio chalybodixeos (de quâ multa fuit hucusque merito) compluribus innotuerit: tamen iis, qui fortè adhuc ejus rationem ignorant, rem paucis enodabimus.

Siquidem hîc αἴτημα, sive postulatum est de declinatione magnetices inveniendâ, primum quærendum est punctum boreale, ut ad eum chalybodixis comparetur. Ejusce inventio in navi mobili non parvam habet affinitatem cum inventione puncti Septentrionalis * ἐν ἠπείρῳ, & brevibus ita potest expediri. In instrumento, quod alii Directorium marinum, alii nauticam pyxidem nuncupant: nos ambiguitatis tollendæ causa novo nomine Haloscopon nominabimus, in eo, inquam, lilium convenire debet cum Septentrionali subjacentis chalybis parte: seu quod longè est commodius, lilii loco acus supra chartam affigitur, & dividitur chartæ orbis in 360 grad. incipientes ad punctum boreale ipsius acus, ut videre est infra in circulo A B C D, in quo magnetica designatur per A C, quæ ipsi chartæ est affixa, E est centrum. Vsus talis est.

* in continenti.



Quemad-


Quemadmodum navarchus in quærendâ latitudine meridiem solet opperiri, usquequo videlicet umbra perpendiculi conveniat cum lineâ quam pro meridianâ habet in suo instrumento: ita omnia etiam hîc procedunt, nisi quod incipiat 3 aut 4 horis ante meridiem, animum advertens in quem gradum haloscopi, quodve tmema umbra perpendiculi incidat. Ponamus itaque invenire in 40 grad. quem literâ F adumbravimus: ita ut G E F umbram designet: Inquiret deinde solis altitudinem, quam (exempli causa) inveniet 28 gr. quos simul cum 40 supra nominatis memoriæ juvandæ gratiâ annotabit: Expectabis deinde quoad Sol post meridiem descendens ad eandem 25 grad. altitudinem pervenerit, animadvertetque quem tunc locum umbra perpendiculi in charta denotet, quem sumamus iterum 40 gr. ad alteram videlicet partem uti ad literam H, ita ut jam I E H umbram adumbret. Quibus perfectis medium arcus F H nempe A est punctum boreale, & quoniam magnetica eum rectâ designat, nullam eo in loco habet declinationem, siquidem ὀρθοβορειοδεικνύει. Sed si in eodem experimento pomeridiano umbra 40 gr. non designasset ad alteram partem A, sed exempli causa 20 tantum grad. usque K, eo in casu debet arcus F K faciens 60 grad. διχάσειν, sive bipertiri cogitatione ad L; ita ut L F & L K singula efficiant 30 grad. & quæsita chalyboclisis sit anatolismus ab L ad A 10 grad.

Sed si in eodem pomeridiano experimento umbra perpendiculi L designasset 30 nempe grad. ab F, arcus F L 30 grad. cogitatione diducitur ad M; ita ut M F, M L singula 15 grad. colligant, quibus perfectis, M erit punctum boreale, & A quæsita chalyboclisis, anatolismus ab M ad A 25 grad. & ita in cæteris. Sed si magnetica vertigine tantum duceretur, neque chartæ esset affixa (ut supra) & gradus in pyxidis sive in organothecæ margine essent annotati, quod aliquoties usuvenit, idem est modus qui supra commemoratus: ita tamen ut in experimenti initio theca eousque vertatur donec Magnetica graduum principium designet.

Alii quadrantem Arimuthalium (ut barbaro utar vocabulo) sive (ut Græco κορυφαῖον accipiunt, cujus planum Horizontale citra ullum impedimentum à navigii motu acceptum, semper manet Horizonti parallelum eo quo dicemus modo: Hoc pacto invenitur Solis altitudo unà cum arcu verticali. Forma ejus talis potest depingi. A B C quadrantem circuli designat superstantem εὐθυγωνίως circulo B D C E diviso in 360 grad. quo planum Horizontale designatur. Centrum ejus est F, super quod circuli quadrans potest circumverti, & ut semper εὐθυγώνιος maneat super circulum B D C E utrinque fulcrum struitur, ut à G usque ad D & E, eidem quadranti affixum, ut simul cum eo possit circumverti. Est præterea in circulo B D C E vitrum quoddam, & intra vitrum ipsa Magnetica sive chalybs, qui quam maximè pyxis patitur lõgissimus sumendus est. Pyxis autem sive theca intra se habet suos 360 gr. quos Magnetica præcise (ut ita loquar) possit demonstrare, quod identidem conveniunt cum aliis totidem grad. plano Horizontali inscriptis. Hoc instrumentũ ex inventione *Reginaldi Petræi* fabricatum est pendens supra duos axes ad instar Haloscopi, ut ita circulus B D C E in navigii motu semper æqualiter ab Horizonte distet. Et ut idipsum majori cum securitate fuit, subnectitur pondus H literâ notatum 25 aut 30 librarum, aut tot, quot instrumenti moles postulat.

Sed & hoc annotatu dignum est quadrantem nempe circuli suo loco erecti perpendiculi in modum, utrinque ejusdem esse gravitatis & ponderis, hoc est latus ab F ad C ἰσόῤῥοπον lateri ab F ad B, quod sciri potest si quis quadrantem

P tem



tem tollens suspendat cum G inferius filo videlicet fixo in medio B C, apud F, & deinde de parte graviori tantum descobinet quantum sufficere possit, ut linea BC pendeat in æquilibrio.

Quia verò possit aliquis objicere lineam illam quam barbari Alidadam appellant, prout vel altiùs, vel depressiùs verteretur magnam in pondere varietatem posse adducere, sciendum tale quid summopere metui non oportere ob summum pondus H, & ipsius lineæ levitatem.

Vsus ejus in inventione puncti Septentrionalis, & chalybodixeôs talis est. Initium, uti in priori specie, sumitur aliquot horis ante meridiem & instrumentum vertitur, quoad Magnetica initium circuli designet: deinde quadrans circuli

culi huc, & illuc tam diu vertitur, quoad Sol per διόπτρα radiet: Quibus observatis invenietur (exempli causâ ita loquamur) quadrantis circuli ultimam marginem sive indicem designare in plano Horizontali 40 gr. & altitudo Solis esse reperietur (ut & hoc ita assumamus) 25 grad. quos simul cum 40 gr. memoriæ necesse habuit annotare. Et cum expectatum est post meridiem, usquequo Sol per idipsum instrumentum descendens in eadem 25 gr. long. positus inveniatur, tum demum ipsum folium convertitur sæpius ad utramque partem quoad Sole iterum per dioptra rutilante Magnetica circuli initium designet. Quibus jam confectis medium arcus punctum in plano horizontali inter primum & alterum σημεῖον ἀρκτικὸν, sive Septentrionale punctum, & quantum ab eo chalybs declinat, tanta est chalybοclisis indagata, uti supra in primo exemplo latius, & ἐν πλάτει explanavimus.

Quæcunque hactenus de Sole interdiu in hisce experimentis diximus obtinere, eadem & intelligi, & simili ratione fieri possunt noctu per singula ἀστέρων ἀπλανέων, quorum hâc in re idem usus qui Solis. Non autem eadem in Luna est ratio cum ob ipsius corporis celerrimum motum, tum ob maximam (ut vocant) parallaxin, quam parit nimia Lunæ cum telluris globo vicinitas.

Sed & hoc notandum ante meridiem duo tria quatuorve, imo etiam plura experimenta posse adhiberi. Vt (verbi gratiâ) primum sit cum Sol 10 gr. supra Horizontem eminet, secundum cum 15 grad. tertium cum 20 gr. & si quis totidem vicibus post meridiem velit experiri, reperiet quo pacto unumquodq; experimentum cum altero conveniat, & cum quovis momento idem punctum Boreale appareat, non parvum ea res addet animum nauclero, operisque fiduciam certiorem.

Sed tamen cum nauta ab Oriente ad Occidentem, vel contra ab Occidente ad Orientem navigat, fieri potest ut decem, vel 12 horarum spatio inter primum secundumque experimentum gradus unius, aut major etiam differentia appareat in chalybodixi: unde sequatur punctum Boreale inventum primo antemeridiano experimento, & ultimo pomeridiano non convenire, cum eo quod repertum est primo pomeridiano & ultimo antemeridiano: cum tamen nauclerus nequaquam in experiundo errârit. Quod ubi usuvenit poterit ex ea re solers nauta judicare, quænam sit ad certum navigandi tempus comparata chalybodixeôs variatio, & ita rationem reperire, quâ punctum Boreale majori cum certitudine & securitate reperiatur: quod ipsum etiam ita fieri possit, si quis chalybodixin prioribus diebus repertam, cum chalybodixi quam in præsentiarum videt diligenter conferat.

2 PROPOSITIO.

Portum cujus latitudo & chalybodixis cognitæ sint invenire.

Magneticæ demonstratione, quam chalybodixin appellare placuit, cognita, itemque loci ipsius latitudine, datur, non cognita longitudine, quemvis locum invenire idque quotidiana experientia abundè perdocet. Nam, ut rem exemplis potissimum declaremus, si sciat navita Vrbis Amstelodamensis latitudinem esse 52 gr. 20 ①. Magneticæ autem declinationem Orientem versus ibidem esse 9 grad. 30 ①, & sese in eadem graduum 52 gr. 20 ① latitudine cō-

ſtitutum reperiat, neque eum fugiat Eoa declinatio 9 gr. 30 ①. omnino ignorare habet neceſſe, ſe non procul abeſſe ab Amſtelodamo. quæcunque tandem ejuſce urbis ſit longitudo. Sed ſane objiciat quis plures eſſe locos qui eandem cum urbe Amſtelodamenſi & latitudinem, & chalyboclisin ſortiantur. At in promptu erit reſponſio eſſe quidem, ſed longo inde diſſitos intervallo, quique per alias περιοικίας, de quibus infra 3 propoſ. diſſeremus, non difficulter poſſint internoſci. Et quanquam nautæ Amſtelodamum quidem aliàs etiam poſſint reperire per locos confines, conjecturas, profunditatem, harenas, aliaque ſigna quamplurima, nullâ interea chalybodixeôs habitâ ratione, placuit tamen cognitum locum exemplo proponere, ut eò apertivis ejuſdem normæ univerſitas in navigationibus longinquis, in quibus nullæ terræ apparent, innoteſcat. Vt verbi gratiâ, ſi cupiat navis gubernator hinc ad Caput S. Auguſtini in Braſiliâ navigare ſciatque chalyboclisin ibidem (uti aiunt) eſſe 3 grad. 10 ①. latitudinem autem Meridionalem 8 grad. 30 ① cùm eò proficiſcens ad eandem latitudinem declinationemque pervenerit, jam ſciet ſe ad Cap. S. Auguſtini perveniſſe: & quanquam ex conjecturâ & calculo aliud opinetur, eâdem ſuſpicione poſthabita ſeſe fatebitur, aut malè ſuſpicatum, aut Orientalibus, Occidentalibusque fluctibus fruſtrà habitum: Neque enim ratio admittit arbitrari eam declinationem ſive chalyboclisin quæ prius in Capite S. Auguſtini inventa fuerat, eſſe immutatam ut ad eam ſeſe opinionem componere debeat. Sic etiam quis non abſurdum, & prorſus ἄτοπον & ἀπροσδιόνυσον æſtimabit, ut is qui prò bè ſciat aliam ſe quàm quæ in Cap. S. Auguſt. eſt 3 grad 10 ①. in mari chalyboclisin invenire, poſtpoſitâ Magneticę experientiâ ex conjecturâ ſe prope Caput S. Auguſtini eſſe affirmet, utpote cùm inter ſe pugnantia loquatur, dum ait ibidem eſſe chalyboclisin 3 grad. 10 ①, & idem iterum non eſſe aſſeverat.

Sed neque hoc notatu indignum eſt, non rarò accidiſſe, ut is, qui ad Inſulam S. Helenæ navigaret, cum ad ejuſdem Inſulæ latitudinem perveniſſet, neq; Inſulam ibidem conſpiceret, & identidem ignoraret, utrum verſus Orientem, an ad Occidentem ab eâ eſſet diſſitus per conjecturas locum ad Orientem indagarit, qui Occidentem ſpectaret, quoque longius navigaret, eò ſemper magis & magis ab Inſula diſceſſerit. Cogitandum jam tibi relinquo, ſi quiſquis ille tandem erat navis gubernator, qui per hebdomadas dierum aliquot Inſulam diligenti quærebat indagine, aliquoties etiam circumnavigans antequam ſtationem adipiſceretur, non ignorans quænam in S. Helenæ Inſula eſſet chalybodixis, & quis chalybodixeôs in mari uſus aut indagandi modus, an ſponte majorem chalybodisin ſecutus fluctuaſſet indubius, certò ſciens minorem revera eſſe declinationem.

3 PROPOSITIO.

In pelago quo in tmemate chalybodixis verſetur invenire.

Reſtat ad extremum ut per exempla exponamus, quanquam in eâdem latitudine eadem ſit chalyboclisis, poſſe nihilominus ſcire navis magiſtrum ubi nam terrarum & quo in loco ſit. Sumamus itaque navim conſtituiſſe proficiſci ab Amſtelodamo ad Cap. S. Auguſtini in Braſiliâ, cujus latitudo in ſynopſi relata eſt 8 grad. 30 ①. & chalyboclisis anatolismus auxanomenos primi tmematis 3 grad. 10 ①. eadem Angliam prætemavigante, invenietur quotidie magis

magis & magis ἀνατολίζειν chalybodixis uſque ad Plimuthum ubi ad ſummum pervenit, eſtque 13 grad. 24 ①. Certus itaque erit nauclerus hactenus ſe in anatoliſmo primi tmematis elattumeno navigaſſe, & poſthàc ſe anatoliſmo auxanomeno uſurum, quem inveniens eſſe 10 grad. in latitud. 38 grad. 55 ①. jam ſe ſciet ad Cap. de Roca prope Uliſſiponem perveniſſe. Inde iterum quaſi ζεφυρονοτίως proficiſſens, indices inveniet latitud. minui, & Magneticam ad Septentrionem vergere, quibus obſervatis & cognitis, tmema in quo chalybodixis verſetur non ignorari neceſſe eſt.

Hactenus ſpecies chalybodixeôs deſcripſimus, quæ ex iis quæ in Synopſi erant propoſita conſequenter ſunt explicatæ. Si quid poſthàc rerum magiſtra experientia aliter ſeſe habere docebit, aliter etiam ex eâ res poterit diffiniri, ut in navigatione id unicè ſequantur naucleri, quod optimum utiliſſimumque erit.

LIMENHEURETICÆ
FINIS.

P 3

SEXTVS LIBER
GEOGRAPHIÆ,
DE
THEORIA MARITIMORVM ÆSTVVM IN ACCESSV ET RECESSV.

BREVIARIVM.

Cum observatio diuturna notandis rebus artes artiumq; theoremata constituerit & comprobarit, hodieq; longe commodiora experimenta, quam unquam ante hac à longinquis navigationibus nobis suppeditentur, quibus certa rataq; æstuum maritimorum proprietates promantur; certè isti negotio quoque emolumento fore credidi, si ejus quandam theoricam partim ab experimentis, partim à rationibus ejus naturæ & veritati consentaneis conscriberem, quæ ad cognitionem uberiorem experimentis inposterum comprobandæ isagoges instar habeat.

Neq; est cur hic quorundam reprehensionem verear tanquam editionem nimis festinam aut præcipitem, cum unius industria tanto negotio impar sit: ideòque etiam hæc via mihi comprimis ad hanc rem compendiaria visa fuit, unde tempore exiguo leviq; negotiò è multorum observationibus plurimum certitudinis existat; verisimile enim videtur multos nostris monumentis incitatos, locis diversis animum ad earum rerum ἱστορίαν adjicientes, plura annotaturos esse, quam à me per certos quosdam homines præstari possit.

POSTV-

POSTVLATA.

1 POSTVLATVM.

Lunam punctumque ipsi ad diametrum oppositum aquam in globo terrestri se versum trahere.

INTERPRETAMENTVM.

AEstus maritimo in accessu & recessu Lunæ motibus gubernari quotidiana experientia erudimur, eosque νεομηνίαις καὶ πανσελήνοις in Lunæ solisque coïtu & oppositione maximè fervere, ad dividuam verò Lunam modicos esse atq; omnino minimos. Hoc cum adeò pervulgatum sit ut certò futuri motus tempora magno navigantium commodo præsciantur, non fuit necesse postulari. Sed quia dum Luna circa terrenũ orbem semel rotatur ęstus bis affluunt iidemq; bis remeant, vicenis quinis circiter horis: Lunæ & puncto ad diametrum opposito occulta vis quædam à nonnullis tribuitur, tanquam maria avido haustu secum trahant. Quod tamen incertum omninò est, pressu etenim eorum (qui haustui suctuiq; contrarius est) quotidie æstus maris bis accederet, bis etiam reciprocaret; Sed uter istorum, an verò tertium aliquod hujus causa sit utiq; propter observationum penuriam incognitũ esse autumo. Et quamvis diligenter à nostris hominibus qui Indiam frequentant, æstuum rationem & tempora in certis quibusdam locis inquisiverim, nihil tamen instituto meo aptum percipere potui. Attamen cum nonnulli maria Lunæ ancillari atque ab ea, & ipsi opposito puncto trahi arbitrentur hoc ipsum quoq; concedi postulamus, quò propositæ theoriæ pro fundamento substernatur; hisce hoc libro expositis penultima propositione etiam quid è pressu efficeretur declarabimus.

2 POSTVLATVM.

Terræ globum universum aquâ contegi, neque ventum aliudvè quid æstuum reciprocationem impedire.

INTERPRETAMENTVM.

Ordinatus ęstuum motus & à ventis & à regionibus extra mare extantibus nõ nihil impeditur, ut Lunâ in meridiano cœli fastigio constitutâ, aut subter imâ cœli meridiano contrariâ, aquæ tamen nondum ubique intumierint, cõtra primi postulati analogiam, sed tum vel omninò resedisse, vel saltem justo minus crevisse possint. Secundò æstus ab ortu in occasum non meat, sed vel ab occasu vel aliunde. Tertiò quibusdam locis, quorum vertex longiusà Luna absit quotidiani æstus altius inundant, quam ubi Luna supra verticem stetit, cum tamen hîc altius intumuisse debuerint.

Verum quo minus omnes istæ anomaliæ æstuum universales affectiones, quas θεωρητικῶς tractare instituimus, interturbent, petimus terræ globum omninò ab aqua ambiri, etiam ventorum regionibus & reliquis, quæ maris motui impedimentũ quidquam afferre possint, è medio sublatis; quò commodius dein-

deinceps de ratione impedimentorum dispiciamus. Nam & Geometriæ à rebus ipsis abstracta contemplatio, usui Geodætico tamen utilis est ne dicam necessaria, quamvis in agris solidisque corporibus non ea linearum accuratio cernatur qualem Geometricę definitiones exigunt. Et nostra hæc theoria in navigationibus maritimis suam tamen tuebitur dignitatem, quamvis ipsa maria talem formam usquequaque non habeant, qualem istis postulatis aut sequentibus definitionibus exhibemus.

DEFINITIONES.

1 DEFINITIO.

Punctum, in quo recta à terræ centro ad Lunam connexa ab aquæ superficie summa inciditur, Lunæ * πλημμηκορύφην dicimus: punctumque oppositum ἀντισεληναίαν πλημμηκορύφην.

* Marini accessus seu inundationis verticem.

INTERPRETAMENTVM.

Sphæra A B C D terræ globus esto, centrum E: is igitur globus universus aqua ambiatur usque in F G H I ubi neq; tempestas, neque ventus, neve aliud quodvis obstaculū sit, quemadmodum suprascripto 2 postulato exigitur. Circulus K L Lunæ esto, K ipsa Luna, punctum oppositum F, ab his aqua in formam sphæroîdem ducitur, neve in globosam formam se colligat obsistitur. jam acta K E L ab aquæ superficie incidatur in F & H, ad quam perpendicularis sit I E G: ideoque F erit τῆς πλήμμης κορυφὴ seu exundantis estus vertex summus Lunam versus, qui ideo nobis πλημμηκορύφη Lunaris indigitatur: Et H puncti oppositi, seu ἀντισεληναία πλημμηκορύφη simili analogia appellator.


2 DEFINITIO.

Circulus rectam inter oppositas πλημμηκορύφας in terra ad perpendiculum mediam secans ἀμπωτιδόκυκλος dicitur.

INTERPRETAMENTVM.

Si circulum I E G à latere sive in cultrum, ut loquitur *Vitruvius*, contueamur, ἀμπώτιδος κύκλος sive composita voce ἀμπωτιδόκυκλος erit, quia in ejus circumferentia ubique ἄμπωτις seu recessus maris humillimus est, nam E I recta à terræ centro ad ejus peripheriam ubilibet educta brevissima est rectarum omnium, quæ ab eadem E ad aquæ superficiem pertineant.

PROPO-



PROPOSITIONES.

1 PROPOSITIO.

Communes acceſſus & receſſus formas inquirere.

Vt ſimilitudo quædam πλημμηκορύφων & ἀμπωτιδοκύκλων quę in univerſo terrarum orbe contingunt oculorum ſenſui exponatur, ex re eſſet inſtrumentum quoddam aptare, quod ſphæræ applicatum atque huc illuc commotum æſtuum ſummos vertices imique refluxus circulum nobis demonſtret. Cui negotio PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS orbes è rigida papiro confieri curavit quorum ope res hæc illuſtrior eſſet: idque aliis, quibus libebit imitari licet. Verumtamen cum in fixarum ſtellarum ſphæra duo quidam circuli & duo notentur puncta, qui quorundam locorum ἀμπωτιδοκύκλων & πλημμηκορυφων inſtar habeant, hos ipſos in exemplum adhibebimus, quorum ope res illuſtrata & ſemel intellecta, omnino ſemper in promptu erit.

1 *Exemplum Luna ſub vernali ſectione meante.*

In ſphæra cœleſti vernalem & autumnalem ſectionem πλημμοκορύφας eſſe animo cōcipito, Luna in Eclipticæ principio verſante, atque adeò ἀμπωτιδόκυκλος per 90 gradum axemque terræ tranſibit. quibus poſitis, quamdiu Luna ſub ſectione vernali verſabitur, ubique locorum in ſemicirculo cui Luna imminet

imminet

imminet æstus exundabunt; post sex deinceps horas (vel potius propter nisum Lunæ proprium quo mundo it obvia ¼ tardius, hoc est post 6¼) ἀμπωτιδόκυκλος eò appellet, atque tum ob reciprocationem æstus erit humillimus: deinde æquali 6¼ horarum intervallo eodem πλημμύρα redibit, alternis vicibus æstu accedente & reciprocante.

2 *Exemplum Luna sub ecliptica 90 grad. meante.*

Iterum in cœlesti globo nonagesimum eclipticæ gradum præ manibus sumito, quem & sibi oppositum 270 grad. mente effingito esse πλημμυρηκορύφας Luna ipsa 90 grad. obtinente, eritque jam nunc circulus per vernalem sectionem & polos eclipticæ trajectus ἀμπωτιδόκυκλος. Atque isto casu tempora accessus & recessus erunt inæqualia, contra quam in exemplo superiori, quæ pro varia locorum latitudine multum inter se discrepabunt.

Exemplo clarius sit. detur igitur latitudo 90 graduum, poli ἔξαρμα ad istam altitudinem erigitor, & 90^{mus} eclipticæ gradus sub meridianum deducitor, globusque deinde convolvitor ut ἀμπωτιδόκυκλος meridianum in 50mo latitudinis gradu, hoc est in ipso vertice incidat. partesque seu ut loquitur *Ptolomaeus* χρόνους æquinoctialis interim elapsos expendito, sunto dicis gratia 121 gr. 13 ①, unde per 15 grad. divisionem 8 horæ 5 ① existunt, pro mensura temporis inter πλημμύραν & ἀμπώτιδα interjecti, unde ad sequentis æstus inundationem summam 3 horæ 55 ① intersint: tantum enim 8 horæ 5 ① absunt ab horis 12. appendicula tamen temporis, quod à Luna proprio nisu producit, pro auctario singulis istorum addi debuit: sed id brevitatis studio posthabuimus.

NOTA.

Dum PRINCEPS ILLVSTRISSIMVS exemplum istud in sphæra cœlesti consideraret & inspiceret, cœpit accessus & recessus vicissitudum tempora & consecutionem porrò expendere, ubi ordinem istum, qui sequitur, animadvertit.


Recessus qui accessui suprascripto succedet erit 3 horarum 55 ①. accessus deinde sequens 8 horarum 50 ①. Vt si Luna assiduè sub 90mo eclipticæ gradu quasi affixa hæreat (quod utique dicis & disciplinæ causa sumi potest) accessus & recessus vicissitudo talis foret.

Recessus	8 horarum 5 ①.
Accessus	3 horarum 55 ①.
Recessus	3 horarum 55 ①.
Accessus	8 horarum 5 ①.
Recessus	8 horarum 55 ①.
Accessus	3 horarum 5 ①.
Recessus	3 horarum 55 ①.
Accessus	8 horarum 5 ①.
Recessus	8 horarum 5 ①.

Atque eâdemque vicissitudine cætera deinceps. quibus tamen nunc mutatio & varietas à Lunæ motu proprio quotidie cumuli instar accedit.

Verumenimverò ut eundem epilogismum per sphærica triangula expendamus, in antecedente exemplo trianguli figurationem inter axem terræ, axem eclipticæ & verticis punctum comprehensi expendo, angulumque in polo eclipticæ esse rectum, latus inter duos polos medium 23 grad. 30 ①, alterum item

item latus à terræ polo ad punctum verticis 40 grad. cum sit quippe arcus differentiæ datæ latitudinis 50 gr. Triangulum istud hic ante oculos pono notatum literis A B C: ubi A verticem refert, B terræ polum, C polum eclipticæ ubi angulus est rectus, A B latus 40 gr. B C 23 gr. 30 ①. jam igitur, quia in hoc triangulo tres cogniti sit termini, B angulus per 32 sphær. triang. proposs. concludetur 58 grad. 47 ①: is de 180 gr. deductus reliquum facit 121 gr. 13 ①, atque tantus est æquinoctialis arcus qui interea se subduxit pro quæsitis 8 horis 5 ①.



DEMONSTRATIO.

B A, B C ad æquinoctialem usque continuata ab ea auferent arcum amplitudinem anguli B mensurantem, hoc est 58 gr. 47 ①. sed continuatio ipsius B C incidit in 270^{um} eclipticæ gradû, quem inter & 90^{um} gr. intersunt 180 gr. qui cû affluxus summùm crevisset sub meridiano erat, quare ab articulo πλημμύρας ad articulum temporis quo ἀμπωτιδόχυκλ@ meridianum in 50mo gradu secabat, transiere 180 grad. minus angulo B 58 grad. 47 ①, hoc est 121 grad. 13 ①. ut supra opere expressum est.

I CONSECTARIUM.

Luna sub æquinoctiali meante, aqua in terræ polis erit humillima, ut primo exemplo patuit: contra altissima, Luna in maxima Borea, aut notia latitudine versante, cui consequens est singulis lunationibus bis tantû aquam istis ad summum extolli, & bis ad imum residere. & cum decreverint, 7 diebus rursum crescere, totidemque decrescere alterna semper vicissitudine. Quamvis & hic & alibi ordinarius is æstus, propter πλημμηκορύφων inconstantiam, quæ silente aut pleno orbe lucente Luna altius exundant, quam in quadratura visibili, varius sit & inconstans.

2 CONSECTARIUM.

Manifestum est fluxum & refluxum singulos semper absumere horas circiter 6¼ ubi ubi Luna sit. sive in 90mo eclipticæ gradu (ut id exempli causa usurpemus) versetur, tum enim ἀμπωτιδόχυκλ@ per æquinoctia & mundi polos transit, quem certe in æquinoctiali 6 horis ab 90mo eclipticæ gradu distare extra controversiam est. sive alibi etiam Luna statuatur nihil interierit, quæ tamen clariora erunt adhibito ad sphæram solidam chartaceo eo instrumento ad indicâdos æstus apto, cujus initio propositionis hujus obiter mentionem fecimus.

3 CONSECTARIUM.

Liquidò etiam hinc constat loca quæ à polo propius absunt, quàm Luna ab æquinoctiali, tum ἀμπωτιδόχυκλω non subire: Atque adeò neque tum æstus adeò sorberi aut humiles esse, quam dum ἀμπωτιδόχυκλ@ per ea transit.

NOTA.

Cum PRINCEPS ILLUSTRISSIMUS hujus 3 consectarii rationem in cœlesti globo inspiceret expenderetque, libido eum incessit pernoscendi, quantum temporis intervallum eo loci aquæ crescentes absumant, quantumq; decrescentes. Ubi deprehendit (quod quilibet, experiatur modò, eadem ra-

 tione

tione verum animadvertet) 12 ſemper horas conſumi, unde concludebat, hoc commune eſſe poſſe locis omnibus quorum latitudo 61 gr. 30 ⊙ excedet. tantum enim reliqui eſt ſi maximam Lunæ latitudinem 28 grad. 30 ⊙, de 90 grad. deduxeris.

Et ſane in mentem mihi venit olim à naviculatoribus audiſſe, ſe loca adiiſſe ubi acceſſus maris 12 horis, totidemque receſſus perficeretur, verumtamen nõ fuiſſe id admodum diuturnum, ſed continuò inordinatum quendam fluxum & refluxum ſucceſſiſſe. Vtrum verò id ab hac cauſa ſit, id ab ea experientia, de qua poſt 9 propoſitione penſiculatius erit diſſertandum, planè & perſpicuè erui, evincique poſſet.

4 CONSECTARIUM.

Palam eſt duarum πλημμηκορύφων dato loco proximam ibidem æſtus ciere altiores quam reliquam. Cui conſequens eſt Lunâ in Borea mundi parte conſtitutâ loca terræ ad Boream plagam altiores æſtus à Lunæ πλημμηκορύφῃ concipere, quam ab oppoſita ἀντιπλωαῖα. contra verò ſi πλημμηκορύφῃ ἀντιπλωαῖα poſſideat Boream plagam, contrarium utique evenire.

NOTA.

Quatuor igitur inſignes varietates in acceſſu & receſſu, etiam ordinato, concipiuntur.

Prima in mediatore, ſeu emmeſocyclo, ubi horas 6½ ſemper abſumunt, ut 1 exemplo, & 2 conſectario patuit.

Secunda extra emmeſocyclum, uſque ad gradum circiter 61 30 ⊙ latitudinis, ubi varietas ea exiſtit quam 2 conſectario explicuimus.

Tertia ab 61 gr. 30 ⊙ uſque ad utrumque polum, ubi quibuſdam locis 12 horarum ſint. ut in annotatiuncula 3 conſectarii diximus.

Quarta ſub polo, ubi tam acceſſus quam receſſus ſeptenis ſinguli diebus reciprocant. ut primo conſectario oſtendimus.

5 CONSECTARIUM.

Deniq; ex omnibus iſtis exemplis conſectariiſque quorum πλημμηκορύφαι & ἀμπωτιδονυκλαι in ſphæra cœleſti notati ſint, reliquorũ etiam locorum, tanquam catholico aliquo theoremate, intelligi, aut ſi neceſſe ſit inſtrumento acceſſus & receſſus, cujus ſupra meminimus, in ſphæra deſignari poſſunt.

2 PROPOSITIO.

Cur pleniores æſtuum exundationes maris receſſu avidius ſorbeantur.

Manifeſtò animadvertere eſt ἀμπώτιδα quæ pleniſſimo maris acceſſui ſuccedit magis ſorberi, quàm eam quæ in quadraturis contingit. Vt hinc ſit quod in molitionibus maritimis quas in alto ſiccoque ſolo, collocari aut extrui neceſſe ſit (ut puta in civitate Oſtendana quæ nunc obſidione premitur) illi ferventes maris æſtus expectentur, quia mare ſeſe tum longè à littore ſubducat. Cauſa autem in propatulo eſt: nam cum mare altius exæſtuabit, quod interlunio aut plenilunio evenire aſſolet, majore quoque copia ſurſum ducitur verſus F & H, quam in quadraturis, ideoque in ἀμπωτιδοκύκλῳ ſorbebitur magis, magiſque deficiet.


Hactenus

Hactenus itaque communes atque universales æstuum affectiones in fluxu & refluxu expeditæ sunto. speciales deinceps expendendæ veniunt, quid causæ sit cur certis quibusdam locis supra exposita theoremata anomaliam patiantur.

3 PROPOSITIO.

Cur minores aquæ à Luna punctove opposito non tam altè attollantur atque majores.

Ne animadversum quidem est lacus, amnes, lamas, vel aquam in vase aut vitro similiter moveri aut vi Lunæ sursum trahi, quod mirum videatur, siquidem ea sideris vis sit atq; efficacia, ut aquam & se versum, & secum trahat: eam igitur in minore si nō magis cum levior sit, saltem æquivalenter atque in majore vires suas exercere cōsentaneum videtur. Cujus causam pulvere & radio, hoc est, mathematico exemplo explicandam censeo. Esto itaq; A B C D E F G vas aqua plenū, lateribus rectis & quadratis, quorū unū A B C D quaqua versum 4 pedum sit, itaque pressus aquæ eidem innixum æquabitur per 15 propos. element. hydrost. ponderi aqueo 32 pedum. totaque aquæ soliditas erit quatuor & sexaginta pedum. porrò sumamus singulas hedras è quatuor asseribus quatuor pedes lōgis unum latis compaginatas, ut A H I D, singulis igitur incumbet pondus pressuræ æquale octo pedibus aquæ, quæ pars quarta est pedum 32 habebuntque simul omnes hedræ 16 istiusmodi asserculos. ulterius etiam animo concipiamus eosdem asseres pressu 8 pedibus aquæ æquali extrinsecus quoq; affici, ut in illo situ erecti servētur. ad hanc rem 64 potētiæ, seu ut clarius dicam, homines opponantur, tot videlicet quot cubici pedes vase cōtinentur, ut singulis asseribus 4 homines cedant. Porrò K aliud vas minus aqua plenū esto, è quatuor asseribus stantibus, illis antecedentibus & forma & magnitudine æqualibus compactum, id igitur 4 pedes cubicos continebit, altitudine pedum 4. Iam si quis hinc ita inferat. cum 64 hominibus in ampliore vase 64 cubici pedes aquæ sustineantur, etiam in minore à quatuor hominibus quatuor pedes sustentabuntur altitudine 4 pedum, atque singulis lateribus singulos homines opponeret, is proculdubio longe à veritate abiret avius, nam contra singulos minoris vasis asseres tantum ponderis incumbit, quantum contra singulos majoris, ut 11 propos. element. hydrostatices demonstratum est. ut minoris vasis quatuor latera, non jam 4 hominibus sed 16 opus habeant qui ea isto situ servent. Et consequenter 4 homines in minori vase 4 pedes aquæ eâdem altitudine non poterunt perferre, quâ 64 homines in majore vase pedes 64. Adeo ut si quis ad aquam minorem pro ratione majoris cujusdam, certam aliquam hominū manum cōstituat, ab his nō tam altè aquam cogi posse atq; in majore manifestū sit. Par ratio in Luna punctoq; opposito versari intelligitor. quæ haustu suo in pari aquæ copia æque animosè trahit, suamq; vim pari potentiâ exercet, in minori autem non ita est, neque in eandem altitudinem extollere potis est.



Itaque quamvis hauriendi potestas in majore & minore aquarum copia par sit in minori tamen non perinde animadvertitur.

4 PROPOSITIO.

Cur multis in locis æstus, non secundum catholicam rationem ab ortu occasum versus affluat.

Minores aquas adeò sublimè atque majores non attolli tertia propositione patuit: Unde efficitur lacus atque amnes per se quidem ab omni æstu immunes esse, omninòque æstum quo ipsos moveri quadantenus videmus à maris motu cieri, ideoque cum fluviorum ostia sursum aut secundum latus regionis ab occasu in ortum exporrigentur, tum æstum illâc contra generalem analogiam ab occasu quoque ortum versus inferri, & pro riparum sinuamine in diversas plagas converti. Verbi gratiâ Schaldim fluvium assumamus, in quem æstus maris cum infertur Bergo-Zoomam petit, hinc Antuerpiam versus meridiem declinat, unde fluvii curvamen versus Baestro eundem æstum derivat. In majori & minori Oceano par erit ratio. Etenim maris æstus ab occasu ortum versus affluens Gallicas, Flandricas, Hollandicasque insulas legit, quia latissimè patens Atlanticus Oceanus usque in oppositam Americam (quam ut Atlanticam Platonis credamus esse quid vetat?) exporrectus unà cum Cantabrico Oceano, objectu Britannicarum insularum ab Oceano Germanico dividitur, qui tanquam illorum ὑποπαρασμάτιον sit, cum itaque hic non tam altè extumescat maximi illius Oceani turgidior æstus per angustias fretumque Britannicum sese in Oceanum Germanicum seu mare nostrum infundit ab occasu versus ortum. quod plurimis commune est, & universali theoriæ præcepto repugnare vedetur, cum tamen certas ob causas ita evenire necessum sit.

5 PROPOSITIO.

Cur multis in locis Lunâ punctové opposito ad meridianum jam devolutis, æstus tamen contra quam analogia universalis postulabat, nondum creverint.

Cum majora maria minoribus æstum inferant, ut proxima propositione demonstravimus, consequens est minorum æquorum loca majoribus maximè vicina citius exæstuare remotioribus: ideoque quamvis in magno & spatioso mari, Lunâ punctové opposito in meridiano cœli fastigio cōstitutis, æstus semper ad summum creverint, tamen eodem momento aliis locis remotiusculè illinc dissitis in minori æquore πλημμύρα esse nequit. quod in Oceano Germanico videre est, ubi loca versus ortum longius dissita maris affluxum tardius persentiscunt.

6 PROPOSITIO.

Cur æstius illi ferventissimi turgidissimique crebris locis perpetuò diebus aliquot post Lunam novam plenamq; demum contingant.

Certè equidem aliquot horis tardius æstus inturgescere quam Luna punctumvè oppositum ad meridianum appellat, jam demonstravimus, unde nihil

mirum

mirum si turgidos pleniluniorum æstus totidem horis Luna antevertat. sed aliquot dierum intervallo tardiores esse, quemadmodũ quot mensibus animadvertere est (ad littus Hollandicum enim, quemadmodum ab hominibus marítimis & nauticæ rei studiosis intellexi, biduo & quod excedit tardius appellunt, in locis Occidentalioribus paulò citius, in Orientalioribus etiam serius) multam anxietatem dubietatemque homini, etiam non scrupuloso incutere posset. Quamobrem ut hujus causam commodius exponam, ajo ex 4 propositione palam esse ferventes istos pleniluniorum æstus, quibus flumina & maria minora moventur, non ab ipsis sed ab inundatione maximi Oceani longe lateque grassante existere. consequens itaque videtur temporis intervallum inter turgidissimas æstuum ad plenilunia noviluniaque inundationes majus esse posse inter Oceanũ majorem & minorem, quam inter mare minus aliquot & amnem, aquæ enim amnium perpetuo agmine è loco sublimiore fluentes adventitiæ maris aquæ, æstusque turgidi impulsioni non cedit, ut adeo longe intra ipsum penetrare nequeat, quam turgidior minoris maris æstus, qui posteriore parte tantò sublimior haud sit. verum planior exemplo constituto per descriptionem fiet difficultas. A B C D E F G summa minoris Oceani superficies esto, cujus tumidus plenilunii æstus majori Oceano conterminus A, qui cum sex horis decreverit, iterum totidem creverit, atque ita assiduè senis rursum, prorsum moveatur horis, minus mare interim assiduo exercetur motu ob dicti plenilunii rationem, locis intermediis successivè altè intumescens & vicissim alte sese sorbens, propter primum incrementum ad A, fluxu interea paulatim



ad remotissima loca penetrante, donec mare neq; prorsum nec rursum meare sentiatur. Sed quia aliquot dierum intervallũ intercedere possit antequam primus ille turgidior æstus A ad postremum turgidiorem æstum G appellat, atq; in omnibus pleniluniis & noviluniis maria turgidiore æstu affluant, non ante poterit turgidissimus iste æstus ad A turgidissimũ quoq; æstum seu affluxum concitare ad G, quam per omnes intermedios tumentes affluxus B, C, D, E, F permearit, qui prout propius aut longius aberit ab A dies aliquot absumere poterit. Exemplo illustrius erit, secundum tritas istas Ephemerides quas Almanach dicunt, Lunâ silente plenâve æstus Caleti seu ad Iccium portum creverit horâ 10: Neoporti hora 11: Ostendę hora 11½: Ad Blancebergam hora 1½: Vlisingæ hora 2: Bergo-zomæ hora 4: Antwerpiæ hora 6: ad Baestro hora 8. Ita accessus maris Caleto Neoportum usque 1 horam ponit; Neoporto Ostendam horæ semissem, Ostenda usque ad Blancenbergam duas horas, à Blancenberga Vlisingam horæ semissem, Vlisinga Bergo-zomam horas duas, Bergo-zoma Antuerpiam totidem, & totidem denique Antwerpia ad Baestro. quæ in summam coactæ 10 horas colligunt. Vnde patet decima demum hora post istium turgidiorem æstum contingere ad Bastro, quam Caleti. Et si quis simili modo ad loca etiam longe remotiora calculum subducat, pro horis istis in dierum intervalla incurreret. Ideoque etsi quamvis iis locis ubi nihil impedimenti objicitur æstus illi summè tumidi, secundum analogiam supra expositam in pleniluniis novilunijsque contingant; attamen iidem isti æstus, propter terras in mare excurrentes, ad recessus & locos interiores aliquot diebus serius post novam plenamque Lunam appellere necesse habent.

7 PROPOSITIO.

Cur in locis à πλημμηκορύφῃ remotioribus alicubi æstus altius excrescat, quam in locis ab ea minus dissitis.

Secundum Theoricæ nostræ catholicas rationes sub πλημμηκορύφῃ mare reliquis locis supereminere, ipsisque vicinora remotioribus consentaneum est; cum tamen contra plurimis locis evenire videamus. Cujus causam proposito exemplo commodius dispiciemus. Vnda in terrarum acroteria impacta sese cõtra erigit, imò nonnunquam transilit, ut è reliquis fluctibus longe extet. undarum enim agmine posteriore priorem impellente, non est huic liberum statim retroïre, cum pondus maximum ipsi à tergo incumbat, quo hujus refluxus impediatur, atque illius rursus ab altero, agmine perpetuo unda undam trudente. cujus impulsu prior reliquos maris fluctus exsuperet. Iam si cõsimili modo universum affluentis ęstus tumorem, qui aliquot passuum milibus quaqua versum patet, unius undæ instar habeamus, neutiquam mirandum fuerit si iis locis in quos rectà impingitur altius intumescat quam ubi campo fruitur aperto, ac libero. sic dum æstus è spatiosissimo Atlantici & Cantabrici Oceani æquore sese versus minorem Oceanum Germanicum infert, in littora Armorica impingit, & 10 aut 11 orgyis supra reflui maris altitudinem sese extollit. ut non tantum loca πλημμηκορύφῃ vicina, sed ipsam etiam πλήμμηκορύφην exsuperet. idque ob notas has causas.

8 PROPOSITIO.

Cujusmodi æstuum affectione futuræ essent, si à Lunæ punctique oppositi pressu accessus eorum & recessus concitarentur.

Si Lunæ punctique oppositi ductum Oceanus sequatur utique æstuum ratio ista esset: sed si is pressu Lunæ cieretur, nonnulla expositis theorematis contraria contingerent. quæ exemplo clarius cognosci possunt. Exponatur figura ut in 1 definitione, in qua eædem literæ easdem notiones sibi subjectas habeant, exceptis quod Luna M punctumque oppositum L aquam non ad se trahant, sed contra quàm illic premant & quàm longissimè possint abigant, ut F H brevior sit rectà I G his positis F & H πλημμηκορύφαι erunt, I G ἀμπωτιδόκυκλος, & multæ fluxus & refluxus rationes contrariæ 1 & 2 exemplo, itemque 1, 2, 3 & 4 consectario 1 propositionis deprehendentur.


Primò, locis omnibus, in quorum meridiano Luna versabitur, maris æstus, contra priorem hypothesin, consederit.

Secundò, Luna sub 90^mo^ eclipticæ gradu meante, quod 1^mæ^ propositionis 2^do^ exemplo cõclusimus 8 horis 5 ① confici, id 3 horis 55 ① perficeretur: & contra, cui illic 3 horas 55 ① tribueramus, 8 horæ 5 ① erunt assignanda.

Tertiò, aqua in terræ polis summum creverit Lunâ æquinoctialem percurrente; summumq; decreverit eâdem in maximis latitudinibus, cum Borea tum etiam notia, versante. contra 1 consectarium 1 propositionis.

Quartò alterutra πλημμηκορύφων quæ à dato loco proximè abberit, recessum maris depressiorem istic reddit quam opposita. quod dissidet à 4 consectario 1 propositionis.

Quintò,



Quintò, loca quæ à polo propius aberunt, quam Luna ab æquinoctiali, tum à πλημμηκύκλῳ non transiri, ut hoc tempore minore tumore mare hic affluat, quam iis locis quæ πλημμήκυκλον subeunt. quod cum 3 consect. 1 propositionis pugnat.

Verumenimvero utra harum hypothesium vera sit, an verò tertium aliquid in rerum natura existat ad quod maris æstus sese componant, propter ἐμπειρίας καὶ ἱστορίας penuriam ignorari arbitror. cujus veritatem quomodo indagari posse autumem sequente propositione perscribam.

9 PROPOSITIO.

Quomodo æstuum maritimorum cognitio planius indagari possit.

Cum æstuum accessus, recessus, tam quotidiani & modici, quàm ferventes & turgidi illi nec temporis articulo, neque quantitatis modo cum vulgaris calculi supputatione conveniunt, secundum quem navitæ rationes suas componunt. sed vel antevertunt, vel serius appellunt, vel vento spirante, quo æstus maxime increscere debuerant minus increscunt, vel contra spirante vento æstuum incrementis inimico, præter hominum opinionem nihilo secius crescunt, arbitramur vulgò alium ventum in maris patenti æquore flare, aut flasse: cum tamen hæc res fortè è præceptis istis nostris aut similibus explicari possit. Veruntamen cum hinc nonnunquam navium, vitæ, opumque jactura dependeat, non alienum est constantes horum motuum leges causasque omni studio inquirere,

inquirere, & vestigia odorari quibus ipsas cõsequi possimus. Sed cum è certissimis experimentis minimè fallacia præcepta deriventur, ad promovendum hoc negotium ex re esset multos mortales omnibus locis, ubi quidem res & occasio sinet, quotidianas suas observationes, ut qua hora æstus omninò decreverint, quavè item hora rursum creverint, & utriusque altitudinem, nec non ventorum tum spirantium vehementiam, aut aëris tranquillitatem, annotare; hæc notata & animadversa cum in publicum prodibunt, aut in quorundam hominum Theoriæ peritorum (si forte quorũ industria ista annotata erunt ipsi ignari sint) manus incident, istorum cum catholicis & universalibus theorematis in ventorum & excurrentium littorum impedimentis, convenientiam expendendi copia erit. Neque verò hîc silentio prætereundum communes illas æstuum affectiones, de quibus 1 propositione dictum, non incommodè in minimis quibusdam insulis in spatiosissimo Oceano sitis observari posse, & (quo magis ab omnibus impedimentis vacuæ sint) longissime à continenti dissitis, cujusmodi est Insula S. Helenæ, atque aliæ similes. Tum facile animadvertere esset, utrum sub Luna punctoque opposito geminæ πλημμηκορύφαι versentur, inter quas ἀμπωτιδοκύκλος jaceat medius, juxta prioris hypothesis rationem. vel, an geminæ iis subsint ἀμπωτιδοκορύφαι, cum intermedio πλημμηκύκλῳ secundum hypothesis secundæ, quam 8 propositione tradidimus, modum.

Secundò utrum, Lunâ sub æquinoctiali decurrente, mare rursum & prorsum 6½ assidue moveatur horis. juxta secundæ propositionis theoriam.

Tertiò, Lunâ longè ab æquinoctiali declinante, tantanè in accessu recessuq; differentia deprehendatur, quantam 1 propositionis 2^{dum} exemplum ex theoriæ ratione postularet. vel contra quanta 2 membro 8 propositionis consentanea sit. namque id etiam pro ἑρμαίῳ arripere liceret, unde vel de haustu, vel de pressu certiores redderemur.

Quartò, marenè maximè depressum sit circa mundi polos, secundum 1^{mæ} propositionis consectarium 1^{um}, Lunâ sub æquinoctiali meante; vel an contra, secundum 3^{um} membrum 8^{væ} propositionis, tum maxime prope polos excreverit: unde itidem de pressu & haustu certi aliquid derivari possit.

Ad extremum, tumnè iste æstus summè creverit, cæterosque vincat cujus vertici tractrix illa potentia, hoc est, Luna, punctumvè oppositum, proxima erit, quemadmodum a exemplo 1 propositionis expendimus; vel an contra omnes æstuum affluxiones ubique æquales sint, sed refluxiones dispares, quæ res à pressu orietur. Quamobrem si observationes cum alterutra harum theoriarum congruerent, theoremata nostra ipsa experientia comprobari viderentur. at si discreparent, rursum ad incudem revocanda & corrigenda forent.

Æstuum Maritimorum

FINIS.

COSMOGRAPHIAE
PARS TERTIA
DE
COELI MOTV.

BREVIARIVM

motum Cœlestium.

RERVM cœlestium conversionem ita describere instituam, tanquam nihil ejus cognitum esset; & iisdem vestigiis, quibus paulatim incrementum nacta videbitur eam persequar, tribus libris ita eam descripturus, ut

1 Liber sit de planetarum, sydérumque cœlo affixorum motu ex observationum Ephemeridibus, terrâ immotâ deducto.

2. De motus planetarum investigatione ex ratiocinio mathematico terrâ stabili, & hypothesi anomaliæ primæ.

3. De anomalia secunda: ubi Copernicex hypotheses in terræ conversione, & motu exprimuntur.

PRIMVS LIBER

MOTVVM COELESTIVM

DE

INVESTIGATIONE MOTVS

PLANETARVM, SYDERVMQVE cœlo affixorum ex obſervationum Ephemeridibus, ſtante & quieſcente terra.

BREVIARIUM

Libri primi.

Postquam definitiones generales generatim expressæ & descriptæ erunt, reliqua hujus libri pars in sua quasi capita quædam digeretur, de investigatione motus Solis, Lunæ, Saturni, Iovis, Martis, Veneris, Mercurii, syderumq; cœlo affixorum ex observationum Ephemeridibus terrâ immotâ & stabili, tanquam in mundi centro libratrâ: quamvis enim verè in proprio orbe suas conversiones peragat non secus atque planetæ reliqui; artis tamen hujus prima elementa facilius è verisimilibus figmentis, quam vero conceptu percipiuntur, quod pressius 3 lib. 7 propositione edisseram. quæ verò ulterius in hac Theoria considerandæ veniunt, cui negotio vera & genuina hypothesis conversionis terrestris magis idonea est, suprascripto 3 libro quoque docebo.

DEFINITIONES.

Quandoquidem in triangulorum doctrina libro 4^to circulorum cœlestium, peripheriarum, punctorumque definitiones, quibus ibi nobis opus erat, expressæ sint: eas tanquam notas usurpamus. atq; ideo reliquas duntaxat definitiones operi sequenti servientes persequemur.

1 DEFINITIO.

Temporis spatium, quo centrum Solis è meridiano digreditur usque dum eodem regrediatur, dies est naturalis. Idemque inter se inæquales censentur. idque intervallum ideo ut plerumque inæquatum dicitur.

Diei naturalis conversio integra æquatoris conversione atque insuper tanti arcus, quantum Sol suo interea motu contra peragit, definitur. quod si hi arcus omnes æquales forent dies naturales sibi mutuò essent pares, cum tamen contra eveniat. Causa hujus inæqualitatis ferè gemina est. prima quod arcus illi quos Sol interim suo motu in ecliptica peragrat inæquales sint, ob orbis sui eccentricitatem. deinde verò licet quamvis illi inter se æquales essent, meridianum tamen inæqualibus æquinoctialis peripheriis prætervehuntur, ob Zodiaci declinationem, & obliquitatem. Et quamvis differentia ista uno die sentiri non possit, multorum tamen dierum intervallo facile deprehenditur.

2 DEFINITIO.

Annus naturalis tropicus est spatium quo Sol conversionem suam peragit, cujus & principium, & finis sit punctum quodcunque unum idemque, æquali intervallo à vernà sectione semper disjunctum, & diebus 365, 5 horis, atque aliqua insuper, sed ignota tamen parte, definitur.

Ptolemaus ignoratum illud horæ spatium circumscripsit 55 ① 12 ②. *Albategnius* 46 ① 24 ②. alii, alter.

3 DEFINITIO.

Annus Ægyptius 365 dierum est.

Anni Ægyptii, quarto quoque anno, die unico ab anno naturali superantur proximè.

4 DEFINITIO.

Anni Iuliani tres continui 365, at quartus 366 dies complectitur. ideoque Februarius tunc 29, reliquis autem 28 diebus cluditur.

Namque ut damnum, quod annis Ægyptiis accidit, quasi farciatur, diem unum quarto quoque anno intercalandum censuit *Iulius Cæsar.*

Ille moras Solis, quibus in sua signa rediret,
Traditur exactis disposuisse notis.
Is decies senos tercentum & quinque diebus
Iunxit, & è pleno tempora quarta die.
Hic anni modus est. in lustrum accedere debet,
Quæ consumatur partibus una dies.

Anni igitur isti à *Iulio Iuliani* appellantor.

5 DEFINITIO.

Si annus naturalis totidem diebus, horisque, & partibus æqualibus taxetur; quot dies, horasque, & partes inęquales continet; illi dies æquales, seu medii: atque tempus istiusmodi medium, seu æquale vocatur.

Dies medii seu æquales inde appellationem hanc sortiti sunt, quod inter longiores brevioresque naturales dies 1ᵐᵃᵉ definitionis sint medii.

6 DEFINITIO.

Planetæ sunt septem luminosa mundi corpora, quæ in speciem nulla constanti ratione moveri, sed vagari videntur, ut Saturnus, Iuppiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, Luna.


Quamvis Terra verè propriéque è planetarum sit numero, ob causas tamen in Breviario supra expositas, eam stabilem fingimus, neque nunc eam inter planetas numeramus.

7 DEFINITIO.

Excentricus est circulus, cujus centrum à Terra diversum: Concentricus verò cujus centrum Terræ centro idem est.

Esto

Esto circulus A B C, centrum D. Terra E. hic A B C erit eccentricus. si verò D punctum Terra sit, jam concentricus fuerit.



8 DEFINITIO.

Recta centrum eccentrici cum terræ centro connectens, linea eccentricitatis est.

Talis in 7 definitionis diagraphâ est D E.

9 DEFINITIO.

Apogæum eccentrici dicitur punctum quod à terra longissimè abest: Perigæum quod proximè.

Iam 7 definitionis diagrammate eccentricitas D E utrinque continuata peripheriæ occurrat in A & C. hic A punctum in peripheria A B C à terra longissimè erit dissitum, C verò proximè: ideoq; A eccentrici A B C Apogæum, C perigæum erit.

10 DEFINITIO.

Deferens est eccentricus à quo planeta defertur.

11 DEFINITIO.

Si in eccentrici peripheria quocunque puncto, tanquam centro, circulus minor describatur, in quo planeta decurrat, minor is circulus epicyclus, major deferens epicyclum dicitur.

Rursus ad 7 def. diagramma oculos animumque adjicito, inibique in eccentrici peripheria ubilibet assumatur punctum A, hoc tanquam centro mi-

nor aliquis circulus F G H decircinetur in quo Planeta rotetur, is erit epicyclus; major verò, deferens epicyclum.

12 DEFINITIO.

Apogæum epicycli est punctum quod à terra longissimè abest, perigæum quod proximè. Apogæum epicycli medium, quod à sui deferentis centro longissimè; & perigæum medium, quod indidem proximè abest.

In 7 definitionis diagrammate diameter C A continuetur usque ad epicycli ambitum in F. id, cum sit à terrâ distantissimum, epicycli apogæum est; H contra perigæum, quia proximum. Verum ut medium apogæum & perigæum ostendamus, alio devolvatur epicycli centrum, ut in B. tumque acta recta D B K secet peripheriam quâ proximè in I, quâ remotissimè in K. itemq; recta E L B M, quâ proximè in L, quâ remotissimè in M. hic igitur M apogæum, L perigæum; sed K remotissimum à D apogæum medium, & I ipsi D viciniflimum perigæum medium. Atque adeò apogæa M, K epicyclo illàm obtinente stationem diversa fiunt; at verò cum centrum epicycli in deferentis apogæo A, aut perigæo C consistet, apogæum verum mediumque in unum coëunt. itemque perigæum verum & medium. Apogæum verò medium, & medium perigæum inde nomen sortita sunt, quod K apogæum ex D æquabili velocitate commoveatur. cōtra M dispari & inæquali: nunc tardius, modo celerius. inter quam inæqualitatem cum sit motus puncti K quasi medius, Apogæi medii nomen & appellationem ex re invenit.

13 DEFINITIO.

Arcus epicycli inter apogæa, perigæave interceptus, æquatio centri in epicyclo dicitur.

Arcus K M, in 7 definitionis diagrammate, inter apogæum verum K & medium M, æquatio centri dicitur.

14 DEFINITIO.


Deferentis semicirculus prior est arcus continuus 180 gr. à perigæo ad apogæum secundum successionem graduum interjectus; reliquus posterior.

15 DEFINITIO.

Apparens planeta est locus in quo constitutus videtur, cum tamen reipsa nō sit. Et motus apparens arcus, quem peragrare videtur, cum tamen non peragret.

Deferens

Deferens planetæ sit A B C, centrumque D, terra E, unde Ecliptica describatur F G H. cujus diameter F I per E D puncta trajecta secat deferentem in apogæo A, perigæo C. planetæ verò locus in deferente B, per quem acta E B penetret rectà in G. Iam cum B verus propriusque planetæ sit locus, tamen ex E terra inter affixa cœlo sidera in Ecliptica in puncto G consistere videbitur. ideoq; G punctũ apparens planetę locus, seu appares & verus planeta nominatur. si hinc ex B discedat, ut in K, perque id punctum agatur E K H, planeta qui verè propriéque peragrat arcum B K videbitur nobis hic



in terra pertransisse arcum G H, qui ejus motui B K dissimilis est: is autem arcus G H (pro quo quoque usurpare licet angulum B E K seu G E H) est planetæ motus apparens.

CONSECTARIUM.

Exemplo isto apparentis Planetæ, & motus apparentis in deferente, in promptu est similis ratio in epicyclo.

Itemque ex analogia vocum apparentis planetæ, apparentisque motus satis in promptu est ratio nominum, apparentis arcus, apogæi apparentis F, perigæi apparentis I, similiumque, quæ cum usus erit postea citabuntur.

16 DEFINITIO.

Medius planeta est punctum Zodiaci fictum eodem semper motu incedens, semperque apparenti apogæo junctum cum planeta verus epicyclo defectus, in sui deferentis apogæo: at si erit adfectus epicyclo, cum epicycli centrum in apogæo consistet. motusque ejus medius dicitur.

Dicis gratia, cum planeta in 15^ta definitionis diagrammate, propè apogæũ A consistet, erit fictum aliquod punctum, junctũ apparenti seu vero apogæo F, quod semper ὁμαλῶς æquabili feratur motu, ut cum verus planeta redierit ad apogæum A, post peractam integram conversionem, id punctũ redeat ad apparens apogæum, quod interea temporis conversionis gyrum quoque peregerit, atque insuper tantam partem, quantam apparens apogæum interim permearit. id, inquam, punctum, appellatione medii planetæ designatur, motusque ejus medius. verumenimverò ista quæ de integræ restitutionis veri planetæ spatio exposuimus, etiam in parte conversionis aliqua lucem exempli desidera-

desiderare videntur. Vt si verus planeta ab A mearit usque in B, planeta medius ex hypothesi interea arcum ipsi A B similem decurret, is esto F L (videlicet ut L eo sit loco, quò E L parallela fiat contra D B) atque insuper tantum adhuc, quantum apparentis apogæi motus interea adjiciet, quod esto ab M ad F. ut M L motus medius sit, tempore par veri planetæ cursu in deferente A B, & medius dicitor, quia istiusmodi æqualis motus inter citatum tardumque apparentem motum medius est.

Isto planetæ medii, mediique motus exemplo in deferente, similis ratio in epicyclo in promptu est. assumpto etenim epicycli centro loco planetæ omnia supra exposita ei ad amussim congruent.

17 DEFINITIO.

* πρόσθεσις. * Additio est spatium quo verus planeta in Zodiaco medium antevertere; * Diminutio contra quo ab eodem anteverti videtur. quæ utraq; composita voce prostaphæresis dicitur.

* ἀφαίρεσις.

Exemplum tale esto: in diagrapha 15 definitionis planeta verus ab A contenderit in B, apparenter verò in G; interim igitur planeta medius arcum F L, ipsi A B similem permeabit. his positis planeta verus in Zodiaco posterior videtur, quam medius L, intervallo arcus G L, ideoque hic arcus G L aphæresis diminutio (quia subducendus) dicitur. aphæresis autem ista semper in deferentis semicirculo priore accidit: contra cum tanto arcu antecedet additio, seu prosthesis dicetur. & utraque communi appellatione prostaphæresis.

Notato insuper tam angulum D B E, quam arcum G L aphæresin, seu subductionem planetæ dici; quia utriusque amplitudo eodem graduum numero definiatur. nam G L peripheria in quem angulus G E L insistit, ipsi D B E, propter parallelas B D E L, æqualis est.

Hactenus exemplum exhibuimus planetâ deferentem decurrente: sed si insuper epicyclum habeat gemina prostaphæresi afficitur: unâ à centro epicycli, estque similis, jam expositæ anomaliæ deferentis; alterâ à motu planetæ in epicyclo: & prostaphæresis, quæ ab hac gemina anomalia existit, generaliter prostaphæresis planetæ dicitur.

Majoris claritatis ergò in 7 definitionis diagrapha planeta in epicyclo fit in N, ubi præter aphæresin seu subductionem, quam ei affert epicycli sui centrum, prosthesin habet anguli B E N, qui reliquo temperatus (addendus enim cum erunt homogenei, demendus autem cum contra heterogenei, ut hic) dabit prostaphoresin planetæ.

Notato quoque numerum graduum arcus apogæi, qui est M K, aut perigæi I L; semper æquari prostaphæresi centri epicycli D B E. quia I L ex centro B decircinatus sit. ut hinc quoque æquatio centri dicta videatur. supra def. 13.

18 DEFINITIO.

Prima prostaphæresis est centri epicycli: secunda planetæ in epicyclo: æquata denique, quæ è primæ secundæque mixtura conflatur.

Planeta.

Planeta in deferente unicam prostaphæresin habet, quâ propter deferentis eccentricitatem afficitur. neque primæ secundæve aut æquatę prostaphæresis discrimine opus habet: sed hæc tota propria est planetarum in ępicyclis. ubi cum prima & secunda erunt prostheticæ earum summa erit prostaphæresis æquata: cōtra si utræq; sint subducendæ, seu aphæreticę, earū quoque summa prostaphęresis est ęquata: at cōtra cum una erit* subdicenda, altera* addenda differentia earum majori cognominis, harum prostaphæresis erit æquata. * prosthetica. * aphæretica.

19 DEFINITIO.

Quantum dato temporis intervallo planeta planetam antevertit motus distantiæ seu exsuperatio dicitur.

Temporis istius initium sæpe à conjunctione duarum planetarum numeratur; ut intervallum arcus apparentis à tardiore ad citatiorem in consequentia plerunque arcus distantiæ dicatur, qui tam in mediis planetarum locis, quam veris calculo indagatur.

20 DEFINITIO.

Duo luminosa mundi corpora in eandem Zodiaci apparentem longitudinem delati dicuntur conjuncti: at semicirculo disjuncti, dicuntur oppositi.

21 DEFINITIO.

Conjunctiones & oppositiones mediorum planetarum mediæ dicuntur.

22 DEFINITIO.

Ephemerides observationum sunt in quibus ordine ad singulos dies planetarum loca idoneis Mathematicis instrumentis observata notantur; adscripto insuper ipsorum inter ipsos mutuæ, & cum fixis cōjunctionis tempore, cæterisque accidentibus; cujus generis sunt eclipses; magnitudo, & plaga defectus; tempus incidentiæ, durationis, finis; & cætera id genus.

23 DEFINITIO.

Ephemerides calculo subductæ sunt, quæ ex Astronomica doctrina subducuntur, ubi ordine planetarum loca ad singulos dieis describuntur, quæ futuris deinceps temporibus

poribus occupaturi putantur, adſcriptis inſuper Solis & Lunæ eclipſibus cæteriſque accidentibus.

Hujus generis tabulæ publicatæ ſunt à *Ioanne Stoffler*o, *Eraſmo Renoldo, Leovitio, Stadio, Magino, Martino Everarto*, aliis.

24 DEFINITIO.

Planetæ tempus periodicum eſt ejus ad eundem ſui orbis terminum accurata obſervatione notata reſtitutio. unde motus celeritas ad datum tempus invenitur.

NOTA.

Zodiacus & æquinoctialis, cæteriſque orbes in 360 gradus tribuentur, veteri tamen in duodecim ſigna partitionis more neglecto: cujus rationes in appendicem motuum cœleſtium conjeci.

DISTIN-

DISTINCTIO PRIMA PRIMI LIBRI, DE MOTU SOLIS EX OBSERVATIONUM Ephemeridibus investigando.

Priusquam propriè & pressim de Solis motu dicere instituam, unicam propositionem & quidem catholicam, quæ sit de inventione motus planetarum in genere, primo loco præmittam.

I. PROPOSITIO.

Qua via planetarum cursus initio notatus & animadversus sit; quaque ratione nunc deinceps porrò in notitiam (si nulla haberetur) venire possit.

CUm artium cognitio penitior ab primis quasi incunabilis optimè derivetur, etiam in hac arte, quid à primis inventoribus in planetarum motus investigatione factitatum sit, aut quibus vestigiis ejus motus rationes & varietatem perquiri posse autumem, sententiam meam paucis exponam; & quî facilius exaudiar, nobilem hanc cœlestium orbium doctrinam geographico exemplo illustrabo. Enimverò, inquam, ut is qui regionem, quam nemo unquam in tabula depinxit, aut saltem cujus expressa imago ad manus ejus nunquam devenit, is inquam, si eam delineare cupiat, necesse habet regionem hanc αὐτόπτης lustrare, aut saltem certis & indubiis aliorū relationibus, qui ipsi loca illa lustrassent, auscultare: similiter qui planetarum cursus intelligere & describere animum induxit, is motum eorum vel ipsemet vidisse, vel è certis aliorum relationibus, qui istum experientia & observationibus edocti sint, cognovisse. Istud verò mare veteres illi Argonautæ summa industria sulcarunt. Nam cum cœlum, cœlique plagas diligentius scrutarentur, ex innumerabili cœlestium syderum numero quinque, præter Solem & Lunam, ab illis animadversa sunt, quorum cursus motusque vagus, & inconstans videretur, nunc incitatus, modo lenis, aliàs penè stabilis, denique etiam retrogradus. hac varietate permoti in causas ejus inquirere cœperunt, notantes indies loca eorum apparentia inter sydera cœlo affixa; item Lunæ eclipses, Solis labores; reliquaque id genus: ut sunt duratio eclipsis, magnitudo, plaga quam obscurata pars spectaret, longitudo, latitudo in ecliptica ad medium eclipsis tempus. denique ubinam locorum istorum observatio esset instituta. præterea ad rei accurationem non levis momenti erat tempus, quo planetæ fixarum alicui officere animadversi essent, cæterasque id genus φαινόμενα, ipsorumque etiam inter ipsos conjunctiones, & concursus annotare. Ex apparentibus seu visis planetarum locis, in dies videbant eos cum in longitudinem tum in latitudinem evagari, quæ in modum Ephemeridum concenturiabant, ipsorumq; pla-

netarum conjunctiones præterea annotabant. Vnde effectũ est, ut,dum ista ad posteritatem transderent, hi suas Ephemerides cum observatis majorum ephemeridibus componendo innumerabilem observationum seriem jungerent. In his plana erat ipsis via ut in singulorum planetarum cursum motumque inquirerent, cujus rei *Hipparcho, Ptolemæo,* posterisque parata fuisset copia, si ad eorum manus istæ devenissent.

Verùm postquam illæ evanuerunt, neque postea ullæ novæ, prout rei accuratio & dignitas postulat,confectæ sint, alias ex calculo deductas & typis divulgatas, cujusmodi sunt ephemerides *Stadii,* illarum loco sufficiam, quamvis harum calculus ad tempus æquale subductus sit, cum ephemerides experientiæ quotidianæ ad inæquale & naturale instituantur. præterea licet à veritate non nihil diffideant,partim ob errorem, cui arithmetica numerorum varietas obnoxia est; partim quod cœlestium motuum scientia hoc sæculo in lubrico versetur; tamen exempli, & dicis gratia usurpare licebit, ut solummodo animi mei sententiam explicem, quæ est ut doceam, qua ratione verisimile sit initio animadversum esse, planetas in eccentricis curriculum suum decurrere; atque nonnullos insuper in epicyclis quoque rotari. secundo quomodo medii planetarum motus, nec non apogæorum & perigæorum in epicyclis apparens longitudo secundum eclipticam hinc inveniantur.

Deinde, cum jam planetarum cursus & motus rudi quidem Minervâ, attamen planè & intelligenter, à nobis erit expressus, tum secundo deinceps libro, reliquisque paulo pressius de his edisseram, remque mathematicis rationibus,secundum ordinem,quem in Cœlestium motuum Breviario proposui, explicare instituam. Nam ista statim ab principio secundum monumenta quę ab *Hipparcho* & *Ptolemæo* ad nostram usque ætatem propagata sunt (pro quibus illis grates debemus gratias) investigare; scilicet mathematico ratiocinio ex unius planetæ observatis tribus apparentibus secundum eclipticæ longitudinem locis, non videntur primis hujus artis incunabulis satis consentanea: sed aliis initiis videtur primulum propagata, unde innotesceret,quarumnam rerum observationes ad cœlestis motus scientiam profuturæ essent; postmodum verò ad majorem accurationem, & certiorem πίςωσιν mathematicus epilogismus illi ex abundanti adjectus esse: quem ordinem iis describendis sequar, ubi res ipsa ex observationũ ephemeridibus percepta erit. Nõ negligendum autem arbitror terram prima fronte immotam videri: ideoque nos quoq; (quia prima initia ista hypothesi animadversa sint, hæcque ratio commodior, & ἀπαγωγῇ convenientior sit) iisdem vestigiis instituros,& primo secundoque libro tali filo omnem doctrinam deducturos: at tertio deinceps hypothesin naturæ rerum consentaneam explicaturos, terram volventes.

Prisca rerum cœlestium doctrina, qualem quidem ad se allatam *Ptolomæus* testatur, erat simplicissima; Lunæ enim, perinde ut Soli, eccentricum solum, reliquis verò eccẽtricum cum epicyclo assignarat. *Ptolomæus* autem, postquam istas hypotheses non satis arctè cum observationibus consentire judicaret,alias ex ingenio suo depromptas cum veterum hypothesibus commiscuit, inque unam massam conflavit: similem quoque mixtionem *Copernicus* in Terræ motu usurpavit. Verum miscellaneis istis vestigiis insistere non est animus; sed primarum hypothesium modum duntaxat explicare, ut ita nuda & simplex nobis ob oculos versetur, qualis scilicet ad *Ptolomæum* allata est. De reliquis autem postmodum confictis anomaliis, utpote obscuris, & à natura, & à veritate alienis, peculiari tractatu edisseram, ut his studiis initiato

facilius

facilius appareat quidnam potiſſimum in Aſtronomiæ reſtauratione quæratur, atque ita minus lubricâ viâ faciliores felicioreſque theoriæ inveniri poſſint. Nam hæc via mihi cómodiſſima videtur, ut breviſſimè & perſpicuè ILLVSTRISSIMO PRINCIPI explicem ea, quæ de Planetarum motu cognita, & perſpecta habeo; utque clariſſimè demonſtrem quam neceſſariæ ſint ephemerides obſervationum; & ſiderum obſervatores quanto ſint uſui: ut ſic eò caput tandem extollamus, quò eruditi ſeculi homines ſe erexerant.

NOTA.

Antequam ulterius tendo id monere neceſſe habeo, me non in eo laborare ut accurate, & ad amuſſim planetarum loca futuris deinceps annis certò definiam, ſed tantum ut eorum motus rationem expendam, idque exemplis iſti negotio maximè idoneis: ſive verâ, ſeu ſecus ea ſint. namque tota hæc doctrina ob ignotam ſecundam anomaliam, necdum ſtabili ſatis fundamēto innixa eſt, ſed novum & magis certum poſtulat: quod non ita in proclivi fuerit, partim quia nulla gens eſt, quæ tota lingua ſibi vernacula ſciētiam hanc exerceat, atque ideo tot navi & induſtrii ſyderū obſervatores invenire nequeant, quot res ipſa deſiderat, quemadmodum in ſcholio primæ prop. 1 lib. Geographiæ fuſius expoſuimus: partim etiam quod emendatio iſta non exiguo tempore opus habeat. Hæc inquam, veſtigia ſunt, quibus priſcos illos Planetarum motus rationem indagaſſe credam; eodemque curſu, iiſdemque veſtigiis denuo (etiamſi ea funditus interiiſſet) vel ſuſcitari, vel reſtaurari poſſe autumem.

2 PROPOSITIO.

Ex obſervationum ephemeridibus anni naturalis quantitatem inveſtigare.

Meritò ab inveſtigatione quantitatis anni naturalis ordiundū: certo enim, & circumſcripto temporis intervallo opus eſt, quo planetarū motus tanquam expreſſa menſura dimetiamur. Quamobrem, ut in rem præſentem veniamus, quî ſequentia commodius intelligantur, *Stadii* aut alterius ephemeridibus ad hanc rem opus eſt, quaſque tanquam obſervationum, experientia conſignatę, & ita digeſtæ eſſent uſurpemus, ſecus enim me explicare cōmodè vix queam. In his annum aliquem, verbi gratia primum, qui eſt 1554 à partu ſalatifero, & meridiem quo Sol ſectioni vernæ eſſet proximus inquiro: eum Martii die 11 deprehendo, tum enim 359 gr. 59 ① tenebat, qui 1 ① ab ſectione verna abſiſtunt. ſimiliter anno ſequente 1555 eundem 359 grad. 59 ① die 11 menſis Martii hora 5 36 ① tenere animadverto, enimverò ipſo meridie 359 gr. 45 ① habet, ut iſtud ſpatium temporis adhuc deſit, quo Sol 14 ① peragrat. ad cujus inveſtigationem deprehendo ex ephemeride Solem uno die 1 grad. id eſt 60 ① iſtic proficere. itaque dicam 60 ① peragrantur horis 24, itaque 14 ① quanto tempore peragrabuntur? efficientur ut diximus 5 horæ 36 ①. Et 11^{us} dies Martii 1554, ab 11^{mo} Martii anni ſequentis 1555 abeſt diebus 365. ideoque annus ſecundum iſtam rationem 365 dies 5 horas 36 ① complectetur.

Hoc primum unius converſionis calculo expreſſimus, ut res illuſtrior eſſet, & perceptu facilior: quia verò plures continuæ converſiones certius eum nobis definient (nam mille annis unius horæ error, ſingulis $\frac{1}{1000}$ erroris tribuit: & contra in uno anno unius horæ error, mille annis 1000 horarum, id eſt, ferè

sex septimanarum errorem inducit) tot annos ad eam rem assumemus, quot istis ephemeridibus continentur. quæram igitur novissimo anno, qui est 1606, quandonam Sol 359 gr. 59 ① obtineat, cujus tempus 10^{um} Martii horamq; 11 47 ① 48 ② reperio nam ipso meridie Sol 359 grad. 30 ① tenebat, ut spatium temporis quo Sol 29 ① percurrerit, adhuc desiderentur. iumque ex analogia motus diurni (qui tum ex ephemeride datur 59 ①) ita concludo. 59 ① dant 24: ergo suprascripta 29 ① quid dabunt? Cõcludes ut supra expressimus 11 horas 47 ① 48 ②. atqui ab 11 Martii anni 1554, ad anni 1606 mensis Martii 10 diem 11 horam 47 ① 48 ②, absolutæ sunt 52 cõversiones, quas Sol cõfecit 18992 diebus 11 horis 47 ① 48 ②. Nam 52 anni per 365 dies multiplicati dant 18980, unde 1 dies deducendus est, quia ab 11 Martii exordium sumpsimus & in 10 desiimus, ut reliqui sint 18979, huc rursum (ob 13 annos intercalares) 13 dies qui 6 Kal. Mart. intercalantur additi, dabunt summam dierum 18992. Quæ cum ita sint, ita concludam. 52 conversiones perficiuntur 18992 diebus 11 horis 47 ① 48 ②: itaque una conversio quanta erit? concludes 365 dies 5 hor. 45 ① 55 ②, pro optata anni (secundum hunc calculum) quantitate. Atque is modus est quo ex ephemeridibus observationum naturalis anni quantitas investigetur.

3 PROPOSITIO.

Solis motum medium ad datum tempus investigare.

1 NOTA.

Secunda propositione anni quantitatem 365 diebus, horis 5, 45 ① 55 ① circumscripsimus: unde novi medii modus canones institui possint: sed quia id mihi operosum esset, atque ista anni definitio non nihil lubrica sit, idque ipsum exemplum dicis gratia duntaxat, ob causas 1 propositione pressius expositas, proponatur, huic labori supersedere est animus: quin potius anni quãtitatem, & canones inde derivatos à *Ptolomæo* mutuabitur. Annum igitur *Ptolomæus* secundum viam suprascriptam invenit 365 dierum 5 horarum 55 ① 12 ②, quæ ad diei sexagesimas partes revocata efficient 365 dies 14 ① 48 ②, seu quod idem sit 365 $\frac{14}{48}$.

Non secus in cæteris planetis *Ptolemæi* medii motus Canoniis utemur potius, quam ut ipsi novos ex lubrico & instabili exordio deducamus.

DATUM. Spatium diei unius. QUÆRITUR Solis medius motus eo tempore. CONSTRUCTIO. Cum 365$\frac{14}{48}$ diebus Sol peragret 360 gr. per priorem hujus propositionis annotatiunculam, quantum igitur cõficiet 1 die? Concludes motum diurnum 59 ① 8.17.13.12.31.

2 NOTA.

Quomodo Solis medius motus uno die per proportionem investigandus sit, proposito exemplo planè satis expressimus. unde simili analogia ad quodvis datum tempus solis motus concludi possit. quæ via tamen, cum crebrius usurpanda, tœdiosa est: ideo Canones in hunc usum substituuntur, unde ad quodvis datum tempus motus facili compendio explicetur. quorum fabricam deinceps describam, ut sequitur.

FABRI-

FABRICA CANONIS * MEDII MOTUS SOLIS.

* [illegible]

SI motus diurni, seu 24 horarum 59 ① 8. 17. 13. 12. 31.
Sumas $\frac{1}{24}$, motus is erit horarius 2 ① 27. 50. 43. 3. 1.
Is duplicatus dabit motum 2 horarum 4 ①. 55. 41. 26. 6. 2.
Atque isto deinceps ordine continuo horario motu addito 23 horarum motus existet, inde diurnus, hinc bidui, hinc anni & tandem addendo ad 810 Ægyptiacos adscendetur, quemadmodum in canone expressum vides.

Horæ	gr.	①	②	③	④	⑤	⑥
1	0	2	27	50	43	3	1
2	0	4	55	41	26	6	2
3	0	7	23	32	9	9	3
4	0	9	51	22	52	12	5
5	0	12	19	13	35	15	6
6	0	14	47	4	18	18	7
7	0	17	14	55	1	21	9
8	0	19	42	45	44	24	10
9	0	22	10	36	27	27	11
10	0	24	38	27	10	30	12
11	0	27	6	17	53	33	14
12	0	29	34	8	36	36	15
13	0	32	1	59	19	39	16
14	0	34	29	50	2	42	18
15	0	36	57	40	45	45	19
16	0	39	25	31	28	48	20
17	0	41	53	22	11	51	21
18	0	44	21	12	54	54	23
19	0	46	49	3	37	57	24
20	0	49	16	54	21	0	25
21	0	53	44	45	4	3	27
22	0	54	12	35	4	6	28
23	0	56	40	26	30	9	29
Dies.							
1	0	59	8	17	13	12	31
2	1	58	16	34	26	25	2
3	2	57	24	51	39	37	33
4	3	56	33	8	52	50	4
5	4	55	41	26	6	2	35
6	5	54	49	43	19	15	6
7	6	53	58	0	32	27	37
8	7	53	6	17	45	40	8
9	8	52	14	34	58	52	39

Dies.	gr.	①	②	③	④	⑤	⑥
10	9	51	22	52	12	5	10
11	10	50	31	9	25	17	41
12	11	49	39	26	38	30	12
13	12	48	47	43	51	42	43
14	13	47	56	1	4	55	14
15	14	47	4	18	18	7	45
16	15	46	12	35	31	20	16
17	16	45	20	52	44	32	47
18	17	44	29	9	57	45	18
19	18	43	37	27	10	57	49
20	19	42	45	44	24	10	20
21	20	41	54	1	37	22	51
22	21	41	2	18	50	35	22
23	22	40	10	36	3	47	53
24	23	39	18	53	17	0	24
25	24	38	27	10	30	12	55
26	25	37	35	27	43	25	26
27	26	36	43	44	56	37	57
28	27	35	52	2	9	50	28
29	28	35	0	19	23	2	59
30	29	34	8	36	36	15	30
60	59	8	17	13	12	31	0
90	88	42	25	49	48	46	30
120	118	16	34	26	25	2	0
150	147	50	43	3	1	17	30
180	177	24	51	39	37	33	0
210	206	59	0	16	13	48	30
240	236	33	8	52	50	4	0
270	266	7	17	29	26	19	30
300	295	41	26	6	2	35	0
330	325	15	34	42	38	50	30
360	354	49	43	19	15	6	0

Anni	gr.	①	②	③	④	⑤	⑥	Anni	gr.	①	②	③	④	⑤	⑥
1	359	45	24	45	21	8	35	270	294	21	24	5	8	37	30
2	359	30	49	30	42	17	10	288	285	5[illegible]	49	41	29	12	0
3	359	16	14	16	3	25	45	306	285	36	15	17	49	46	30
4	359	1	39	1	24	34	0	324	281	13	40	45	10	21	0
5	358	47	3	46	45	42	35	342	276	51	6	30	30	55	30
6	358	32	28	32	6	51	30	360	272	28	32	6	51	30	0
7	358	17	53	17	28	0	5	378	268	5	57	43	12	4	30
8	358	3	18	2	49	8	40	396	263	43	23	19	32	39	0
9	357	48	42	48	10	17	15	414	259	20	48	55	53	13	30
10	357	34	7	33	31	25	50	432	254	58	14	32	13	48	0
11	357	19	32	18	52	34	25	450	250	35	40	8	34	22	30
12	357	4	57	4	13	42	0	468	246	13	5	44	54	57	0
13	356	50	21	49	34	51	35	486	241	50	31	21	15	31	30
14	356	35	46	34	56	0	10	504	237	27	56	57	36	6	0
15	356	21	11	20	17	8	45	522	233	5	22	33	56	40	30
16	356	6	36	5	38	17	20	540	228	42	48	10	17	15	0
17	355	52	0	50	59	25	55	558	224	20	13	46	37	49	30
18	355	37	25	36	29	34	30	576	219	57	39	22	58	24	0
36	351	14	51	12	41	9	0	594	215	35	4	59	18	58	30
54	346	52	16	49	1	43	30	612	211	12	30	35	39	33	0
72	342	29	42	25	22	18	0	630	206	49	56	12	0	7	30
90	338	7	8	1	42	52	30	648	202	27	21	48	20	42	0
108	333	44	33	38	3	27	0	666	198	4	47	24	41	16	30
126	329	21	59	14	24	1	30	684	193	42	13	1	1	51	0
144	324	59	24	50	44	36	0	702	189	19	38	37	22	25	30
162	320	36	50	27	5	10	30	720	184	57	4	13	42	50	0
180	316	14	16	3	25	45	0	738	180	34	29	50	3	34	30
198	311	51	41	39	46	19	30	756	176	11	55	26	24	9	0
216	307	29	7	16	6	54	0	774	171	49	21	2	44	43	30
234	303	6	32	52	27	28	30	792	167	26	46	59	5	18	0
252	298	43	58	28	48	3	0	810	163	4	12	15	25	52	30

VSVS CANONIS.

Postuletur ipsius Solis motus, quem medium vocant, in 879 annis Ægyptiacis, 66 diebus, 2 horis. CONSTRVCTIO. Si canon expositus nobis 879 annos 66 dies 2 horas, & eorum motum è directo uno fasce exhiberet, tes factione non indigeret: nunc autem ille numerus per suas partes nobis investigandus est: itaque ex annorum canonio eos sumes qui proxime ad expositos accedunt, qui sunt 810, quos cum medio motu ad ② usque describes (hæc enim in usu satis sunt) reliqua verò illa minutiora minuta non usui, sed canonum fabricæ inserviunt (quod explanatius mox in cautela fabricæ demonstrabo) eo ordine qualem hic vides.

810 anni. 163 gr. 4. 12.

Anni igitur 69 nobis hic desiderantur, quos partior (quamvis id liberum sit) in 54 & 15: porrò dies in 60 & 6, & horas 2. quibus ordine descriptis, & homogeneis motuum numeris inter se additis operis facies talis erit.

810 anni.	163 gr.	4.	12.
54 anni.	146 gr.	52.	17.
15 anni.	356 gr.	21.	11.
60 dies.	59 gr.	8.	17.
6 dies.	5 gr.	54.	50.
2 horæ.	0 gr.	4.	56.
	931 gr.	25.	43.

Ex summa 931 grad. si quas habet integras periodos rejicito, quarum singulæ 360 grad. taxantur. ita hic post sublatas duas periodos relinquuntur 211 grad. quibus si annumeres ipsa minuta, habes 211 grad. 25 ① 43 ②. & neglectis 43. ② erit optatus dati temporis motus 211 gr. 26 ② proximè. Is igitur modus est canones medii motus Solis condendi, & usurpandi.

CAVTIVNCVLA AD CANONIS FABRICAM.

Non est negligendum canonis incrementum, cum ultra dies excrescet, vel additione vel multiplicatione, non autem divisione subductioneve condi & explicari: dicis gratiâ si motus 18 annorum qui est 168 grad. 49. 52. 9. 9. 45. 0. sit cognitus, inde quater 18 hoc est 72 annorum motum legittimum investigabis: multiplicato enim motu exposito per 4, existet (rejectis integris periodis) 315 grad. 9. 28. 36. 0. 0. quæ multiplicationis via, ut supra diximus, legittima est. Atqui si alicunde nobis 72 annorum motus prius innotuisset, atque inde contrariâ divisionis viâ motus 18 annorum investigandus foret, labor omnis irritus esset; namque istius quadrans motum 18 annorum neutiquam tibi restitueret: cujus causa tamen haud obscura est: quia in multiplicatione integræ periodi exemptæ sint, quæ priusquam divisionem legittimam inire possis rursum addendæ essent: itaque cum istę ignorantur divisionis opus lubricum est. Præterea partes dierum, aut etiam anni unius ex divisione nihil vitii accipere indidem manifestum est, quia infra integras periodos subsistunt.

Porrò

Porrò cum particularum quæ ① minores sint, utpote ②, ③ & cæterarum, in observationum experientia aut per exiguum, aut nullum discrimen animadvertere sit (quemadmodum suo loco enucleatius explicavimus) mirum videatur, cur motum hunc Solis in canoniis ad ⑥ usque deduxerimus: & cur non satis sit Solis motum diurnum 59 ① duntaxat definivisse, neglecta reliquorum scrupulorum appendice: aut cur in ⑥ subsistamus, nec ultra ad minores scrupulorum partes progressi simus. causa ex antecedentibus non obscura est. Nam cum veteres in animo haberent Canonem 810 annorum condere, qui complectuntur dies 295650, hujus autem conversionis numerus ex diurni motus additione componatur (nam singulis canoniis numeros per proportionis regulam, quod in unius diei motu supra fecimus semper investiganti, ad ④ descendere abundè satis fuerit: verum laborem istum, quia operosus est, libentissimè declinamus) efficitur ut neglectis ② (quę in motu diurno 8 insunt ultra 59 ①) error inducatur 295650 secundorum octies, quæ summam 657 gr. excedunt. Ideoque canonem motus solaris in ① claudere, ob hanc causam, importunum fuerit. simili ratione facile erit animadvertere eum nec in ②, ③ aut ④ terminari debere. enimvero si in ④ exspiret canonis numerus, atque ⑤ aliquot vel desint, vel supersint, longa annorum serie vitium hoc in ipsa ③ redundaret: nam 30 ⑤ cum 295650 multiplicata 40 ④ errorem inducunt: qui, si longior sit temporis series, denique etiam ad ipsa ① penetraret. atque adeò, ut de ① hîc certi sumus & securi, ⑤ ipsa in canonis ordinatione neutiquam nobis sunt negligenda. verum ut omnino indubius sit epilogismus iste, & Solis motus etiam ultra 810 annos bene accuratè computari possit, veteres non frustra ad ⑥ abaci hujus epilogismum deduxerunt: neque vicissim temere aut inconsultò hic gradum stitisse videri debent, quippe cum ratio ipsa convincat cætera illa nulli bono esse.

NOTA.

Eâdem viâ & ratione, quâ hic è diurno solis motu canonem ipsum fabricavimus, in cæteris quoq; planetis, eorumq; orbibus, ex unius diei motu reliqui temporis motum colligemus, & canones concenturiabimus. cumque illorum & fabrica & usus hujus modo nō absimilis sit, ab hoc labore illic supersedebimus. deniq; etiam memineris animadversiunculam hanc in illis quoque locum habere.


4 PROPOSITIO.

Ex observationum ephemeridibus solaris apogæi & perigæi eccentrici longitudinem in Zodiaco invenire.

Si ephemerides *Stadii*, quas tanquam ex observationibus derivatas fingimus (ejus enim causam supra explicuimus) diligentiùs excurias, in vero Solis motu anomaliam, seu inæqualitatem quandam deprehendes: ut quandoque diurni motus curriculi 3, aut etiam quatuor minutis inter se distent: deinde etiam quotannis propter Iunii medium quàm lentissimum esse, ut in singulos dies 57 ① duntaxat promoveat. Diceis gratiâ, 15 Iunii anno 1555 deprehendo Solem in 92 gr. 39 ①, postridie autem, qui est 16, in 93 gr. 36 ①, ut diurno motu à 15 ad 16 Iunii promoverit 57 ①. & tantundem quoque à 15 ad 16 Junii annis subsequentibus peragrat. Vicissim circa medium Decembrem singulis annis velocissimè commovetur, videlicet 1 gr. 1 ①. Cumque ista quot-

annis

annis eodem modo eveniant, merito primis harum rerum scrutatoribus cogitationem injecerunt Solem in circulo decurrere, cujus centrum à terra diversum sit. quæ ut exemplo clarius intelligantur, esto A B ecliptica, cujus centrum, quæ terra est, sit C; D E circulus Solem deferens, ejusque centrũ F; apogæum D, perigæum F; hinc à C ad eclipticam usque in G continuetur C G perpendicularis in A B, & Solis deferentem incidens in H. Quibus positis, facile apparet cur Sol in orbis sui curriculo circumactus, plus quadrante, atque in ecliptica apparenter ab A ad G quadrãtem duntaxat: &



vicissim in deferente suo ab H ad E minus quadrante, inque ecliptica à G ad B verè seu apparenter circuli tantum quadrantem permearit: pariterque jam consta tcut Sol in peripheriis æqualibus A G, G B vero motu inæquale temporis spatium consumat; hoc est, plus temporis collocet ab D in H, qui apparenti motu A G respondet; quam ab H in E, qui apparenti motui G B congruit. verum in semiperipheriis apparentibus A G B, B K A, & eccentrici semiperipheriis D H E, E M D, quomodocunque mutuò inter se cõferantur pari tempore commoretur. unde efficitur Solem in apogæo D medium tardi motus sui locum, contráque in perigæo E medium citati motus tenere. Verum ut medium id, quod nobis ad investigandum proposuimus certa ratione modóque scrutemur, pauca hæc, quæ sequuntur, ante rem dicere necesse habeo. In ecliptica notentur duo puncta I, K, pari intervallo distantia ab apogæo A. hinc rectæ dicta puncta & mundi centrum connectentes C I C K incidant eccentricum in L & M. quibus positis, certum est, quemadmodum arcus veri motus A I hinc, æqualis sit arcui veri motus A K illinc; ita Solis in suo differente motus D L, D M utrimque ab apogæo æquales esse. & consequenter omnes motus veri arcus utrimque ab apogæo æquales, duos deferentis æquales arcus utrimque ab D deposcere. Vnde efficitur, ut invento in observationum ephemeridibus loco, unde utrimque æqualia spatia æquali tempore peraguntur, eum esse apparentem seu verum Solis apogæum.

Cæterum investigatio ejus ita ferè instituitur. Iunium mensem (quo motus ubique tardissimus animadvertitur) anni 1554 eligito, ibique quorundam dierum periculum facito, quos proxime ad Solis tardissimum motũ accedere animadvertes. verbi gratia, diei 10^mi, ubi Sol in 88 gr. 2 ☉ deprehenditur; verum tertium ante mensem, id est 10 Martii gradum tenebat 359, ut hujus peripheriæ intervallum sit 89 gr. 2 ☉. & porrò tertium post mensem à 10 Iunii, qui est 10 Septembris, cum Sol 176. gr. 39 ☉ obtinet peripheria di-

stantiæ

ſtantiæ erit 88 gr. 37 ①, quæ ipſis 88 gr. 2 ① inæqualis eſt. itaque apogæi locus in 88 grad. 2 ① quæ ipſis non erit ſtatuendus.

Quamobrem alterum locum quoque tentabo: qui eſto 15 Iunii, cum Sol in 92 gr. 49 ① verſatur. arcus trimeſtris præcedentis eſt 68 gr. 53 ①, & ſequentis 88 gr. 46 ①, qui rurſum inæquales ſunt, poſteriorque priore minor, ut in priori exemplo, arguit nobis ulterius porrò Iunium tentandum. eligatur itaque dies 19 cum Sol obtinet 96 gr. 39 ①, arcus trimeſtris præcedentis 88 gr. 46 ①, ſequentis autem 88 gr. 55 ①. his rurſum inæqualibus inter ſe, poſteriore priorem ſuperante, indicum erit in Iunium ultra quam par ſit me ingreſſum, retroque recedendum. jam igitur dies eligatur 16, & Solis locus in 93 grad. 46 ①. hic trimeſtri antecedente Sol peragraret 88 gr. 51 ①, conſequente autem 88 gr. 48 ①. verum neque hæc uſquequaq; quadrant. Itaque ad 16 diem, & gradum 93 46 ① me conferam, & prior quidem trimeſtris arcus deprehendetur 88 gr. 51 ①, poſterior verò 88 gr. 48 ①. ut nunc inductione hac comprobarim apogæum inter 93 gr. 46 ① & 94 grad. 43 ① intercidere, atqui ut propius etiam ad rem accedam, video noviſſimum arcum ad diem 16 Iunii, minorem eſſe juſto, & contra ad diem 17 juſto eſſe majorem. unde efficitur optatum locum inter utrumque intercidere, videlicet in 16 Iunii cum horis aliquot. quamobrem ut hæc accuratius inveſtigem, primò ſumam 16 Iunii cum horis 12: hinc, ſi non congruat, etiam alibi experiar, verbi gratia die 16 & hora inſuper 16 Sole jam 94 gr. 24 ① obtinente: ubi prior arcus invenietur 88 gr. 49 ①, poſterior autem 88 gr. 49 ① 20 ②, qui pauxillum inter ſe diſtant, (ſi qui verò majorem accurationem exiget, etiam horarum particulas in conſilium adhibeat.) Itaque jam inventum 94 grad. 24 ①, tanquam veri ſeu apparentis apogæi in Zodiaco locum aſſumo. huic additis 180 grad. exiſtet perigæi locus :: 274 grad. 24 ①.

Notato *Copernicum* ſuo ævo apogæo aſſignaſſe 96 gr. 40 ①. Sed noſter ille locus ex ephemeridum numeris, quos ſecuti ſumus, ita inventus eſto.

Præter hunc etiam modus alter eſt, qui priori tanquam δοκιμασία ſuccenturiari poteſt. cujus rationem deinceps exponam, ut ſequitur.

Tetigimus ſupra, Solem vero ſeu apparenti motu in utroque ſemicirculo AGB, BKA æquale temporis ſpatium commorari. cui conſequens eſt ſi in ephemeridibus duo apparentes Solis loci inveniantur 180 gr. inter ſe diſſidentes, in quorum utroque Sol par ſpatium temporis commoretur, alterum eorum ſemicirculorum terminum eſſe apogæum, reliquum perigæum. Vt igitur hac via apogæum inveſtigem ad 180 gr. addam ſupraſcriptos 94 gr. 24 ① apogæi veri, efficiunturq; ut ſupra dixi 274 gr. 24 ① pro perigæo vero. deinde in ephemeridibus tempus quo Sol eum locum vere obtinuerit inquiro. idque eodē anno 1554 menſe Decembri fuiſſe comperio die 16 hora 8,16 ①. Si igitur ſpatium temporis horum 180 gr. à 16 Iunii 16 horis, ad 16 Decembris 8 hor. 16 ① æquale & par foret tempori motus ſemicirculi reliqui: vel ut clarius dicam, ſi is motus eſſet ſemeſtris, qui eſt 182 dierum 14 horarum 58 ①, inventus apogæi locus foret verus. ſed à 16 Iunii 16 horis, ad 16 Decembris 8 hor. 16 ① interſunt 182 dies 16 horæ 16 ①. quæ cum 1 hora 18 ① duntaxat redundent, haud longule iſtinc aberit apogæum. Verum ut propius ſcopū accedam idem alio loco tentabo, aſſumpto loco Solis ad 18 Iunii, qui erat 95 grad. 41 ①, cum quo epilogiſmi filum deduco, ut prius, & hujus ſemicirculi motum o horis 25 ① deficere animadverto. ut hine apogæum inter 94 gr. 24 ①, & 95 gr. 41 ① interjacere deprehendatur. Verumenimvero ut etiamnum penitius in rem ingrediar,

grediar, idem rursum loco inter ea intermedio experiar, qui fit 17 die 13 hora Iunii, quo tempore ephemerides Solis locum suggerunt 95 gr. 14 ①. unde semicirculi motum o hor. 2 ① duntaxat deficere deprehendo. quæ cum vero proxima sint, pro ipsis veris usurpabo: ut hac ratione apogæum in 95 gr. 14 ① (quod priore via in 94 gr. 34 ① inveniebatur) versari deprehendatur, quorum differentia est 50 ①. quæ hoc loco parvi momenti sunt, eque minus perfectis ephemeridum abacis existunt.

CONSECTARIUM.

Perinde atque hic arcus trimestris motus utrimque æquales arguuntur, cæteri quoque (modo ephemerides vitio careant) similes omnino utrimque æquales esse debebunt. Exemplum. Ante mensem, id est 31 dies, & totidem post 17 Iunii anni 1554 Sol proximè utrimque ab apogæo pari intervallo aberat, videlicet hinc 29 gr. 37 ①, illinc vero 29 grad. 39 ①. sic item secundo mense id est 61 dierum intervallo, hinc 58 gr. 31 ①, illinc verò 58 grad. 33 ① aberat. Ista igitur quæ hic subest 2 ① discrepantia manifestò ex ephemeridum vitio exoritur. sed si alium terminum assumas differentia nimis quam insignis existere posset: verbi gratia, ad 14 Septembris anni 1554. Solis locus fuit 180 gr. 36 ①, ut mensem ante tertium vero motu 3 gr. 5 ① minus confecerit, quam post menses totidem. nam 14 Iunii qui tribus mensibus hoc est 92 diebus antecedunt, tenuit 91 grad. 51 ①. sed 92 diebus post 14 Septembris, videlicet 15 Decembris obtinuit 273 gr. 2 ①. prior igitur motus verus, qui valet 89 gr. 21 ①, posteriore, qui est 92 grad. 26 ①, minor est 3 grad. 5 ①.

NOTA.

Dixeram me rationem ejus daturum, quod statuerim temporis intervallum, quo Sol quadrante ab apogæo abest certius id arguere, quam si vel propius vel remotius spatium assumatur. Etenim ut id nunc agam, exemplum tale ob oculos ponam. Martii 12 anno 1555 Sol o grad. 45 ① tenebat, at tertium ante mensem videlicet dies 90 (quamvis si exactus anni quadrans assumeretur certius id ostenderet, hoc ipso tamen exemplo clare satis me explicabo) 3 grad. 7 ① motu apparenti plus profecerat, quam totidem menses post. magnam hanc differentiam, plus certitudinis inducere quam minorem aliquam, quæ 180 gr. 36 ① ab apparenti apogæo distet, ex suprascripta temporis sumptione animadvertitur, quo Sol quadrantem circuli peragrat, nam si (verbi gratia) 2 duntaxat dies ante & post 14 Septembris sumpsissemus, motum horum arcuum æqualem omnino haberemus. quorum singuli haberent 1 gr. 58 ①, neque inde utrum prope apogæum simus nec ne constare posset. Iam arcus qui plus quadrante ab apogæo discedunt ideo nocent, quod prope nimis ad perigæum accedant. ibique eandem ob causam, quà prope apogæum importuni sunt.

Et hoc insuper notandum venit. quod quamvis id tempus assumendū dixerimus cum Sol quadrante aberit à perigæo, non ideo id astringamus unius anni quadranti, sed ad quodvis tempus extendamus, quo Sol eodem loci restituitur, etiamsi is sit unus pluresve integri anni, dummodo quadrantis appendicula ei adhæreat. & sic ab altera parte tres quadrantes cum anno annisve Solem eo deducentibus. quibus temporibus Sol perpetuo à perigæo quadrantem abest, nisi quod interim apogæum pauxillum quid promoveatur, verum is motus in pauculis annis haudquaquam ullius momenti est.

Præterea, quæ hic de motu Solis notata sunt, etiam reliquis planetis compe-

tere

tere noris; nam in illorũ perigæi Investigatione rutissime operabere, assumpto tempore quo planeta quadrantem ab apogæo suo aberit. Atque ita ex ephemeridibus observationum apparentem seu verum apogæi & perigæi deferentis solaris in Zodiaco longitudinem eruimus.

5. PROPOSITIO.

Quomodo ex observationum ephemeridibus motus apogæi eccentrici Solis investigetur.

Inveneris per 4 propositionis præcepta longitudinem apogæi anno 1554 in 94 gr. 24 ①. similiter eandem investigaris aliquo annorum sequentium, ut puta 1594 in 97 gr. 53 ① ad diem Iunii 20. nam tribus ante hunc diem mensibus obtinebat 9 gr. atque tertium post mensem erat in 186 gr. 46 ①. quorũ distantia utrimque ab apogæo par est 88 grad. 55 ①, ut ab anno 1554 ad 1594, quorum intervallum est annorum 40, secundum hasce ephemerides motus quæsitus sit 3 gr. 29 ① tantum enim interest inter 94 gr. 24 ① & 97 gr. 53 ①. Vnde in procinctu est ad datum quodvis tempus apogæi motum eruere. Nam si annuus ejusdem motus postuletur sic agam. 40 anni promovent apogæum 3 gr. 29 ①: itaque singuli anni quid dabunt? concludes 5 ① 13 ②.

Non negligendum arbitror *Stadio* in harum ephemeridum epilogismo errorem obrepsisse. veruntamen exempli loco esse potest, ut modus & via saltem pateſcat, quâ in aliis, & quidem minus dubiis observationibus insistendum sit: atque ut propius scopum collimemus, non ineptum fuerit observationes jam olim ante multa secula institutas adhibere: sic si eam sumamus, quam *Ptolomæus* 4 cap. 3 libri annotavit, quæ instituta fuit anno 463 ab obitu *Alexandri Magni*, quo tempore Solis apogæum in 65 gr. 30 ① eclipticæ à se notatum ait (& quamvis ejus vestigia secutus tantundem invenerim, tamen dicis gratia ejus autoritas usurpetur) secunda observatio esto in 97 grad. 53. ① 20 Iunii anno 1594. qui absunt à morte *Alexandri* 1918 annis. Itaque apogæum annis 1455 promotum est 32 gr. 23 ①: nam tanto numero minor est 65 grad. 30 ① quam 97 gr. 53 ①. si hinc motum dati temporis eruere expetas, secundũ proportionem ita concludes. 1455 anni dant 32 grad. 23 ①. itaque 1 quid dabit? concludes 1 ① 20 ②. atq; hunc novissimũ 1 ① 20 ①. (pro priore 5 ① 20 ② quem inveneram supra secundũ Stadium) numerum, in exemplis consequentibus tanquam saniorem minusque vitiosum, si quando hujus motus mentio erit, usurpabo. Atque ita ex ephemeridibus observationum Solis apogæum erutum esto.

6. PROPOSITIO.

Quomodo ex observationum ephemeridibus Solis in deferente suo motus inveniatur.

Apogæum deferentis singulis annis 1 ① 20 ② in antecedentia commoveri è 5 propositione perspicitur, qui de medio motu Solis annuo 359 gr. 45 deductus, relinquit optatum Solis in deferente motum annuum Ægyptiacum 359 gr. 43 ① 40 ②. Atque ita consimiliter cujusvis temporis motus investigandus est.

DEMONSTRATIO. Cum enim Sol in ecliptica apparenter integram converſionem peragat, atque interea temporis ipſe deferens 1 ① 20 ② promoverit, neceſſe eſt Solem in deferente ſuo tanto minus progreſſum.

Hic igitur modus eſt, quo Solis in deferente motus ex obſervationũ ephemeridibus eruuntur.

7 PROPOSITIO.

Quomodo ex obſervationum ephemeridibus declinatio deferentis ab æquatore inveniatur.

Solis in ſingulos dies declinationem apparentem, in his ephemeridibus è regione ſuę longitudinis expreſsè annotatam non habemus, quę tamen certa via è peculiari tabella erui ſolet. Attamen ſi ea diſertè ſuis locis annotata foret, quemadmodum in iis ephemeridibus, quę ab ipſis obſervationibus derivatę ſunt (quod jam quoque doctrinę ergò animo effingere licet) factitatum eſt, maximam latitudinem quotannis bis inveniremus: alteram circa 12 Iunii Septentrionalem, auſtrinam alteram propter 12^{m} Decembris: eamq; in his ipſis ephemeridibus, ſecundum placita *Copernici* 23 gr. 28 ①. Præterea ſi accuratius adhuc conſideres, animadvertes id fieri Sole 90 gr. apparenter à verna ſectione diſſito. Vnde concludere eſt eclipticæ declinationem eſſe 23 gr. 28 ①, nam tantus latitudinis arcus 90 gradib. à nodo diſtans, ejus anguli amplitudinem metitur: quod è ſphæricis triangulis perſpicere eſt. Itaque ex obſervationum ephemeridibus eclipticę ab æquinoctiali declinationẽ quoque eruimus.

8 PROPOSITIO.

Quomodo ex obſervationum ephemeridibus, ephemerides calculo ſubductæ in futura tempora deriventur.

Si in *Stadii* ephemeridibus (quas, ut ſupra preſſius dixi, tanquam obſervationibus annotatas fingimus) apparentes reſtitutiones locorum Solis indages, ut de locis ejus in tempus futurum, ex præterito judicium fiat, animadvertes quarto quoque anno Solem iiſdem diebus, eandem in ecliptica longitudinem proximè obtinere. Dicis gratia Kalendis Ianuariis anno 1554 Sol habuit 290 gr. 36 ①. hinc annum poſt quartum, qui erat 1558 ſimiliter Kal. Jan. obtinuit 290 gr. 37 ①. atque ita cæteris pari intervallo inter ſeſe diſtantibus annis 1562, 1566, 1570, 1574, 1578, ſemper ipſis Kalendis Ianuariis 290 gr. 37 ①, 290 gr. 36 ① 290 gr. 37 ①, 290 gr. 37 ①, 290 gr. 38 ①, obtinuiſſe videbis. nec ſecus, in cæteris annis ſimiliter collatis, animadvertes.

His initiis, etiamſi obſervari hic eſſet deſitum ad Kal. Ianuar. 1578, etiam in futura tempora ephemerides continuari poterunt eadem ordinatione, & diſpoſitionis filo quadriennio ſequenti digeſto, quo erant quadriennium antecedens. hoc modo. Sol anno 1570 2do Ianuarii obtinuit 291 gr. 38 ①; 3 Ianuarii 292 gr. 40 ①; ideoque anno 1574, die 2 & 3 Ianuarii eadem loca obtinebit, ac ſimili in cæteris ordine. qui deinceps continuatus ephemerides in conſequentia tempora ſubductas exhibebit.

1 NOTA.

Si anni vero magnitudo diebus 365 hor. 6, quibus *Iulius Cæſar* eũ definivit, ad amuſſim

amussim responderet, annis quadriennii intermediis nihil subesset varietatis: sed cum ex istis ephemeridibus docuerim annum esse 365 dierum 5 horarum 45 ① 55 ②. ideo singulis annis desiderantur 14 ① 5 ② unius horæ, quibus Sol 35 ② proximè peragrat: quæ quartò quoque anno addunt 2 ① 20 ②, tantumque singulis quadrienniis, secundum hunc epilogismum, ad singulos antecedentis quadriennii dies addi deberet. Sed si anni quantitas ex *Ptolomæi* sentẽtia usurpetur 365 dierum 14 ① 48 ②; ubi ad explendam summam 365 ¼ sola desunt 12 ② unius diei, quo tantulo intervallo Sol proximè 12 ② promovet, hoc est singulis quadrienniis 48 ②; tantum quoque secundum *Ptolomaicos* abacos singulis quadriennii posterioris diebus accederet.

2 NOTA.

Præterea observandum tibi hic venit, causam quoque à nobis redditam cur tempora commutentur: sic nempe, ut Kalendæ Martiæ, quibus jam ver propè auspicamur, temporis decursu etiam in mediam æstatem prolabi aliquando possint, & illinc in autumnum ipsum præcipitari, atque ita deinceps porrò promoveri, nisi huic negotio quandoque dierum exemptione subveniatur: ut anno 1582 factum fuit, quo 10 dies exempti sunt. Nam secundum *Ptolomæi* abacos 300 annis unus dies accrescit, aliis etiam amplius.

3 NOTA.

Si quis diligentius *Stadii* ephemerides excutiat erroris eas non esse immunes intelliget. dicis igitur gratia Solis loca quarto quoque anno ad Kalendas Ianuarias exponantur

1554.	290 gr.	36 ①.
1558.	290 gr.	37 ①.
1562.	290 gr.	37 ①.
1566.	290 gr.	36 ①.
1570.	290 gr.	37 ①.
1574.	290 gr.	37 ①.
1578.	290 gr.	38 ①.
1582.	290 gr.	39 ①.
1586.	290 gr.	39 ①.
1590.	290 gr.	40 ①.
1594.	290 gr.	40 ①.
1598.	291 gr.	31 ①.
1602.	291 gr.	32 ①.
1606.	291 gr.	7 ①.

Vbi mediocre incrementum continuum (quod tamen justo adhuc minus est) usque ad annum 1594 cernere licet. verum istinc ad proximi quadriennii annum 1598 nimius est saltus penè 51 ①, itemq; ab anno 1602 ad 1606 est 25 ①. Verum error hic nõ est à Theorematis expositi vitio; sed vel calculi, vel typographi lapsu commissus. Atque ita ex locis Solis ad singulos dies observatis, ephemerides calculo subducti concenturiandi essent.

Hactenus igitur *ἀναγωγὴν* motus solaris ex observationum ephemeridibus derivatam exposui. cui tanquam fundamento mathematicis rationibus plura inædificare facile esset, quod facere tam diu supersedebo donec simile initium in reliquis planetis ostendero: tumque mathematicos super his generales conceptus secundo libro latius diffundam, secundum rationes in Motuum Cœlestium breviario propositas.

C 2 DISTIN-

DISTINCTIO SECVNDA PRIMI LIBRI, DE MOTV LVNÆ EX OBSERVATIONVM Ephemeridibus investigando.

1 DEFINITIO.

Cum duo luminaria in conjunctione secundum visum sibi officiunt, id cui officitur deficiens dicitur.

Definitio ista non Lunæ planetisvè tantum alligatur, verum ad cæteras stellas cœlo affixas sese quoque diffundit. Lunæ autem peculiaris est ea quæ sequitur.

2 DEFINITIO.

Cum terra Lunæ soli ad diametrum oppositæ ita officit, ut tota ab Sole non illustretur, ea deficere dicitur.

3 DEFINITIO.

Nodi sunt eclipticæ & eccentrici Lunaris communes sectiones.

Cum plana in quibus planetæ, præter Solem conversiones suas peragunt, ab eclipticæ plano declinent, atque ideo eclipticæ ambitum duobus locis intersecabunt, hæ sectiones in Lunæ orbe nodi ecliptici appellantur. Notato autem quod vel in ipsis, vel propter eos Solis Lunæque defectus contingant.

4 DEFINITIO.

Nodus is unde Luna in Boream ab eliptica scandit adscendens, oppositus descendens vocatur.

Ptolemæo σύνδεσμος ἀναβιβάζων, σύνδεσμος καταβιβάζων. vulgò caput, & cauda draconis.

5 DEFINITIO.

Lunatio est temporis intervallum inter duos continuos Solis Lunæque coïtus: Lunatio verò media, inter medias conjunctiones interceptum.

PROPO-

PROPOSITIONES.

9 PROPOSITIO.

Quomodo ex obſervationum ephemeridibus proprietates motus Lunaris de integro animadverti, & notari poſſint.

Si Lunaris motus proprietates in obſervationum ephemeridibus inveſtiges, quintuplex, & ea quidem inſignis, differentia ſeſe notandam exhibet.

Prima Lunæ motus in ſuo orbe.

Secunda Apogæi motus.

Tertia medii motus Lunæ ſecundum apparentem eclipticæ longitudinem.

Quarta Lunationis, cum motu diſtantiæ.

Quinta latitudinis Lunæ, nodorumque motus, & latitudinis Lunaris deferentis ab ecliptica.

Quas ſingulas deinceps perſequar.

1 *Membrum de Luna motu in orbe ſuo.*

Stadii ephemerides, quas ita uſurpamus (ob cauſas 1 propoſitione expoſitas) tanquam è cœlo eſſent derivatæ, non autem per abacos logiſticos inveſtigatæ; ephemerides, inquam, iſtas luſtranti ſeſe offerat, dicis gratia, Ianuarius menſis anni 1569; ubi in ſelide Lunari, animadvertatut motus Lunę die 7 maximè cōcitatus, quod in margine voce περιγέια (contrariū planè ſignificāte voce ἀπογέια) annotatū vides: nam à 6 ad 7 diem pervolitat 14 gr. 33 ☉; dehinc autem porro indies lenteſcit eundo, uſque ad diem 22. ut à 21 ad 22 duntaxat peragret 11 gr. 47 ☉: deinde verò denuò curſum per 14 proximos dies incitat, poſteaq; viciſſim per dies totidem celeritatem ſuam inhibet. idq; ita deinceps alternis vicibus ordine continuò, quæ res indicio eſt Lunam in excentrico decurrere in quo 27mo aut 28mo quoq; die gyrū ſuum perluſtret. Verū ut tempus id certius præfiniatur, motum hunc accuratius paulò excutienti, citatiſſimus Lunæ motus diverſis Lunationibus diverſus, atque adeo inæqualis deprehendetur. Exemplo fiet illuſtrius. Citatiſſimus motus à 1 Aprilis ad 2 anno 1569, 15 gr. eſt. at à 19 ad 20 Iulii 14 grad. 38 ☉. Conſideratis autem & inter ſeſe collatis circumſtantiis, illam in Solis oppoſitione, hanc circa quadraturam contigiſſe patebit. jam verò cum aliis porrò & oppoſitionibus, & quadraturis has expoſitas conferenti, erit in promptu animadvertere qualiſnam ſit inæqualitatis hujus analogia. Cæterum ut id clarius pateſcat, quatuor oppoſitiones ſeligam, quæ meridiei vicinæ ſint atque propinquæ, quo calculus in integris tantum diebus expeditior ſit.

Velociſſimus motus primus in oppoſitione nobis ſit is, qui contingit anno 1569, quique perpauxillū à meridie abſit, videlicet 1 Aprilis o hor. 3 ☉.

Secundus anno 1572 Auguſti 23 o hor. 22 ☉.

Tertius anno 1581 Auguſti 14 o hor. 30 ☉.

Ex omnibus his communem affectionem iſtam agnoſco, quod motus citati il-

lic magis incitentur, quam in quadraturis proxime ipsos sequentibus. Vnde concludo motus citatos, si in oppositionem incidant, velocissimos esse: contraque in quadraturis minus veloces.

Quæ cum ita sint; ut jam, quemadmodum instituteram, Lunaris motus in suo curriculo restitutionem assequar; assumam omnes suprascriptas conversiones, quæ in oppositionem contigere, ut eò accuratius unam lunationem mediam concludam.

A prima oppositione ad secundam intersunt dies 1240, quo spatio Sol quinquies & quadragies motu velox, seu perigæum adiisse deprehenditur. Vnde proportio, ut 45 conversiones ad 1240. ita 1 conversio ad quem? concludes dies 27 33 ① 20 ②.

A secunda oppositione ad tertiam sunt dies 3278, quo intervallo Luna 119^ies motu velox invenitur: itaque proportio existet hujusmodi. 119 conversiones peraguntur 3278 diebus: itaque 1 conversio peragitur 27 diebus 32 ① 47 ②. quæ proximè priori consentiunt.

Vt hinc satis manifesta sit perfectio istiusmodi conversionum circa oppositiones. cæterum de reliquis anomaliis intermediis, quæ secundæ appellantur, tertio libro pertractabitur.

Verum cum tanto certius concludatur, quo major restitutionum numerus fuerit. sumam intervallum primæ tertiæque oppositionis, quod est dierum 4518, quo Luna 164^ies perigæum adierit: atque ita concludo. 164 conversionum gyri 4518 diebus peragrantur, itaque una conversio absolvitur 27 diebus 32 ① 56 ②.

Et si quis hæc longiori temporis intervallo eodem modo ita quærere instituat, is longe certius ad scopum collimabit. Iam si hinc singulorum dierũ motum investigare cupias simili proportione ita concludere poteris. 4518 diebus 164 conversiones, id est, 49040 gr. peragrantur: ergo uno die permeantur 13 gr. 4 ①. quæ ab epilogismo *Ptolomai* 13 gr. 3 ① 53. 56. parum absunt. atque hinc quemadmodum in Solis motu usurpavimus, canones mediorum Lunæ motuum concenturiari & digeri poterunt, qui ad rudia artis lineamenta constituendum satis sint. cujus generis 11 propositione exhibentur.

2 *Membrum de motu apogæi deferentis.*

Cum itaque jam pateat quomodo medius Lunæ motus in suo deferente seu eccentrico investigandus sit, easdem ephemerides diligentius cõtemplanti, alia & ab his diversa sese quoque suggerent. Et primò quidem apogæum deferentis insigni aliquo motu affici. Nam (ut hoc dicis gratia usurpem) anno 1572 motum velocissimum in 23 Augusti incurrere animadvertes, Luna, atque ideo etiam ipso perigæo 333 gr. 35 ① obtinente. Sed si post annũ proxime exactum eundem motum velocem anquiras, eum in 15 August. anni 1573 incidere videbis, sub 3 gr. 15 ①, quo tantulo temporis intervallo perigæum 23 gr. 40 ① in antecedentia commotum esset. Et rursum altero anno exacto, qui est 1574, 9 Augusti die obtinet 53 gr. 30 ①. ut hoc anno 50 grad. 15 ① promoverit. atque si ita deinceps continuando observes, deprehendes perigæum in antecedentia commoveri. Vt 15 August. anno 1581 subierit 345 grad. 35 ①, noveniique intervallo unam conversionem, & paululum amplius peregerit. atque ita continuis deinceps aliis novenis quibusque annis similiter unam colliges conversionis restitutionem. Iam ut diurnum indages mo-

ges motum, complures periodos assumas, istæ enim (ob causas, quas supra 2 propositione retulimus) certius verum explicant, quam pauciores. age igitur omnes, quotquot in ephemeridibus periodi exhibentur assumamus: ii sunt quinque. nam anno 1554,5 die Ianuarii motus velocissimus in 316 gr. incidebat: rursumque anno 1598,23 die Novembris in eundem eclipticæ proxime locum, namque sub 315 gr. 5 ① deprehenditur. isto 45 annorum, demptis 43 diebus, intervallo, qui 16393 dierum numerum æquant, perigæum quinque periodos proximè confecisse cognosces, quorum summa est 1800 gr. Vnde proportio. 16393 diebus percurrit apogæum 1800 gr. itaque 1 die conficiet 6 ① 35 ②. quæ proxime cum abaco *Ptolemaico* 6 ① 41 ② consentiunt, is enim numerus reliquus est si Lunaris epicycli motum 13 gr. 3.53.56. à longitudinis motu 13 grad. 10.34.59. subducas, id enim *Ptolemaica* epicycli hypothesis exposcit. hanc rationem si aliis similiter locis instituas proxime eadem redibunt scrupula. Vt exemplo clarius fit. anno 1560, 18 die Ianuarii motus velocissimus est in 197 gr. 49 ①, atq; anno 1604, 5 Decembris eodem proximè rediit, videlicet ad gradum 191 53 ①. quo tempore similiter 16393 dies exacti sunt, & perigæum proximè 5 integras cōplevit revolutiones unde diurnus motus similiter proximè invenitur, ut prius, 6 ① 34 ②. Atq; hinc, quemadmodum in sole factitatum est, Canones motus apogæi deferentis institui & ordinari poterunt.

NOTA.

Quia valde insolens, & alienum videtur perigæi motum & æquabilem esse, & tamen ex ipsis ephemeridibus hoc anno majorem alio minorem deprehendit: imò vero si ipsas periodos inter se compares, perigæum ipsum nonnunquam retrocedere videri. Vt dicis gratia primus motus citatus, seu velox anno 1572 incidit in 18 Octobris sub 357 gr. 32 ①. at proximus ei motus velox incidit in 14 Novembris sub 353 gr. 9 ①, ut 27 diebus perigæum 3 gr. 23 ① repedasse videatur. Cum tamen verè 3 gr. in antecedentia commotum sit. causa tantæ diversitatis hinc est, quod tempus ingressus Lunæ in apogæum accuratè annotatum non sit, sed à nobis assumptum tanquam ipso meridie evenisset, quod tamen secus est, & multarū horarum, imò integræ diei intervallo abesse possit. atque ita pene 12 aut 13 graduum error in perigæi assumptione committeretur. Imò non rarò usu venit, ut in hoc negotio integer dies ambiguus vacillet, cum motus antecedentis & consequentis diei par invenietur. atque ita si in hac periodo dies redundet, in sequenti autem deficiat, bidui, id est pene 26 gr. error, in novissimam periodum inducitur.

Sed tamen ut hallucinationem istam, de horæ in perigæum ingressu declinemus, atque nonnihil certius collimemus, istam viam insistere poterimus, Lunæ motus 7 dierum (quo maximam Lunæ prostaphæresin assequimur) & ante, & post meridiem istum, quem ὡς ἐν πλάτει primò assumpsimus, inter se conferatur, qui si æqualis & peripheriarum æqualium sit, tum iste meridies verum perigæi momētum designat. at si inter se inæquales erunt, vel horarum additione, vel subductione investigabimus in quod temporis momentum illa motus peripheriarumvé æqualitas incidat. cui ratione simile exemplū in Solis motu 4 propos. usurpavimus. dicis gratia 7 diebus ante & post citatum seu velocem Lunæ motum 17 Ianuarii anno 1560 peripherias istas differentes invenies priorem quidem 98 gr. 44 ①, alteram 96 gr. 40 ①. Ideoque iterato opere ad 17 Ianuarii demptis aliquot horis æquales arcus invenies quam proximè ad 16 Ianuarii 12 hor. Luna tum perigæum tenente sub 174 gr. 55 ①.

3 *Membrum de apparenti Lunæ motu medio secundum longitudinem ecliptica.*

Diligentius adhuc ephemerides intuenti, præter suprascriptos motus (quorum alter fuit Lunæ in deferente suo, alter autem perigæi ejus) tertia varietas sese offert in apparenti longitudinis secundum eclipticam motu, quæ ita se nobis notandam & inveniendam exhibet. Assumpto anno quocunque, ut puta 1569, Luna ad 7 Ianuarii sub 173 gr. 15 ① deprehenditur, at 14^to Ianuarii sub 271 gr. 51 ①, ut his septem diebus secundū eclipticam apparenter 98 gr. 36 ① in longitudinem cōmota sit. porro autem 21 die obtinuit 358 gr. 28 ①, ut hoc 7 dierum intervallo 86 gr. 37 ① processerit, & 11 grad. 59 ① amplius quàm priore intervallo promota sit. jam tantæ inæqualitatis causam investiganti manifestum est eam necessariò partim ab ipsa Lunæ eccentricitate, partim etiam à secunda anomalia derivari. Adeò ut medio motui rite accurateq; investigando, atque gemino isto impedimēto evitando, opus sit locis duobus quibus Luna Soli vel opposita, vel conjuncta sit sub eodem eclipticæ gradu: atque ita tamen, ut Luna utrobique eundem sui deferentis locum possideat. tum enim & Solares periodi, quę temporis mensura sunt, & Lunares, & apogæi omnes integræ & absolutæ habentur. neque quidquam impedimenti ab eccentricitate inducitur: secunda etiam anomalia, quæ secundum exposita in oppositionibus aut conjunctionibus nulla est, planè quasi evanescit.

Eò fine ephemerides lustravi, atque omnes motus citatos seu perigæi, qui in oppositiones incidunt annotavi, quemadmodum hic vides.

Anni.		*Sedes perigæi.*
1560	10 Aprilis.	209 gr. 30 ①.
1569	1 Aprilis.	201 gr. 0 ①.
1570	17 Iulii.	303 gr. 46 ①.
1572	23 Augusti.	339 gr. 35 ①.
1575	17 Decembris.	94 gr. 37 ①.
1578	23 Martii.	192 gr. 2 ①.
1580	26 Iulii.	312 gr. 58 ①.
1581	14 Augusti.	330 gr. 35 ①.
1588	28 Iunii.	286 gr. 20 ①.
1689	17 Iulii.	304 gr. 3 ①.
1590	5 Augusti.	321 gr. 42 ①.
1597	19 Iunii.	277 gr. 29 ①.
1598	8 Iulii.	295 gr. 7 ①.
1603	3 Maii.	218 gr. 31 ①.
1606	10 Iunii.	268 gr. 35 ①.

Hic varia perigæorum loca congessi, quæ novem proximè gradibus in eundem eclipticę gradum incurrunt: namque novem annis demptis 9 diebus inter se distant. atque isto temporis intervallo Luna 120 apparentes secundum eclipticam conversiones demptis 9 grad. proximè peregit: id est 119 periodos & 351 gr. loca autem ita se habent, ut sequitur.

Primo à 10 Aprilis anni 1560, usque ad 1 Aprilis 1569 anni intersunt 9 minus 9 diebus, quo tempore transactæ sunt periodi 119 351 gr. 30 ①.

Secundo inter 1 Aprilis anni 1569, & 23 Martii anni 1578 intercidunt anni 9 minus

minus 9 diebus. & converſiones Lunæ eo tempore inveniuntur 119 351 grad. 2 ①.

Tertio à 23 Auguſti 1572 ad 14 Auguſti 1581 ſunt anni 9 minus 9 diebus. & periodi Lunares 119 351 grad.

Quarto à 26 Iulii 1580, ad 17 Iulii 1589 ſunt anni 9 minus 9 diebus, & periodi Lunæ 119 351 gr. 5 ①.

Quinto à 14 Auguſti 1581 ad 5 Auguſti 1590 intercidunt 9 anni minus 9 diebus, & Lunares periodi 119 351 gr. 7 ①.

Sexto à 28 Iunii 1588 ad 19 Iunii 1597 ſunt 9 anni minus 9 diebus, & periodi Lunares 119 351 gr. 9 ①.

Septimo à 17 Iulii ad 8 Iulii 1598 ſunt anni 9 minus 9 diebus, & Lunares periodi 119 351 gr. 4 ①.

Octavo à 19 Iunii 1597 ad 10 Iunii 1606 ſunt 9 anni minus 9 diebus, & periodi Lunares 119 351 grad. 6 ①.

Vt hinc jam propoſitum nobis medium Lunæ motum in longitudinem ſecundum eclipticam inveſtigem, proportione hac utar. 3278 diebus (in eum enim cumulum aſſurgunt 9 anni minus 9 diebus) Luna 119 periodos & 351 gradus peragrat: itaque uno die permeabit 13 gr. 9 ①, quę proxime abſunt à 13 gr. 10 ① 35 ② epilogiſmi *Ptolemaici*.

Veruntamen ſi ephemerides longius eſſent continuatæ, ut etiam longe ultra 3278 dies iſta motus congruentia excurreret, certum eſt nos certius, propiusq; ad veritatem collimaturos, quod 2 propoſitione ſupra oſtendimus.

Notatu porrò dignum arbitror eundem hunc motum inveniri addito motu Lunæ in deferente ad motum apogæi, ex iſtorum additione enim Lunæ apparens in longitudinem eclipticæ motus neceſſariò conflatur. Dicis gratia, motus Lunæ in ſuo deferente diurnus eſt per 1 membrum 13 gr. 4 ①. huc additus apogæi motus diurnus, qui per 2 membrum 6 ① 35 ② eſt, exiſtent 13 gr. 10 ① 35 ②. quæ perpauxillum à priori 13 gr. 9 ① abſunt.

Iam verò cum Lunæ medius motus diurnus apparenter in longitudinem ſit 13 grad. 10 ①, facile eſt iſtinc canonion exſtruere (ut in Sole prius à nobis uſurpatum eſt) quale 11 propoſitione exhibituri ſumus. Clarum quoq; eſt, qua via ex ephemeridibus obſervatione annotatis iſte medius motus inveſtigetur.

4 *Membrum de Lunationibus & motu exſuperantiæ.*

Lunæ oppoſitiones duæ continuæ neutiquam in eundem eclipticæ gradum incidere poſſunt: ſed poſterior priore tantũ in conſequentia vergit, quantum Sol interea promoverit, adjecta inſuper tanta proſthapheresi quantam Lunæ eccentricitas arguet. quæ Lunationum inæqualitatem quoque inducet, ſic Lunatio ab oppoſitione anni 1554 Ianuarii 18 hor. 6 47 ① ad proximè ſequentem oppoſitionem 1 Februarii 1 hora 6 ①, hor. 2 & 20 ① productior eſt, quam proxime ſequens ab hac oppoſitione jam dicta ad proximè ſequentem 18 Martii 17 hor. 5 ①. Vnde patet converſiones alias quaſlibet nulli iſtarum trium reſpondere. adeò ut ſi jam quæratur longitudo Lunationis mediæ, opus ſit haberi duas oppoſitiones quæ Solis Lunæque perfectas periodos complectantur, tum enim ab eccentricitate nihil impedimẽti infertur. Itaq; in ſupra ſcripta velocis motus tabella duos inquiro, qui ſub eundem eclipticæ gradum cadant. atque hujuſmodi unam invenio proxime incidere in annum 1570 Iulii 17. Luna ſub 303 gr. 46 ① conſtituta, alteram in annum 1589 17 Iulii, ſub

304 gr.

304 gr. 30 ①. inter hos 19 anni medii intercidunt, quo tempore 235 oppositiones contigere. itaque concludo 235 oppositiones seu Lunationes peraguntur 19 annis, id est diebus 6940. ergo una Lunatio durat 29 dies 32 ①.

Sed ad Lunæ motum diurnum eruendum ita ages. 6940 dies dant 235 periodos, id est 84600 gr. ergo 1 dies dabit 12 gr. 11 ① 25 ②. quod parum abest à *Copernici Ptolemaiq;* abacis 12 gr. 11 ① 27 ②.

Nota motum hunc quoque inveniri Solis medio motu de medio Lunæ motu subducto. sic Solis diurnus medius motus est per 3 propos. 59 ① qui de medio Lunæ motu apparenti in longitudinem secundum eclipticam (qui est per 3 membrum 13 gr. 10 ①) deductus, relinquet Lunæ exuperantiam 12 gr. 11 ①, quæ perparum à priore inventione 12 gr. 12 ① absunt.

Itaque cum Lunæ exuperantia sit 12 gr. 11 ①, in procinctu est hinc canones fabricari, quemadmodū supra in Sole usurpavimus: atque insuper quomodo ex ephemeridibus observationū in notitiam hujus motus penetremus.

5 *Membrum de Lunæ motu in latitudinem, deque nodorum motu, & Lunæ ab ecliptica declinatione.*

Porrò autem in considerationem etiam venit Lunæ motus in latitudinem, nam sæpius maximam latitudinem suam adit quam perigæum, neque semper sub eadem longitudine eclipticæ. Attamen ex his ephemeridibus varietatem istam minus commode eruere possumus, quam ii qui erudito seculo ex observationum ephemeridibus eam investigarunt: nam cum tot maximas Lunæ latitudines numerarent, quot longa annorum serie observatę essent, videntur eæ peculiarem habuisse sedem è regione apparentis longitudinis Lunæ in ecliptica. quemadmodum etiam nunc in reliquis quinque planetis usurpant, in Luna autem desiderantur: sed ex theoremate quodam generaliter latitudo ejus per calculū investigatur, quæ si istic annotata haberetur (quod doctrinæ causa cogitatione nobis effingere licet) certe motus iste primo intuitu sese explicaret. atque ideo quoque nodorum motus, qui hunc cōsequitur: nam cum Luna in ipsa ecliptica, ipsisve adeò nodis inventa esset, facile esset videre id in diversis eclipticæ gradibus evenire, idque εἰς τὰ ἡγούμενα sive contra ordinem signorum. unde certiores essemus nodos εἰς τὰ ἡγούμενα seu in antecedentia moveri: attamen cum istis ephemerides nostræ careant, exemplo tantū aliquo huic negotio facem allucebo. fingo igitur 1089 diebus Lunam 40^ies^ borealem maximam latitudinem adiisse, eodemque intervallo temporis nodos retrolisse 57 gr. 38 ①.

Hinc igitur latitudinis motum diurnum sic eruam. 1089 dies Luna 40^ies^ latitudinis periodum seu 14400 gr. absolvit; itaque 1 die absolvet 13 gr. 13 ① 23 ②. quod perparum à *Copernici Ptolemaiq;* abacis 13 gr. 13 ① 46 ② dissidet.

Similiter ut nodorum motum inveniam, ajo. 1089 diebus permeat nodus alteruter 57 gr. 38 ①. Itaque 1 die permeabit 3 ① 10 ②. quod pauxillum à *Ptolemæi* sententia 3 ① 11 ②, abest. sed eundem hunc motum invenies deducto Lunæ in longitudinem eclipticæ motu, à motu latitudinis: nam si à suprascripto latitudinis motu diurno 13 gr. 13 ① 46 ②, subducas diurnum Lunæ motum longitudinis in ecliptica numeratæ, qui per 3 memb. est 13 gr. 10 ① 35 ②, idem reliquum erit, quod prius, 3 ① 11 ②.

Cum igitur latitudinis diurnus motus sit 13 gr. 13 ① 46 ②, nodorum etiam motus diurnus 3 ① 10 ②, facile canones concenturiari poterunt, quemadmodum

modum in Sole usurpavimus. & jam manifestum est quomodo ex observationum ephemeridibus hujus motus ratio inveniatur.

Cæterum quantum ad deferentis Lunaris ab ecliptica declinationem attinet, si istæ latitudines in ephemeridibus suis locis annotatę essent, manifestum certè arbitror istic tum singulis Lunationibus maximam latitudinem obviam fore, eamque semper 5 graduum: quam demum adit Luna cum à nodis, (non secus ac Sol à verna sectione) 90 gradibus disjuncta fuerit. Et suprascripti 5 gr. pari de causa Lunæ maximam declinationem, quemadmodũ 23 gr. 28 ① maximam declinationem Solis ab æquinoctiali designant. Hactenus igitur explicavimus viam modumque, quo ex observationum ephemeridibus Lunaris motus affectiones ab ipsis incunabulis eruendæ, & indagandæ sint.

10 PROPOSITIO.

Quomodo ex observationum ephemeridibus tempus restitutionis Lunæ eruatur.

Qui 23 definitione restitutionis notionem viderit, arbitrabitur fortean tempus restitutionis Lunę 8 propositione satis expressam. Cum tamen ista solum ei fini instituta sit (quod & ipsius propositionis verba indicant) ut docerem quomodo Lunaris motus affectiones indagatæ sint primulum: hic verò, cum deinceps certiorem viam indagandæ restitutionis nacti simus, ad ipsam propriamque ejus descriptionem accedamus. Nam cum suprascripta motuum varietas ab hominibus rudi tantum Minerva animadversa esset, idque non minimam partem ex Solis Lunæque oppositionibus: cumque ephemerides observationum suarum in dies novis accessionibus locupletarent, inque longam annorum seriem producerent observando, ut hinc investigarent quod è paucioribus eruere non possent, tandem animadverterunt hęc concinnius certiusq; perfici adhibitis oppositionibus ἐκλειπτικαῖς (quæ ab erroribus magis immunes sunt quam conjunctiones ἐκλειπτικαὶ) ubi locus Soli ad diametrum oppositus Lunæ locum indicat: neque tum Lunę parallaxis quidquam huic negotio derogat, quanta quanta ea sit; siquidem hæc ratio loco Lunæ viso nõ utitur, atque ipsæ conversiones tum quasi perfectissimæ sint. Verumenimverò quia nostræ ephemerides ob exiguam annorum seriem nihil tale nobis suggerant, iis potius utar, quæ *Hipparchus* (testante *Ptolomæo*) huc tanquam in consilium adhibuit. oppositiones nempe duas (eodem fine quo in 8 propositionis 3 membro usurpatæ sunt) sed ἐκλειπτικὰς, quibus Luna semper eundem locum visum & in ecliptica, & in suo deferente proximè obtinebat. Has, inquam, eclipses annotavit contigisse post intervallum 126007 dierum 1 hor.

Quo tempore Luna quoque in suo deferente periodos perfectas (nam ad idem sui deferentis punctum erat restituta) confecerat 4573.

Motusque apogæi apparens in longitudinem eclipticæ erat periodorum 38 & 352 gr. 30 ①.

Neque tamen hæc novissima conversio, quamvis imperfecta sit (desunt enim 7 gr. 30 ①) quidquam vitii huic rei affert, quia apogæum semper ἰσοταχῶς fertur.

Porro medius Lunæ apparens motus in longitudinem Zodiaci invenitur (quemadmodum sub finem 3 memb. 8 propos. annota-

vimus

vimus) additis 4573 Lunæ periodis, ad 38 motus apogæi periodos 352 gr. 30 ①, quarum summa est 4611 periodi 352 gr. 30 ①.
Fuit autem summa Lunationum 4267.
Hæ & mediæ, & veræ totidem sunt: nam integræ periodi occursibus istis comprehenduntur, quia in utraque eclipsi Luna eundem sui differentis, nec non Sol quoque sui deferentis locum quam proxime obtinebat. siquidem 7 grad. 30 ① duntaxat desiderabantur, Solisque eccentricitas in tantulo arcu tam longo tempore nihil differentiæ inducere potuit.

Attamen *Hipparcho* Lunæ motus quà in latitudinem commovetur adhuc deerant, quem ex duabus istis eclipsibus eruere non poterat, quia in eodem etiam nodo Lunam deficere oportuisset, & quidem tantundem, utque pars defecta utrobique vel austrum, vel boream spectaret. Certe si hęc omnia in istis concurrerent, aliis eclipsibus non esset opus; verum cum secus sit, alias quærere necesse habuit, quæ utraq; propter eundem nodum cōstitissent; Lunaq; tantundem defecta, utque ea pars ad eandem plagam seu Meridiem, seu Septentrionem esset conversa, non habita tamen ratione longitudinis Lunæ secundum eclipticam, neque loci ejus in suo deferente. Nam cum nodorū motus (unde varietas ista inter longitudinis & latitudinis motum inducitur, ut 5 membro propos. 8 nobis dictum est) jugi motu & æquabili feratur, neque Solis eccentricitas, neque Lunæ ad hanc rem quidquam faciunt. quamobrem inquam clarum est Lunam in prima secundaque eclipsi tantundem tunc à nodis abesse, atque adeò periodos latitudinis, quæ inter duas istas eclipses intercciderunt, perfectas absolutasque esse.

Quamobrem cum *Hipparchus* duas hujusmodi eclipses nactus esset, ait inter eas intercedisse 5458 Lunationes, latitudinis autem periodos perfectas 5923. Quare ex observationum ephemeridibus ita tempus periodi Lunaris descriptum nobis esto.

II PROPOSITIO.

Quomodo Lunares medii motus inveniendi, atque inde canones condendi sint.

DATUM esto tempus diurnum: QUÆRUNTUR medii motus Lunares. CONSTRUCTIO. Diebus 126007 & hora 1, peragrat Luna (per 9 propos.) deferentem suum 4573ies: Itaque uno die decurret 13 grad. 3. 53. 56. 34. 21. 41.

Diebus 126007 & hora 1 peragrat, per 9 propos. apogæum deferentis Lunaris 38 periodos 352 gr. 30 ①: Itaque 1 die permeabit 6 ① 40. 54. 22. 15. 55.

Iam ut inveniam diurnum medium Lunæ motum apparentem secundum eclipticam, suprascriptos motus Lunæ in deferēte suo 13 gr. 3. 53. 56. 34. 21. 41, & apogæi 6 ① 40. 54. 22. 11. 55. in unam summam colligo, unde existit motus quæsitus 13 gr. 10. 35. 50. 56. 33. 36.

Vt hinc Lunæ exsuperationem diurnam inveniam, tollam medium motum Solis diurnum, qui per 3 propos. est 0 gr. 59. 8. 17. 13. 12. 31, de medio motu diurno Lunæ 13. 10. 34. 50. 56. 33. 36. relinquentur exsuperatio diurna 12. gr. 11. 26. 33. 43. 21. 5.

Lunæ porro motus in latitudinem diurnus invenietur, si notum sit quanto temporis intervallo 5458 Lunationes, quas *Hipparchus* in secundo suarum

eclipsium

eclipsium pari usurpat conversionem suam peragant, quod tempus tamen ab *Hipparcho* annotatum non est: quare isti fini ita concludam 4267 lunationes per 9 proposit. absolvuntur 126007 dieb. & 1 hora, quanto igitur tempore absolventur 5458 lunationes, quas in secundo suarum eclipsium pari *Hipparchus* supra 9 propos. usurpat invenies $\frac{16505914402}{102408}$ dies. Vnde secundam proportionem instituam $\frac{16505914402}{102408}$ diebus conficit Luna 5923 periodos latitudinis, in secundo eclipsum pari, quantum igitur curret 1 die? quod inde existeret foret optatus latitudinis diurnus motus. Cæterum cur ipsum numerum non adsctipserimus infra diceiur.

Motus nodorum diurnus invenitur subducto diurno Lunæ motu medio, de suprascripto diurno latitudinis motu, reliquus erit ecliptici nodi motus.

NOTA.

Quia verò supta expositi diurni motus numeti ad *Ptolomei* abacos non usquequaque respondent, hujus discrepantiæ rationem paucis explicabo, atque isti fini adscribam sigillatim suprascriptos motus diurnos, ut sequitur.

Motus Lunæ in deferente diutnus	13 gr.	3.53.56.34.21.41.
Motus Apogæi diurnus	0 gr.	6.40.54.22.11.55.
Medius moius Lunæ secundum apparentem eclipticæ longitudinem	13 gr.	10.34.50.56.33.36.
Lunæ exsuperatio diurna	12 gr.	11.26.33.43.21.5.

Cæterum latitudinis & nodorum calculus supra nobis ad umbilicum non est perductus.

Horum loco substituit *Ptolomæus* istos numeros.

Motus Lunæ in deferente diutnus	13 gr.	3.53.56.17.51.59.
Motus Apogæi diurnus	0 gr.	6.41.2.15.38.31.
Medius motus Lunæ secundum apparentem eclipticæ longitudinem	13 gr.	10.34.58.33.30.30.
Lunæ exsuperatio diurna	12 gr.	11.26.41.20.17.59.
Motus latitudinis diurnus	13 gt.	13.45.39.48.56.37.
Nodorum eclipticorum motus diurnus	0 gr.	3.10.41.15.26.7.

Causa differentiæ ista est:

Cum *Hipparchus* Lunæ in suo deferente diurnum motum per suos abacos invenisset 13 gr. 3.53.56.29.38.38. *Ptolomæus* ex accuratis Lunæ observaiionibus docuir eum 11 ⊕ 46.39. justo esse majorem, quemadmodum 7 capite 4 libri videre est. itaq; tantulo intervallo *Hipparchi* numerus minutus relinquit suprascriptos 13 gr. 3.53.56.17.51.59. quos *Ptolomæus* tanquam saniores pro motu diurno usurpavit, atque inde canones suos, ut infra videre est, derivavit. Quod verò intet *Hipparchum* & nos intersit differentia 4 ⊕ 43.30, hanc inde existere arbitror, quod ejus calculus minus accuratus sit, quam hic noster.

Secundò Lunæ secundum longitudinem eclipticę medius motus diurnus, à nobis 7 ③ 36 ⊕ minor inventus est quam *Ptolomæo*. consequens igitur fuerit motum 810 annorum Ægyptiacorū (ad quod temporis intervallum *Ptolomæus* suos canones extendit) 10 gradibus & eo amplius majorem esse, quam calculus ex posita hypothesi derivatus ferat: nam si ad minuta supra à nobis

 exposita

exposita addas particulas ex divisione reliquas, hoc modo 13.gr.10.34.50.56. 33.36 $\frac{1446896}{3024165}$ calculus omnibus numeris erit absolutus.

Tertiò quia apogæi motus invenitur subducto motu Lunæ in suo deferente, à medio motu secundum apparentem eclipticæ longitudinem, etiam istius differentiæ causa non obscura est.

Quartò quia Lunæ exsuperatio invenitur subducto motu Solis de medio Lunæ motu secundum apparentem eclipticæ longitudinem, hujus quoque differentiæ causa obvia est.

Quintò in motu latitudinis & nodorum, si calculum accuratiùs persequaris, inter tuos & *Hipparchi* abacos non nihil interesse adgnosces, de qua differentia idem judicium fuerit quod supra.

Hæc ipsa quæ non tam doctrinam, quàm discrepantes de eadem re opiniones continent, quibusdam alieno loco infarta videri possunt, ac potius cõsueto nobis more in Appendicem rejicienda: veruntamen ne is qui nostrum epilogismum à *Ptolemaico* dissidere animadverterit, interim animi dubius pendeat, satius credidi scrupulum hunc statim tollere.

Quamobrem diurnis motibus cognitis, quales ex *Ptolomæi* sententia exposuimus, non arduum erit inde condere mediorum motuum canonia, quemadmodum supra in Sole usurpavimus, atque hic ex *Ptolomæo* ipso ante oculos ponimus, ut ita levi negotio optatum motum assequamur.

CANON

D 2

Horæ	gr.	①	②	③	④	⑤	⑥
1	0	32	39	44	50	43	40
2	1	5	19	29	41	29	20
3	1	37	59	14	32	14	0
4	2	10	38	59	22	58	40
5	2	43	18	44	13	43	20
6	3	15	58	29	4	28	0
7	3	48	38	13	55	12	40
8	4	21	17	58	45	57	20
Triangulum D B G tres habet terminos cognitos, videlicet angulum D B G 1 gr. 16 ① ordine sextum, B G 10233 ordine septimum, B D 10000 ordine octavum, quorum subsidio reliqui tres ignorati termini per 6 propos. plan. triang. inveniuntur, videlicet D G optata ἐκκεντρότης 325.
Et angulus D G B, seu quod idem sit E G B pro optata apparente distantiâ ipsius B ab apogæo E 43 gr. 14.
Et angulus B D G 135 gr. 30.
Is deductus de 180 grad. relinquit angulum E D B, seu optatum eccentrici arcum inter B & apogæum E 44 gr. 30.

1 NOTA.

Quamvis cuilibet ex tribus expositis terminis A literam assignare liceat, arbitror tamen non parum commoditatis hinc existere, si in hujus propositionis imitatione characteres A & B iis terminis adscribantur inter quos E apogæum intercidit, utque optatus arcus inter E & aliquem expositorum interceptus iisdem notis & characteribus inscribatur, quibus hîc quodlibet paradigma insignitum est; & ut A, B, C isto ordine secundum successionem signorum disponantur, ut ita in omnibus paradigmatis eædem literæ easdem notiones sibi habeant subjectas, ne tuum exemplum additionem flagitet, cum in proposito exemplari sit subduceudum; aut contra illic subducendum, cum hîc addendum sit.

2 NOTA.


Qui hunc eruditum pulverem tractarit forsan mirabitur cur necessarium sit peripheriam in quam apogæum vergat hîc definiri, cum alioquin ista ab aliis ex motus affectionibus eruantur, planetarum scilicet motu tardo citatové lentescente aut accelerante, cujus rei argumentum ex datis tribus locis capitur: verumenimverò scrupulus ille facilè tolletur, si cogitet ista ab antegressis observationibus quæ ex observationum ephemeridibus derivantur cognosci, ut 4 propos. 1 lib. pressius à nobis dictum est, atque ideò ista tanquam cognita à nobis hîc nunc usurpari.

2 *Paradigma datis tribus angulis, quorum unus* 180 *gr. reliquorum verò neuter* 90 *grad. definiatur.*

Huic paradigmati id compendii accedit, quod non opus sit investigare rationem non continuatarum linearum inter se, quemadmodum in primo.
DATUM. Eccentricus circulus sit A B C, centrum D, in peripheria ejus assumantur tria puncta A, B, C, ut A B sit 120 gr. 15.
B C 63 gr. 22.
Et C A reliqua ad complendum circulum peripheria 176 gr. 23.
Dehinc sit E apogæum in peripheria A B, & F perigæum, G punctum internum non centrum, ad quod adjungantur tres

rectæ

rectæ A G, B G, C G, à quibus comprehendantur anguli
AGB 117 gr. 11.
BGC 62 gr. 49.
Et C G A reliqua ad complendum circulum peripheria 180 gr.



QVÆSITVM. Invenienda esto eccentricitas D G in partibus semidiametri 10000. Deinde alicujus trium punctorum A, B, C utputa C distantia ab apogæo E, æstimata secundum visum ex puncto non centro G. Denique arcus ab apogæo E ad aliquem trium punctorum A, B, C, ut puta C interjectũ.

PRÆPARATIO. Tres rectæ A B, B C, A C jungant puncta exposita, è quibus A C se induet in centrum G, quia angulus C G A per thesin patet amplitudine 180 gr.

CONSTRVCTIO.

Cum per thesin peripheria A B, seu angulus A D B sit 120 grad. 15 ①, semissis ejus definiet amplitudinem anguli A C B, seu quod idem sit G C B 60 gr. 7.

Triangulum G C B tres terminos habet cognitos, angulũ G C B 60 gr. 7 ① ordine primum, B G C 62 gr. 49 ① per thesin, & latus B C 10504, subtensum arcui B C 63 gr. 22 ① per thesin. unde latus C G per 4 propos. triang. planorum invenitur 9911.

Peripheria C A, seu quod idem sit angulus C D A cujus amplitudo per thesin est 176 gr. 23 ①, deductus de 180 grad. summã trium angulorum trianguli C D A, relinquet summam duorum angulorum D C A, D A C 3 grad. 37 ①, cujus semissis exhibet angulum D C A, seu etiam D C G 1 gr. 48.

Triangulum D C G tres terminos habet cognitos, videlicet latus C G 9911 ordine secundum, C D 10000, & angulum D C G 1 grad 48 ① ordine tertium. Vnde tres ignorati termini inveniuntur per 6 propos. plan. triangulorum, videlicet D G optata eccentricitas 325.

Et angulus D G C, seu angulus optatus E G C 104 gr. 59.


Et angulus C D G 73 gr. 13 ①, qui de 180 gr. subductus, relinquit angulum E D C, seu optatam peripheriam E C 106 gr. 47.

3 *Paradigma, ubi nulla è datis tribus peripheriis 180 gr. definitur, at è datis tribus angulis unus 180, reliqui singuli 90 gr. finiuntur.*

Hoc tertiũ paradigma ex formula antecedẽtis calculi subduci potuit; sed quia

 Ptolo-

Ptolemai via parabilior & compendiosior hîc fit (quamvis in lubrico versetur, ut suo loco dicetur) eam quoque describam.



DATVM. Exponatur eccentricus A B C, ejus centrum D, in cujus peripheria assignentur tres termini A, B, C, ut peripheria A B sit 92 gr. 18.
B C 91 gr. 17.
Et C A reliqua ad complendum circulum peripheria 176 gr. 25.
Hinc in peripheria A B statuatur apogæi E, F perigæum, G punctum internum non centrum, ad quod junctæ rectæ A G, B G, C G comprehendunt angulos A G B 90 gr.
B G C 90 gr.
Et C G A, quæ est reliqua ad complendum circulum peripheria 180 gr.

QVAESITVM. Invenienda esto eccentricitas D G in partibus semidiametri B D 10000. Deinde cujuslibet expositorum punctorum A, B, C, ut puta B distantia ab apogæo E, æstimata secundum visum ex puncto non centro G, hoc est angulus E G B. Denique etiam peripheria inter apogæum E & aliquem expositorum terminorum A, B, C, ut puta B interjectam.

PRAEPARATIO. Connectantur rectæ A C, B G, & agatur H I per D parallela contra A C, secans ipsam B G in K; & sit L D parallela cõtra B G.

CONSTRVCTIO.

Subducta peripheria C A, quę per thesin est 176 gr. 25 ①, de semicirculo I F H 180 grad. reliqua est amplitudo duarum peripheriarum H A, I C 3 gr. 35 ①, cujus semissis pro ipsa I C 1 gr. 48.
Hujus sinus, cui æqualis est K G 314.
Si de A B, qui per thesin sunt 92 gr. 18 ①, subducas A H 1 gr. 48 ① ordine primum, & H L 90 gr. relinquetur pro L B 0 gr. 30.
Cujus sinus pro ipsa K D 87.
Triangulum K D G tres habet cognitos terminos, latus K G 314 ordine secundum, & K D 87 ordine quartum, & angulum G K D rectum. Vnde per 6 propos. planorum triangulorum

invenie-

latus D G, & angulus D G K invenientur; videlicet in partibus semidiametri DB 10000 (quia K G 314 & K D 87 in iisdem partibus sunt assumptæ) eritque optata eccentricitas D G 326.


Et angulus D G K, seu E G B optata apparens distantia termini B ab apogæo E erit 15 gr. 29.

Cumque angulus E D L, D G K æquentur, erit E D L seu peripheria E L 15 gr. 29 ①: ad quam si addatur L B 30 ① numerus ordine tertius, existet optata peripheria EB 15 gr. 59.

NOTA.

Quod effectionem antecedētis 2 paradigmatis minus lubricam judicemus inde est quod linea eccentricitatis GD hic minoribus numeris explicetur quam illic, quia duo latera K G 314 & K D 87 trianguli K D G minora sint, quàm latera C D 10000 & C G 9911 trianguli C D G.

4 *Paradigma ubi è datis tribus peripheriis una 180 grad. & è datis tribus angulis unus 180 gr. definiatur.*



DATUM. Exponatur eccentricus A B C, cujus centrum D, & in peripheria tres assignentur termini A B C, ut peripheria A B sit 43 gr. 49.

B C 136 gr. 11.

Et C A reliqua ad complendum circulum peripheria 180 gr.

Deinde cum angulus à primo ad tertium terminum subtensus pateat amplitudine 180 gr. atque ei consequens sit A punctum apogæum esse per 4 propos. 1 lib. motuum Cœlest. & C perigæum, assumam in connectente A C punctum non centrum E inter D & C, atque E connectan cum termino B, eritque amplitudo angulorum hujusmodi, A E B 42 gr. 35.

B E C 137 gr. 25.

 Et

Et CEA reliqua ad complendum circulum peripheria 180 gr.

QVAESITVM. Cum apparens distantia, qui est angulus AEB 42 grad. 35 ① ordine quartus, & peripheria inter apogæum A & aliquem expositorum, ut B hoc casu cognita sit per thesin 43 grad. 49 ①, tantum opus est hic inveniri eccentricitatem DE.

CONSTRVCTIO.


Triangulum DBE tres terminos habet cognitos, angulum BDE 136 gr. 11 ① ordine secundum, DBE 42 grad. 35 ① ordine quartum, & latus BD 10000. quorum ope, per 4 propos. planorum triang. invenietur optata eccentricitas 318.

CONCLVSIO. Quare in eccentrico ea invenimus quæ postulabantur.

3 PROPOSITIO.

Data longitudine motus planetæ aut puncti in suo deferente, cum ratione semidiametri deferentis ad eccentricitatem, ejusdem distantiam à terræ centro in partibus semidiametri 10000, & prostaphæresin mathematico ratiocinio secundum stantis terræ hypothesin invenire.

Longitudinem istam motus in deferente ab apogæo auspicamur, eamque non minus puncti cujusvis quam planetæ communem facimus, ita ut unius propositionis ambitu tam Solis & Lunę motus complectamur, qui à Solo deferente, quàm motum centri epicycli reliquorum planetarum, qui ab eccentrepicyclis deferuntur.



DATVM. Sit ABC deferens, D ejus centrum, E punctum internum ab exposito centro diversum, seu terræ centrum, A apogęum, C perigæum, B planeta aut quodvis punctum expositū, cujus motus in deferente lōgitudo AB sit 30 gr. & ratio eccentricitatis DE ad semidiametrum eccentrici DB sit, quæ 323 ad 10000. Hic DBE est angulus prostaphęreticus, qui in priore semicirculo constitutus necessariò erit aphæreticus.

QVAESITVM. Invenienda est linea EB cum aphæresi DBE.

CONSTRVCTIO.

Triangulum DBE tres terminos habet cognitos, DE 323, DB 10000 per

10000 per thesin, & angulum D B E 150 grad. subducto enim angulo A D B 30 grad. de 180 grad. reliquus erit B D E 150 grad. ut supra. Unde per 6 propos. plan. triangul. invenietur optata linea E B 10281.

Et optata aphæresis D B E 54 ①.


Cujus demonstratio ex ipsius operis filo manifesta est. Quare factum est quod oportuit.

THEOREMA. 4 PROPOSITIO.

Maxima prostaphæresis eccentrici est in vertice rectæ à termino eccentricitatis ipsi perpendicularis.

DATUM. Exponatur eccentricus A B C D E, cujus centrum F, & punctum internum non centrum G, eccentricitas F G, ad quam C G perpendicularis sit. QUAESITUM. Ostendendum est maximam prostaphæresin eccentrici cadere in punctum C verticem lineæ G C. PRAEPARATIO. F G utrimque continuata illic induat se in apogæum A, hic in perigæum E, & agantur rectæ F B, F C, F D, G B, G D, & F H perpendicularis in B G, & F I perpendicularis in continuatam D G. Ajo igitur angulum G C F majorem esse ipso G B F, aut G D F, aut quovis alio simili.

DEMONSTRATIO. Nam F B, F C, F D radii æquales in triãgulis F B H, F C G, F D I rectos subtendunt angulos; itaq; maximum crus è tribus rectorũ angulorum cruribus F H, F G, F I, maximũ quoque angulũ subtendet: Sed F G maximũ est crus; quare & F C G ei subtensus erit maximus angulus. Rectam verò F G cæteris majorem esse ita doceo, quia in triãgulo F G H ipsa F G basis sit recti anguli, & F H crus: eodemque modo in triangulo F G I est F I crus, & F G basis recti anguli.



CONCLUSIO. Quare eccentrici maxima prostaphæresis est in vertice rectæ à termino eccentricitatis ipsi perpendicularis.


CONSECTARIUM.

Quia triangulum F C G tres cognitos habet terminos, angulum F G C rectum, F C semidiametrum 10000, & F G 323.per 2 propos. 2 paradigma, inde per 5 propos. planorum triangulorum invenietur angulus F C G 2 grad. 23 ① pro maxima prostaphæresi.

THEOREMA. 5 PROPOSITIO.

Si planeta è terra sub inæquali distantia cõspiciatur erit, quemadmodum minor visionis angulus ad majorem, ita minor distantia ad majorem proximè.

DATUM. Exponatur planetæ deferens A B C D E, centrum G, terra & per G H educta diameter B G H E signet apogæum in B, perigæum in hinc centro B scribatur planeta A C, ut puta, Luna in apogæo, & jungantur A H, C H, sub quibus comprehenditur angulus visionis Lunæ A H C, quem



ex observationibus fingo inventum 30 ①. Hinc etiam alio quovis loco centro E Lunę orbis describatur D F æqualis priori A C, ad quem agantur rectæ H F H D, sub quibus comprehenditur angulus visionis F H D, quem accurata observatione fingo inventum 32 ①, sitque H B distantia major, H E minor.

QUAESITUM. Demonstrandum est eandem proximè rationem esse anguli visionis minoris AHC 30 ①, qui videtur ex distantia longiore H B, ad majoris visionis angulum F H D 32 ①, qui videtur sub minore distantia H E: quæ sit minoris distantiæ HE ad majorem H B.

DEMONSTRATIO. Curvatura peripherię A C 30 ① ob exilitatem in rectam lineam ferè evanescit, atque ideò sine cujusquam momenti errore pro recta usurpari potest, & A B H pro triangulo rectangulo ad B: Quibus positis, & concessis, cum per thesin A H C sit 30 ①, & A H B ejus semissis 15 ①, habebit triangulum A B H duos angulos notos, unde tertius B A H invenitur 89 gr. 45.

Posita igitur A H pro base trianguli A B H, ajo per 1 propos. planorum triangulorum, ut sinus 43632 anguli dextri A H B, ad sinum 9999905 anguli sinistri B A H, 89 grad. 45 ① (integros canonis numeros propter notas jam causas usurpo) sic latus sinistrum A B ad latus dextrum B H: ut A B ad B H habeat

beat rationem, quam 43632.
Ad 9999905.
Si similem epilogismum instituas in triangulo F H E, ubi F H E angulus est 16 ①, deprehendes rationem E F ad E H ut 46541.
Ad 9999892.
Hinc proportio posita A B 43632, qui numerus est hoc ordine secundus, fit B H 9999905 ordine tertius; posita igitur A B 46541 (qui est numerus ordine quartus) quanta futura est B H? concludes 10666611.
In iisdem partibus quibus E H taxatur 9999892 qui est numerus ordine quintus. Quæ cum ita sint, Ajo ut 30 ① ad 32 ①, ita 9999892 ad 10666611 numerum ordine sextum proximè: nam ex ista proportione existeret 10666558. qui parum admodum absunt à priore, nam detritis utrobique extremis duabus notis reliqui numeri ad amussim congruunt, videlicet ratio 30 ① ad 32 ① ut 99999 ad 106666, ut discrepantia à justo non sit unius unitatis.

Non absimilis ratio erit in cæteris planetis, quod ex analogia hujus exempli percipies. CONCLUSIO. Quare si planeta è terra sub inæquali distantia conspiciatur erit angulus visionis minoris ad majorem, ut distantia minor ad majorem proximè.

6 PROPOSITIO.

Dato angulo visionis planetæ ἀπογειοτάτου, cum istius distantiæ ratione ad distantiam aliquam minorem angulum visionis distantiæ minoris invenire.

DATUM. Assumamus planetæ ἀπογειοτάτου locum in 3 propos. diagrammate in apogæo A & angulum visionis 30 ①, ita enim eum pono observando animadversum: Linea longissimæ hujus distantiæ sit E A 10323 (nam ista summa consurgit additis A D 10000 ad E D 323) at brevioris alicujus E B 10287 (quem admodum eam in eadem 3 propos. deprehendimus).

QUÆSITUM. Angulus visionis planetæ inveniendus esto ad distantiam minorem E B, hoc est planetâ in deferente suo permoto ad gradum 30^{mum}.

CONSTRUCTIO.

Linea brevior E B 10287 dat longissimam 10323, quid dabit angulus visionis datus 30 ①. Existet optatus visionis angulus 30 ① 6 ②.

Atque ita patet quomodo anguli visionis planetarum, seu diametri visuales ad datum quemlibet deferentis locum inveniantur, cujus demonstratio ex operis filo & consequentia in promptu est.

NOTA.

In propositione hac angulum visionis planetæ ἀπογειοτάτου cognitum supponimus, non quod necesse sit isti loco hæc alligari, cum generaliter ex angulo visionis, quem ad cognitum aliquem sui deferentis locũ obtinet id indagari possit, sed commodius hunc epilogismum ad apogæum aut perigæum instituimus, ut in fabrica canonii angulorum visionis seu diametrorum visualium idem numerus usurpetur. Non obscurum est hujus theorematis veritatem ad planetas eos qui an epicyclis versantur quoque diffundi, quia res hæc per eorum à terra distantiam expeditur. Quare factum est quod oportuit.

DISTIN-

BREVIARIVM

Libri secundi.

CVm superiore libro ex observationum ephemeridibus notatum, & animadversum sit planetas in deferentibus eccentricis, & epicyclis moveri, atque alia nonnulla id genus inde derivata sint, quæ tanquam basis & fundamentum animo ac cogitationibus nostris substernantur, ut certius & accuratius mathematico ratiocinio eorum affectiones investigemus, utrum deferentes illi veri perfectiq; sint circuli, atque utrum planetæ in illis ἰσοταχῶς, *equali, & jugi ferantur motu, quamvè habeant rationem ipsorum semidiametri ad suas* * ἐκκεντρότητας, *aut quæ loca ipsi futuris deinceps temporibus sint adituri, atque insuper ut dierum inæquatorum, stationum, retrogradationum cognitionem adipiscamur, aut quanta Solis Lunævè pars in eclipsibus obscuretur, quantavè ipsorum distantia sit à terrâ, aut quam ipsi ad terram habeant rationem, atque alia id genus; ei rei secundum hunc librum destinavimus, qui ista mathematicis rationum momentibus ponderemus, eâ tamen viâ quâ hæc ad* Ptolomæi *manus devenere, hoc est secundum hypothesin illam quæ terram in medio universi centro ponderibus suis libratam suspendit, neque illud ignoratorum motuum commentum usurpat, ut sunt Lunæ anomalia secunda, & Saturni, Iovis, Martis, Veneris, Mercurii tertia, atque ille quinque planetarum motus, quem vulgo ignotum vocant, quæ hic ita segregabo ut tamen postea ista sigillatim suo ordine describam, ut inde cuivis clarum sit quidnam in stantis terræ hypothesi desideretur, utque summotis istis impedimentis ad alias commodiores hypotheses planior & magis expedita sit via. Quamobrem huius libri partes septifariam distinguam ut sint.*

* eccentricitates.

1 *De eccentricitatum Catholicis.*
2 *De motu Solis.*
3 *De motu Lunæ.*
4 *De motu Saturni, Iovis, Martis, Veneris, Mercurii.*
5 *De planetarum coniunctionibus, oppositionibus, eclipsibus.*
6 *De commentitia* Ptolomæi *anomalia secunda in Luna, & tertia in Saturno, Iove, Marte, Venere & Mercurio.*
7 *De* Ptolomæi *commentitio latitudinis motu quinque planetarum Saturni, Iovis, Martis, Veneris, Mercurii.*

NOTA.

Hanc pragmatiam mathematicam voco ad differentiam, quę huic intercedit cum primi libri factionibus ab observationum experientia derivatis, & quamvis ne hæc quidem ob usurpationem quorundam canonum omnibus numeris sit absoluta, quemadmodum in mathematico opere exigitur, quia tamen in iis modus quidam extat, quo ad ipsum τὸ ἀκριβὲς * quamlibet proximè accedas, quæ res mathematico ratiocinio multum assidet, & demonstrationem habeat mathematicam, omninò, ut discrimen hujus ab antecedente illustrius sit, jure meritò mathematica hæc pragmatia appellanda videtur.

* veritatem accuratum.

DISTIN-

DISTINCTIO PRIMA SECVNDI LIBRI DE ECCENTRICITATVM CATHOLICIS.

BREVIARIVM I DISTINCTIONIS.

PRincipiò notandum est è tribus planetę in deferente suo locis, * ἐκκεντρότητα atque alias ejusdem * περιστάσεις eodē spectantes inveniri posse: & cum modus is omnium planetarum cōmunis sit, duabus propositionibus hujus affectionis catholica complectemur, ne cum in illam planetarum partem ingressi erimus necesse sit ejus operis singula persequi, quemadmodum veteres factitarunt: sed ad has ipsas propositiones lectorem remittemus unde factionis modus repetatur: id enim etiam in aliis propositionibus quarum usus frequens est usurpari solet. Et quamvis *Ptolomeus*, & *Ptolomæum* secuti nōnulli eadem in singulis planetis iterarint, isto tamen modo brevius ac commodius animi mei cogitata explicare posse arbitror, & simul ista scribendi methodus discenti planior & expeditior videtur. Ad duas autem has propositiones alias duas adjungemus, tanquam illarum appendiculas & ab ipsis derivatas, alteram de maxima prostaphæresi, alteram de diametro visuali & distantia planetarum.

* *eccentricitatem.*
* *circumstantias.*

I DEFI-

1 DEFINITIO.

In Terræ ſtantis hypotheſi Solem & Lunam in eccentrico, reliquos autem planetas in eccentripicyclo deferri ſupponimus.

Definitione hac innuitur quod quoties ſecundo hoc libro mentionem faciemus mathematicæ pragmatiæ terrâ ſtante, nõ hîc admiſceri alios ullos motus commentitios, ſed eos ſolum, quos Terræ in mundi centro libratæ hypotheſis ferat, ob cauſas in antecedenti breviario expoſitas.

2 DEFINITIO.

Angulus qui à radiis opticis ſidus utrinque, quà longiſſimè patet, contingentibus, comprehenditur, angulus viſionis dicitur.

3 DEFINITIO.

Epocha eſt aſſumti temporis momentum unde calculum motus planetarum exordimur.

Ἐποχὴ Græcis, Cenſorino tituli & indices, aliis æra, mathematicis recentioribus radix annorum ſynonyma ſunt. Cum enim per abacos logiſticos anquirimus quem locum quilibet planeta dato tempore vel obtinebit vel obtinuerit, multum intereſt locum ejus ad conſtitutum aliquod tempus cognoſci, unde vel prorſum vel retrorſum, in ſecula futura, aut præterita calculus dirigatur, qui, quod planeta iſto tempore iſtum locum ἐπέχει, ἐποχὴ appellatur. Solent autem ἐποχαὶ illuſtri alicui tempori alligari, quo tanquam exordio communi utantur plurimi: ſic *Ptolomeus* uſurpavit initium annorum *Nabonaſſari*, & Chriſtiani epocham ſuam à nativitate *Chriſti* redemptoris ϑεανθρώπου ſunt auſpicati, aut ab aliquo ſeculorum præteritorum termino: nos cum opus erit exempli loco uſurpabimus finem anni 1600.

1 PROPOSITIO.


Datis in ambitu circuli punctis tribus & peripheriis interjectis, & angulis quos ipſorum intervalla ad punctum internum nõ centrum connexis rectis ſubtendunt, atque unâ earum uſque in peripheriam continuatâ reliquarum inter ſe rationem invenire.

Datum. Sit eccentricus A B C, centrum ejus D, in cujus peripheria tria exponantur puncta A, B, C, inter quas interjectæ peripheriæ ſint cognitæ, ut A B — 120 gr. 15.
B C — 90 gr. 41.
Et C A reliqua ad complendum circulum peripheria — 149 gr. 4.

Sit E

Sit E apogęum in peripheriâ A B, & F perigęum, G punctum quodvis non centrum, ad quod junctę tres rectę A G, B G, C G comprehendant angulos A G B | 117 gr. 11.
B G C | 90 gr. 37.
C G A, qui est reliquus ad complendum circulum angulus | 152 gr. 12.
Dehinc aliqua harum trium A G B G C G, puta A G continuetur in peripheriam in H, ut A G ipsa continuata, G H continuatio sit.

QVÆSITVM. Postulatur ratio duarum B G C G non continuatarum.



CONSTRVCTIO.

Antequam optatum assequar ineunda mihi prius est ratio continuationis G H, ad non continuatas B G, G C: quæramus primò rationem continuationis G H ad ipsam B G, ad cujus investigationem istam capesso viam.

Semissis 120 grad. 15 ①, quæ est quantitas peripheriæ A B inter continuatam A G & non continuatam G B, cujus nunc ratio quæritur, est | 60 gr. 7.
Hujus sinus pro ipsa G B | 8670.
Iam subductis 60 grad. 7 ①, qui numerus est isto ordine primus, de angulo A G B 117 grad. 11 ① comprehenso sub continuata A G & G B, relinquit | 57 gr. 4.
Hujus sinus pro continuatione G H | 8393.
Vt prima ratio non continuatæ B G ad continuationem G H sit, quæ 8670 hoc ordine secundi ad 8393 quartum, & inversè ut G H ad B G, sic 8393 ad 8670. Non secus quoque invenietur ratio G H ad C G: attamen quia pragmatia hæc in sequentibus crebrò citabitur, ipsius operis typum & filum ante oculos ponemus. Ajo igitur ut prius: semissis 149 gr. 4 ①, (quæ est peripheria C A media inter continuatam A G, & non continuatam C G cujus ratio hic quæritur) est | 74 gr. 32.
Hujus sinus pro non continuata C G | 9638.
Iam subductis 74 grad. 32 ①, qui numerus est isto ordine quintus, de angulo A G C 152 grad. 12 ① comprehenso sub continuata A G & non continuata C G, relinquit | 77 gr. 40.

Hujus

Hujus sinus pro continuatione GH 9769.
Quamobrem ratio non continuatæ CG ad continuatam GH est, quemadmodum 9638 ordine sextus ad 9769 octavum, & inversè GH ad CG est, ut 9769 ad 9638. Cum igitur continuatio GH ad non continuatam BG se habeat, ut 8393 ordine quartus ad 8670 ordine secundum; & ad non continuatam CG sit, ut 9769 ordine octavus ad 9638 ordine sextum; ut hinc inveniam rationem non continuatæ BG ad non continuatam CG, per proportionem concludam hoc modo: posita continuatione GH 8393, qui est ordine quartus, erit BG 8760, qui est ordine secundus, posita igitur GH 9769, qui est ordine octavus, congruent ipsi BG 10091.
Atque id quidem in iisdem partibus in quibus ponitur CG 9638 numerus hoc ordine sextus. quare ratio non continuatarum BG & CG est ut 10091 ad 9638.

PRÆPARATIO. Agantur rectæ AB, HB. DEMONSTRATIO. Amplitudo anguli BHA æquatur per 20 propos. 3 lib. *Eucl.* semissi peripheriæ AB 120 grad. 15 ①, quare angulus BHA, seu BHG valet 60 grad. 7 ① numerum hoc ordine primum; is deductus de AGB qui per thesin est 117 grad. 11 ①, relinquit angulum HBG 57 grad. 4 ① per 32 propos. 1 lib. *Eucl.* Vt triangulũ HBG duos habeat angulos notos, BHG 60 gr. 7 ①, & HBG 57 gr. 4 ①, quorum sinus 8670 & 8393 habẽt rationem laterum ipsos subtendentium BG HG, per 1 propos. planorum triangulorum. Similis planè ratio & demonstratio quoq; fuerit rationis secundę. Deniq; etiam qualium partium est GH 9769, talium est BG 10091 ex articulo hujus ordinis nono: atque earundem est CG 9638, per articulum 8um & 6um: itaque BG est ad CG ut 10091 ad 9638. Quare factum est quod oportuit.

2 PROPOSITIO.


Datis in ambitu circuli punctis tribus & peripheriis interjectis, & angulis quos ipsæ ad punctum internum non centrum connexis rectis subtendunt, & simul peripheriâ in quam apogæum vergit datâ; eccentricitas in partibus semidiametri 10000, atque datorum punctorum apparens ab apogæo distantia ex dicto puncto non centro æstimata, & eccentrici peripheriæ inter apogæum & data puncta interceptæ invenienda sunt.

Cum datæ tres peripheriæ, vel dati anguli 180 grad. aut 90 gr. aut aliâ aliquâ amplitudine definiri possint, pro datorum varietate ipsa operis exegesis secundum suam facilitatem aut difficultatem quoq; erit varianda, quam ideò in quatuor paradigmata secernam. Cæterùm monẽdus hîc es, quod cum crura anguli ita panduntur ut 180 grad. intercipiant, tum ipsa angulum non continere, sed in directum exporrigi; nos tamen eam amplitudinem, facilitatis & doctrinæ gratiâ, angulum (quamvis καταχρηστικῶς) appellaturos.

1 Para-

1 *Paradigma datis tribus peripheriis & angulis, ubi nullus 180 aut 90 gradibus æquetur.*

DATVM. Exponatur eccentricus A B C, centrum D, in ejus circumferentia tries termini aſſignentur A B C ut peripheria A B ſit	120 gr. 15.
B C	90 gr. 41.
Et C A ad complendum circulum	149 gr. 4.
Apogæum E ſtatuatur in peripheria A B, & F ſit perigæum, G punctum expoſitũ non centrum, unde ad expoſita puncta actæ ſunt tres rectæ A G B G C G à quibus comprehenduntur tres anguli A G B	117 gr. 21.
B G C	90 gr. 37.
C G A reliquus ad complendum circulum	152 gr. 12.



QVÆSITVM. Invenienda eſt primò eccentricitas D G in iiſdem partibus, quibus diameter B D taxatur 10000. Deinde apparens diſtantia puncti alicujus ex aſſignatis A, B, C, ut puta B ab apogæo E.

PRÆPARATIO. Continua aliquam rectarum A G B G C G, puta A G uſque ad peripheriam in H, ſitque G H ipſa continuatio, & A G continuata, ac B G G C duæ non continuatæ, quarum terminos jungat B C.

CONSTRVCTIO.

Rationem quam inter ſe habent non continuatæ B G C G per 1 propoſ. inquiro, & invenio B G partium	10091.
Et C G earundem	9638.
Triangulum B G C tres terminos habet cognitos, videlicet angulum B G C 90 gr. 37 ① per hypotheſin, B G 10091 ordine primum, & C G 9638 ordine ſecundum: quorum ope invenientur latus B C, & angulus C B G per 6 propoſ. planor. triangul. Videlicet latus B C partium	14027.
Et angulus C B G	43 gr. 23.
Hinc angulo B D C q̃ui per antecedẽtem prop. valet 90 gr. 41 ①, ſemper de 180 gr. ſubducto (quia tres anguli trianguli B D C in iſtam ſummam aſſurgunt) relinquetur ſumma duorum angulorum D B C, D C B 89 grad. 19 ①, hujus ſemiſſis definit amplitudinem anguli C B D	44 gr. 39.
Differentia angulorum C B D 44 gr. 39 ①, & C B G 43 gr. 23 ① ordine quarti exhibet quantitatem anguli D B G	1 gr. 16.

Recta BC 14027, qui est numerus ordine tertius, dat BG 10091 primum, itaque si pro BC ponatur subtensa 90 gr. 41 ① hoc est per 13 propos. de fabr. sinuum, si BC ponatur partiū 14224, concludes pro BG 10233.

Atque id in iisdem in quibus partibus taxatur semidiater BD 10000.

Triangulum DBG tres habet terminos cognitos, videlicet angulum DBG 1 gr. 16 ① ordine sextum, BG 10233 ordine septimum, BD 10000 ordine octavum, quorum subsidio reliqui tres ignorati termini per 6 propos. plan. triang. inveniuntur, videlicet DG optata ἐκκεντρότης 325.

Et angulus DGB, seu quod idem sit EGB pro optata apparente distantiâ ipsius B ab apogæo E 43 gr. 14.

Et angulus BDG 135 gr. 30.

Is deductus de 180 grad. relinquit angulum EDB, seu optatum eccentrici arcum inter B & apogæum E 44 gr. 30.

1 NOTA.

Quamvis cuilibet ex tribus expositis terminis A literam assignare liceat, arbitror tamen non parum commoditatis hinc existere, si in hujus propositionis imitatione characteres A & B iis terminis adscribantur inter quos E apogæum intercidit, utque optatus arcus inter E & aliquem expositorum interceptus iisdem notis & characteribus inscribatur, quibus hîc quodlibet paradigma insignitum est; & ut A, B, C isto ordine secundum successionem signorum disponantur, ut ita in omnibus paradigmatis eædem literæ easdem notiones sibi habeant subjectas, ne tuum exemplum additionem flagitet, cum in proposito exemplari sit subducendum; aut contra illic subducendum, cum hîc addendum sit.

2 NOTA.

Qui hunc eruditum pulverem tractarit forsan mirabitur cur necessarium sit peripheriam in quam apogæum vergat hîc definiri, cum alioquin ista ab aliis ex motus affectionibus eruantur, planetarum scilicet motu tardo citatové lentescente aut accelerante, cujus rei argumentum ex datis tribus locis capitur: verumenimverò scrupulus ille facilè tolletur, si cogitet ista ab antegressis observationibus quæ ex observationum ephemeridibus derivantur cognosci, ut 4 propos. 1 lib. pressius à nobis dictum est, atque ideò ista tanquam cognita à nobis hîc nunc usurpari.

2 *Paradigma datis tribus angulis, quorum unus* 180 *gr. reliquorum verò neuter* 90 *grad. definiatur.*

Huic paradigmati id compendii accedit, quod non opus sit investigare rationem non continuatarum linearum inter se, quemadmodum in primo.

DATUM. Eccentricus circulus sit ABC, centrum D, in peripheria ejus assumantur tria puncta A, B, C, ut AB sit 120 gr. 15.

BC 63 gr. 22.


Et CA reliqua ad complendum circulum peripheria 176 gr. 23.

Dehinc sit E apogæum in peripheria AB, & F perigæum, G punctum internum non centrum, ad quod adjungantur tres

rectæ

rectæ A G, B G, C G, à quibus comprehendantur anguli

A G B	117 gr. 11.
B G C	62 gr. 49.
Et C G A reliqua ad complendum circulum peripheria	180 gr.



QVÆSITVM. Invenienda esto eccentricitas D G in partibus semidiametri 10000. Deinde alicujus trium punctorum A, B, C utputa C distantia ab apogæo E, æstimata secundum visum ex puncto non centro G. Denique arcus ab apogæo E ad aliquem trium punctorum A, B, C, ut puta C interjectũ.

PRÆPARATIO. Tres rectæ A B, B C, A C jungant puncta exposita, è quibus A C se induet in centrum G, quia angulus C G A per thesin patet amplitudine 180 gr.


CONSTRVCTIO.

Cum per thesin peripheria A B, seu angulus A D B sit 120 grad. 15 ①, semissis ejus definiet amplitudinem anguli A C B, seu quod idem sit G C B	60 gr. 7.
Triangulum G C B tres terminos habet cognitos, angulũ G C B 60 gr. 7 ① ordine primum, B G C 62 gr. 49 ① per thesin, & latus B C 10504, subtensum arcui B C 63 gr. 22 ① per thesin. unde latus C G per 4 propos. triang. planorum invenitur	9911.
Peripheria C A, seu quod idem sit angulus C D A cujus amplitudo per thesin est 176 gr. 23 ①, deductus de 180 grad. summâ trium angulorum trianguli C D A, relinquet summam duorum angulorum D C A, D A C 3 grad. 37 ①, cujus semissis exhibet angulum D C A, seu etiam D C G	1 gr. 48.
Triangulum D C G tres terminos habet cognitos; videlicet latus C G 9911 ordine secundum, C D 10000; & angulum D C G 1 grad. 48 ① ordine tertium. Vnde tres ignorati termini inveniuntur per 6 propos. plan. triangulorum, videlicet D G optata eccentricitas	325.
Et angulus D G C, seu angulus optatus E G C	104 gr. 59.
Et angulus C D G 73 gr. 13 ①, qui de 180 gr. subductus, relinquit angulum E D C, seu optatam peripheriam E C	106 gr. 47.

3 ***Paradigma, ubi nulla è datis tribus peripheriis 180 gr. definitur, at è datis tribus angulis unus 180, reliqui singuli 90 gr. finiuntur.***

Hoc tertiũ paradigma ex formula antecedẽtis calculi subduci potuit; sed quia

Ptolemai via parabilior & compendiosior hic fit (quamvis in lubrico versetur, ut suo loco dicetur) eam quoque describam.



DATVM. Exponatur eccentricus A B C, ejus centrum D, in cujus peripheria assignentur tres termini A, B, C, ut peripheria A B sit | 92 gr. 18.
B C | 91 gr. 17.
Et C A reliqua ad complendum circulum peripheria | 176 gr. 25.
Hinc in peripheria A B statuatur apogæū E, F perigæum, G punctum internum non centrum, ad quod junctæ rectæ A G, B G, C G comprehendunt angulos A G B | 90 gr.
B G C | 90 gr.
Et C G A, quæ est reliqua ad complendum circulum peripheria | 180 gr.

QVAESITVM. Invenienda esto eccentricitas D G in partibus semidiametri B D 10000. Deinde cujuslibet expositorum punctorum A, B, C, ut puta B distantia ab apogæo E, æstimata secundum visum ex puncto non centro G, hoc est angulus E G B. Denique etiam peripheria inter apogæum E & aliquem expositorum terminorum A, B, C, ut puta B interjectam.

PRAEPARATIO. Connectantur rectæ A C, B G, & agatur H I per D parallela contra A C, secans ipsam B G in K; & sit L D parallela cōtra B G.

CONSTRVCTIO.

Subducta peripheria C A, quę per thesin est 176 gr. 25 ①, de semicirculo I F H 180 grad. reliqua est amplitudo duarum peripheriarum H A, I C 3 gr. 35 ①, cujus semissis pro ipsa I C | 1 gr. 48.
Hujus sinus, cui æqualis est K G | 314.
Si de A B, qui per thesin sunt 92 gr. 18 ①, subducas A H 1 gr. 48 ① ordine primum, & H L 90 gr. relinquetur pro L B | 0 gr. 30.
Cujus sinus pro ipsa K D | 87.
Triangulum K D G tres habet cognitos terminos, latus K G 314 ordine secundum, & K D 87 ordine quartum, & angulum G K D rectum. Vnde per 6 propos. planorum triangulorum

invenie-

latus D G, & angulus D G K invenientur; videlicet in partibus ſemidiametri D B 10000 (quia K G 314 & K D 87 in iiſdem partibus ſunt aſſumptæ) eritque optata eccentricitas D G 326.


Et angulus D G K, ſeu E G B optata apparens diſtantia termini B ab apogæo E erit 15 gr. 29.

Cumque angulus E D L, D G K æquentur, erit E D L ſeu peripheria E L 15 gr. 29 ①: ad quam ſi addatur L B 30 ① numerus ordine tertius, exiſtet optata peripheria E B 15 gr. 59.

NOTA.

Quod effectionem antecedẽtis 2 paradigmatis minus lubricam judicemus inde eſt, quod linea eccentricitatis G D hîc minoribus numeris explicetur quam illic, quia duo latera K G 314 & K D 87 trianguli K D G minora ſint, quàm latera C D 10000 & C G 9911 trianguli C D G.

4 Paradigma ubi è datis tribus peripheriis una 180 *grad. & è datis tribus angulis unus* 180 *gr. definiatur.*



DATUM. Exponatur eccentricus A B C, cujus centrum D, & in peripheria tres aſſignentur termini A B C, ut peripheria A B ſit 43 gr. 49.

B C 136 gr. 11.

Et C A reliqua ad complendum circulum peripheria 180 gr.

Deinde cum angulus à primo ad tertium terminum ſubtenſus pateat amplitudine 180 gr. atque ei conſequens ſit A punctum apogæum eſſe per 4 propoſ. 1 lib. motuum Cœleſt. & C perigæum, aſſumam in connectente A C punctum non centrum E inter D & C, atque E connectan cum termino B, eritque amplitudo angulorum hujuſmodi, A E B 42 gr. 35.

B E C 137 gr. 25.

Et CEA reliqua ad complendum circulum peripheria 180 gr.

Quaesitum. Cum apparens distantia, qui est angulus AEB 42 grad. 35 ① ordine quartus; & peripheria inter apogaeum A & aliquem expositorum, ut B hoc casu cognita sit per thesin 43 grad. 49 ①, tantum opus est hic inveniri eccentricitatem DE.

CONSTRUCTIO.


Triangulum DBE tres terminos habet cognitos, angulum BDE 136 gr. 11 ① ordine secundum, DBE 42 grad. 35 ① ordine quartum, & latus BD 10000. quorum ope, per 4 propos. planorum triang. invenietur optata eccentricitas 318.

Conclusio. Quare in eccentrico ea invenimus quae postulabantur.

3 PROPOSITIO.

Data longitudine motus planetae aut puncti in suo deferente, cum ratione semidiametri deferentis ad eccentricitatem, ejusdem distantiam à terrae centro in partibus semidiametri 10000, & prostaphaeresin mathematico ratiocinio secundum stantis terrae hypothesin invenire.

Longitudinem istam motus in deferente ab apogaeo auspicamur, eamque non minus puncti cujusvis quam planetae communem facimus, ita ut unius propositionis ambitu tam Solis & Lunę motus complectamur, qui à Solo deferente, quàm motum centri epicycli reliquorum planetarum, qui ab eccentrepicyclis deferuntur.



Datum. Sit ABC deferens, D ejus centrum, E punctum internum ab exposito centro diversum, seu terrae centrum, A apogęum, C perigaeum, B planeta aut quodvis punctum expositũ, cujus motus in deferente lõgitudo AB sit 30 gr. & ratio eccentricitatis DE ad semidiametrum eccentrici DB sit, quae 323 ad 10000. Hic DBE est angulus prostaphęreticus, qui in priore semicirculo constitutus necessariò erit aphaereticus.

Quaesitum. Invenienda est linea EB cum aphaeresi DBE.

CONSTRUCTIO.

Triangulum DBE tres terminos habet cognitos, DE 323, DB 10000 per


10000 per thesin, & angulum DBE 150 grad. subducto enim angulo ADB 30 grad. de 180 grad. reliquus erit BDE 150 grad. ut supra. Vnde per 6 propos. plan. triangul. invenietur optata linea EB 10281.
Et optata aphæresis DBE 54 ①.
Cujus demonstratio ex ipsius operis filo manifesta est. Quare factum est quod oportuit.

THEOREMA. 4 PROPOSITIO.

Maxima prostaphæresis eccentrici est in vertice rectæ à termino eccentricitatis ipsi perpendicularis.

DATUM. Exponatur eccentricus ABCDE, cujus centrum F, & punctum internum non centrum G, eccentricitas FG, ad quam CG perpendicularis sit. QUAESITUM. Ostendendum est maximam prostaphæresin eccentrici cadere in punctum C verticem lineæ GC. PRAEPARATIO. FG utrimque continuata illic induat se in apogæum A, hîc in perigæum E, & agantur rectæ FB, FC, FD, GB, GD, & FH perpendicularis in BG, & FI perpendicularis in continuatam DG. Ajo igitur angulum GCF majorem esse ipso GBF, aut GDF, aut quovis alio simili.

DEMONSTRATIO. Nam FB, FC, FD radii æquales in triãgulis FBH, FCG, FDI rectos subtendunt angulos; itaq; maximum crus è tribus rectorũ angulorum cruribus FH, FG, FI, maximũ quoque angulũ subtendet: Sed FG maximũ est crus; quare & FCG ei subtensus erit maximus angulus. Rectam verò FG cæteris majorem esse ita doceo, quia in triãgulo FGH ipsa FG basis sit recti anguli, & FH crus: eodemque modo in triangulo FGI est FI crus, & FG basis recti anguli.



CONCLUSIO. Quare eccentrici maxima prostaphæresis est in vertice rectæ à termino eccentricitatis ipsi perpendicularis.


CONSECTARIUM.

Quia triangulum F C G tres cognitos habet terminos, angulum F G C rectum, F C semidiametrum 10000, & F G 323 per 2 propos. 2 paradigma, inde per 5 propos. planorum triangulorum invenietur angulus F C G 2 grad. 23 ① pro maxima prostaphæresi.

THEOREMA. 5 PROPOSITIO.

Si planeta è terra sub inæquali distantia cõspiciatur erit quemadmodum minor visionis angulus ad majorem, ita minor distantia ad majorem proximè.

DATUM. Exponatur planetæ deferens A B C D E, centrum G, terra H, & per G H educta diameter B G H E signet apogæum in B, perigæum in E. hinc centro B scribatur planeta A C, ut puta, Luna in apogæo, & jungantur A H, C H, sub quibus comprehenditur angulus visionis Lunæ A H C, quem ex observationibus fingo inventum 30 ①. Hinc etiam alio quovis loco centro E Lunę orbis describatur D F æqualis priori A C, ad quem agantur rectæ H F H D, sub quibus comprehenditur angulus visionis F H D, quem accurata observatione fingo inventum 32 ①, sitque H B distantia major, H E minor.



QUAESITUM. Demonstrandum est eandem proximè rationem esse anguli visionis minoris AHC 30 ①, qui videtur ex distantia longiore H B, ad majoris visionis angulum F H D 32 ①, qui videtur sub minore distantia H E: quæ sit minoris distantiæ H E ad majorem H B.

DEMONSTRATIO. Curvatura peripherię A C 30 ① ob exilitatem in rectam lineam ferè evanescit, atque ideò sine cujusquam momenti errore pro recta usurpari potest, & A B H pro triangulo rectangulo ad B: Quibus positis, & concessis, cum per thesin A H C sit 30 ①, & A H B ejus semissis 15 ①, habebit triangulum A B H duos angulos notos, unde tertius B A H invenitur 89 gr. 45.

Posita igitur A H pro base trianguli A B H, ajo per 1 propos. planorum triangulorum, ut sinus 43632 anguli dextri A H B, ad sinum 9999905 anguli sinistri B A H, 89 grad. 45 ① (integros canonis numeros propter notas jam causas usurpo) sic latus sinistrum A B ad latus dextrum B H: ut A B ad B H habeat

beat rationem, quam 43632.
Ad 9999905.
Si similem epilogismum instituas in triangulo FHE, ubi FHE angulus est 16 ①, deprehendes rationem EF ad EH ut 46541.
Ad 9999892.
Hinc proportio posita AB 43632, qui numerus est hoc ordine secundus, fit BH 9999905 ordine tertius; posita igitur AB 46541 (qui est numerus ordine quartus) quanta futura est BH? concludes 10666611.

In iisdem partibus quibus EH taxatur 9999892 qui est numerus ordine quintus. Quæ cum ita sint, Ajo ut 30 ① ad 32 ①, ita 9999892 ad 10666611 numerum ordine sextum proximè: nam ex ista proportione existeret 10666558. qui parum admodum absunt à priore, nam detritis utrobique extremis duabus notis reliqui numeri ad amussim congruunt, videlicet ratio 30 ① ad 32 ① ut 99999 ad 106666, ut discrepantia à justo non sit unius unitatis.

Non absimilis ratio erit in cæteris planetis, quod ex analogia hujus exempli percipies. CONCLUSIO. Quare si planeta è terra sub inæquali distantia conspiciatur erit angulus visionis minoris ad majorem, ut distantia minor ad majorem proximè.

6 PROPOSITIO.

Dato angulo visionis planetæ ἀπογειοτάτου, cum istius distantiæ ratione ad distantiam aliquam minorem angulum visionis distantiæ minoris invenire.

DATUM. Assumamus planetæ ἀπογειοτάτου locum in 3 propos. diagrammate in apogæo A & angulum visionis 30 ①, ita enim eum pono observando animadversum: Linea longissimæ hujus distantiæ sit EA 10323 (nam ista summa consurgit additis AD 10000 ad ED 323) at brevioris alicujus EB 10287 (quem admodum eam in eadem 3 propos. deprehendimus).

QUÆSITUM. Angulus visionis planetæ inveniendus esto ad distantiam minorem EB, hoc est planetà in deferente suo permoto ad gradum 30mum.

CONSTRUCTIO.

Linea brevior EB 10287 dat longissimam 10323, quid dabit angulus visionis datus 30 ①. Existet optatus visionis angulus 30 ① 6 ②.

Atque ita patet quomodo anguli visionis planetarum, seu diametri visuales ad datum quemlibet deferentis locum inveniantur, cujus demonstratio ex operis filo & consequentia in promptu est.

NOTA.

In propositione hac angulum visionis planetæ ἀπογειοτάτου cognitum supponimus, non quod necesse sit isti loco hæc alligari, cum generaliter ex angulo visionis, quem ad cognitum aliquem sui deferentis locũ obtinet id indagari possit, sed commodius hunc epilogismum ad apogæum aut perigæum instituimus, ut in fabrica canonii angulorum visionis seu diametrorum visualium idem numerus usurpetur. Non obscurum est hujus theorematis veritatem ad planetas eos qui an epicyclis versantur quoque diffundi, quia res hæc per eorum à terra distantiam expeditur. Quare factum est quod oportuit.

DISTIN-

DISTINCTIO SECVNDA SECVNDI LIBRI, DE INVESTIGATIONE MOTVS SOLIS EX MAthematico ratiocinio, secundum commentitiam stantis terræ hypothesin.

BREVIARIVM 2 DISTINCTIONIS.

Præmissa definitione Solis æquidialis, ei duas & viginti propositiones subiiciemus, quarum prima, quæ est huius 2 libri septima erit de investigatione ἐκκεντρότητος Solis, cum suis appendiculis: secunda, quæ est ordine 8 de prostaphæresi, & angulo visionis, seu diametro visuali Solis: quatuor sequentes 9. 10. 11. & 12 erunt de investigatione apparentis longitudinis Solis secundum eclipticam ad datum quodlibet tempus: decem sequentes 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. versabuntur in dierum æquatione: sex novissimæ 23. 24. 25. 26. 27. 28. erunt de distantiâ, magnitudine parallaxis Solis, & longitudine coni umbræ Terrestris.

DEFINITIO.

Sol æquidialis est punctũ imaginarium quod in æquinoctiali æquabiliter ita fertur, ut simul cum Sole apparente ad vernum æquinoctium restituatur.

Ex 15 & 16 definitione primi libri (sunt enim omnium planetarũ communes) quasnam notiones Sol apparens, Sol medius sibi subjectas habeant intelligi potest: Sed ad duos istos Soles imaginarios etiam hunc tertium ab illis diversum adjunxi, cum ad dierũ æquationem facem prælucear, in quâ non minima secundæ hujus distinctionis pars consumetur.

7 PROPOSITIO.

Ex notis tribus Solis locis eccentricitatem deferentis in partibus semidiametri ejusdem 10000, hinc apparentem apogæi in ecliptica, & Solis ad optatum aliquem ex datis locum in deferente suo, atque medii Solis in ecliptica longitudines mathematico ratiocinio ad stantis terræ hypothesin invenire.

1 *Paradigma, ubi è datis tribus peripheriis, & angulis nullus 180 grad. definitur.*

DATUM. In observationum ephemeridibus (in quarum locum *Stadium*, ob causas in 1 propos. 1 libri expositas, subrogamus) tria Solis loca observando notata seligo, primum, verbi gratiâ, Kalendis Aprilis anno 1554 sub ecliptica	20 gr. 38 ①.
Secundum Kalendis Augusti 1554 sub	137 gr. 49.
Tertium Kalendis Novembris 1554 sub	228 gr. 26.
Inter Kalendas April. & August. ordinis hujus terminum primum & secundum intercidunt 122 dies: hoc tanto intervallo Sol per 3 propos. 1 lib. peragravit in deferente suo	120 gr. 15.
Inter Kalendas August. & Novembris, ordine secundũ & tertium terminum interfunt dies 92. quo temporis intervallo per 3 propos. 1 lib. Solis in deferente suo motus est	90 gr. 41.
Componas 120 grad. 15 ① cum 90 gr. 41 ① numeros hujus ordinis quintum & sextum, existent 110 gr. 56 ①, cujus à circulo differentia	149 gr. 4.
Subductis 20 gr. 38 ① qui est numerus ordine primus, de 137 gr. 49 ① ordine secundo, relinquitur apparens Solis motus à primo loco ad secundum	117 gr. 11.
Subductis 137 grad. 49 ①, qui est numerus ordine secundus, de 228 gr. 26 ① tertio, reliquus erit Solis apparens motus à secundo loco Solis ad tertium	90 gr. 37.
Hinc si addas ordine septimum 117 gr. 11 ①, ad 90 grad. 37 ① octavum, conflabitur summa 207 grad. 48 ①, cujus ab integro circulo differentia est	152 gr. 12.

QUAESI-

QUAESITUM. Cognitis ita tribus Solis locis atque eorum circumstantiis, invenienda nobis sunt primò ipsa * ἐκκεντρότης in iisdem partibus quibus eccētrici semidiameter ponitur 10000. Secundò apogei lōgitudo in ecliptica. Tertiò Solis in deferente suo longitudo ad tempus aliquod expositarum ἐποχῶν, ut puta secundæ. Denique quartò medii Solis longitudo in ecliptica.

* eccentricitas.

PRAEPARATIO. Describito circulum deferentem A B C ex centro D, in cujus ambitu tria exponantur puncta A B C congruenter positæ thesi, ut A B æquetur termino Dati quarto 120 gr. 15.


Et B C quinto 90 gr. 41.

Ergo C A reliqua erit à circulo differentia, qui terminus est ordinis sextus 149 gr. 4.

Hinc deinceps per 4 propos. 1 lib. animadverto apogæum cadere in peripheriam A B, ut in E, unde recta per centrum D educta occurrat reliquæ peripheriæ in F, quod ideò erit perigæū. hinc inter D & F assumatur tertia G, ad quam connectantur tres rectæ G A, G B, G C, erunt igitur per thesin angulus A G B ordinis Dati septimus 117 gr. 11.

Et B G C ordinis Dati octavus 90 gr. 37.

Et angulus C G A ordinis dati nonus 152 gr. 12.



Quorum ope (ut quæsita etiā in ipso diagrammate designemus) invenienda sunt ista: primò eccētricitas D G in partibus semidiametri eccentrici Solis B D 10000: Secundò apogæi E lōgitudo apparēs in ecliptica: Tertiò lōgitudo motus Solis in aliqua expositarum ἐποχῶν seu observationum momento, quàm hic assignavimus secundam, id est in B. Denique medii Solis longitudo in ecliptica nobis investiganda proponitur.

CONSTRVCTIO.

Quia nunc ista data ad diagramma primæ propositioni simile revocavimus, ejus operationem duarum linearum nō continuatarum inquiram, quæ nobis hic sunto B G, C G; & quidem posita B G 10091.

Existet C G 9638.

Iam inventa ratione rectarum B G C G, deinceps in iisdem partibus, quibus D E ponitur 10000 deprehendam per 2 propos. 1 paradigma ipsam eccentricitatem D G 323.

Secundò per supra scriptum 1 paradigma 2 propos. invenio apparentem longitudinem à B ad E æstimatam ex puncto nō centro G

tro G, hoc est angulum E G B 43 grad. 14 ①: Sed B consistit sub eclipticæ 137 gr. 49 ① per secundum terminum ordinis Dati: quare E tanto intervallo sequitur ipsum B, videlicet 43 gradib. 14 ①, qnibus ideò multandi sunt illi 137 gr. 14 ①, & reliquus apparentem apogæi E longitudinem in ecliptica (pro qua in 4 propos. 1 lib. de motu planetarum ex observat. ephemer. invest. inveneramus 94 grad. 24 ①) designat 94 gr. 35.

Tertiò per suprascriptum 1 paradigma 2 proposit. inveniam pro E B optata Solis ab apogæo E distantia 44 gr. 30.

Quartò huc addam 94 gr. 35 ① ordine quartum, & conflabitur optata medii Solis in ecliptica longitudo ad Kalendas Augusti anni 1554 139 gr. 5.

DEMONSTRATIO. Nam cum vera Solis longitudo Kal. Augusti 1554 fuerit 44 grad. 30 ①, qui est ordine tertius, cui æquatur arcus inter apogæum apparentem & medium Solem per consectarium 17 defin. itaque ad hunc addita apparentis apogæi longirudo in eclipríca 94 gr. 35 ① ordine quartus, efficietur optatæ distantiæ summa. Cætera autem hujus demonstrationis ex operis filo clara sunt.

NOTA.

Hic eadem illa locum habent, quæ in annotatiuncula sub finem 1 paradigmatis 2 propositione dicta sunt, videlicet in operis hujus exegesi eosdem characteres usurpandos, quo ordine in exemplari, seu in exemplo ad imitationem proposito suprascripto secundo paradigmate signatos vides.

2 *Paradigma cum dantur tria Solis loca, ubi una peripheria* 180 *grad. & è tribus angulis unus* 180 *grad. neuter verò reliquorum* 90 *grad. definiatur.*

DATUM. Tria observationibus consignata Solis loca ex *Stadii* ephemeridibus seligam, primum ad Kalendas Aprilis 1554 sub 20 gr. 38.

Secundum Kalendis August. 1554 sub 137 gr. 49.

Tertium ad diem 4 Octobris 7 hor. 12 ① anno 1554 sub 200 gr. 40.

A Kalendis Aprilis qui terminus est ordine primus, ad Kalendas Augusti, qui est ordine secundus intercidunt 122 dies: quo temporis intervallo Sol in deferente suo per 3 propos. 1 libri cucurrit 120 gr. 15.


Et à Kalendis Augusti, qui est terminus ordine secundus, ad diem 4 Octobris 7 hor. 12 ① tertium terminum, intersunt 64 dies 7 horæ 12 ①; quo tempore Sol in suo deferente per 3 propos. 1 lib. cucurrit 63 gr. 22.

Compone 120 gr. 15 ① quartum, cum 63 gr. 22 ① quinto exsurgent 183 gr. 37 ①, cujus ab integro circulo differentia est 176 gr. 23.

Si deducas 20 gr. 38 ① ordine primum, de 137 gr. 49 ① secundo, reliquus est apparens Solis motus à primo loco ad secundum 117 gr. 11.

Et si deducas 137 gr. 49 ① ordine secundum de 200 grad. 40 ① tertio, relinquitur apparens Solis motus à secundo loco ad tertium 62 gr. 51.

Hinc addito numero sexto 117 gr. 11 ① ad septimum 62 gr. 51 ① existet 180 gr. 2 ①, pro quibus ut proposito paradigmati cõgruant detritis 2 ①, usurpẽtur 180 gr. hujus à circulo differẽtia 180 gr.



QVAESITVM. Ex cognitis istis tribus Solis locis eorumque circumstantiis illa quæ in exposita propositione postulantur invenienda sunt, videlicet eccentricitas in partibus iisdem in quibus semidiamerer deferentis Solis ponitur 10000. Secundò apogæi longitudo apparens in ecliptica. Tertiò Solis lõgitudo seu motus in deferente ad ἐποχὴν expositorum locorum aliquam, puta tertiam. Quartò medii Solis longitudo in ecliptica.

PRAEPARATIO. Decircinato Solis eccentricum A B C, hujus centrum D, in cujus peripheria A B C expositas ἐποχὰς seu loca Solis significent, ut A B arcus congruat numero ordinis datorum quarto 120 gr. 15.
Et B C numero quinto 63 gr. 22.
Et C A igitur reliqua ad complendum circulum peripheria congruet necessario sexto 176 gr. 23.
Deinde ex 4 propos. 1 lib. animadverto apogæum necessario incidere in peripheriam A B, dicis gratiâ in E, unde recta per D educta oppositam peripheriam incîdet in F perigæo: assumtoque iccirco eccentricitatis termino G, pro terra, inter D & F, & actis ad eum rectis G A, G B, G C, erunt angulorum sub ipsis comprehensorum amplitudines istæ: A G B ordinis Datorum septimus 117 gr. 11.
Et B G C Datorum octavus 62 gr. 51.
Et C G A Datorum nonus 180 gr.

Hâc thesi (ut propositionis argumẽtum hîc iteratò ante oculos ponamus) inveniendæ nobis sunt, primò eccentricitas D G in iisdem partibus quibus deferentis Solis semidiameter B D taxatur 10000. Deinde apogæi apparens seu visa in eccliptica longitudo. Tertiò longitudo seu motus Solis in suo deferente ad aliquem positarum epocharum terminum, quem jam assumpsimus tertium, quod in istâ diagraphâ est punctum C.

CONSTRVCTIO.

Quia hâc thesin revocavimus ad diagramma simile 2 propos. 2 paradigmati, per istius propositionis præcepta inveniam primò optatam eccentricitatem D G in partibus iisdem in quibus semidiameter eccentrici ponitur 10000, videlicet 325.

Deinde

Deinde per idem 2 problem. 2 paradigma inveniam apparentem distantiam ab C ad E, æstimatam ex puncto non centro G, qui erit angulus EGC 104 grad. 59 ①: Sed cum C sit sub 200 gr. 40 ① eclipticæ per tertium terminum Dati, punctum E sequetur ipsum C 104 gradibus 59 ①: quare deductis 104 grad. 59 ① de 200 gr. 40 ①, reliqua erit apogæi E optata apparens longitudo in ecliptica 95 gr. 41.

Tertiò per suprascriptum 2 propos. 2 paradigma inveniam peripheriam EC, optatam Solis in deferente longitudinem ab apogæo E 106 gr. 47.

Quartò componam cum ipso 95 gr. 41 ① hoc ordine secundum exhibit optata * medii Solis longitudo in ecliptica ad diem 4 Octob. 7 hor. 12 ① ann. 1554 202 gr. 28.

* seu linea medii motus Solis.

3 *Paradigma Datis tribus Solis * epochis, ubi è tribus peripheriis nulla 180 gradibus, at è tribus angulis unus 180 gr. reliqui duo sigillatim 90 grad. definiuntur.*

* seu locis.

Tertii hujus paradigmatis factio consimiliter antecedenti calculo subduci potuit, nos tamen (ob causas ad vestibulum 3 propos. 2 paradig. expositas) ejus exegesin peculiari prosequemur exemplo.

QUAESITUM. Ex *Stadii* ephemeridibus Solis tria loca seu tres ἐποχὰς seligam: primam dicis gratiâ Kalend. April. 1554. Sole constituto sub eclipticæ 20 gr. 38.

Secundam ad diem 3 Iulii 15 hor. 35 ① anno 1554 sub 110 gr. 38.

Tertiam ad diem 4 Octob. 6 hor. 24 ① sub 200 gr. 38.

A Kalendis Aprilis qui est terminus ordine primus, ad 3 Iulii 15 hor. 35 ① ordine secundum intersunt 93 dies 15 hor. 35 ①, quo temporis intervallo Sol in deferente suo per 3 propos. 1 lib. peragravit 92 gr. 18.

A die 3 Iulii 15 hor. 35 ①, qui est terminus ordine secundus, ad diem 4 Octobris 6 hor. 24 ① ordine tertium, intercidêre 92 dies 15 hor. 49 ①; quo intervallo Sol in deferente suo per 3 propos. 1 lib. promovit 91 gr. 17.

Si addis 92 gr. 18 ① terminum quartum ad 91 grad. 17 ① quintum, exurget summa 183 gr. 35 ①, cujus reliqua ad complendum circulum peripheria 176 gr. 25.

Et si subducas 20 gr. 38 ① ordine primum, de 110 grad. 38 ① secundo, reliquus erit motus apparens à primo loco ad secundum 90 gr.


Si subducas 110 gr. 38 ① ordine secundum, de 200 gr. 38 ① tertio, reliquus erit apparens Solis motus à secundo loco ad tertium 90 gr.

Et si addas 90 gr. ordine septimum, ad 90 gr. octavum, existent 180 gr. cujus ab integro circulo differentia 180 gr.

QUAESITUM. Ex cognitis istis tribus Solis ἐποχαῖς (seu locis) expedienda nobis sunt, eccentricitas seu linea eccentricitatis in iisdem partibus in quibus semidiameter deferentis Solis ponitur 10000: deinde apogæi apparens longitudo in ecliptica: hinc Solis longitudo in deferente ad quam libet

ex assignatis epocham, puta secundam: denique medii Solis longitudo in ecliptica.

PRAEPARATIO. Decircinetur circulus eccentricus ABC super centro D, in cujus peripheria exponantur tria puncta A B C, ut A B congruat numero Dati quarto 92 gr. 18.
Et B C Dati quinto 91 gr. 17.
Quare C A necessariò congruet reliquæ ad complendum circulum differentiæ, qui est Dati terminus sextus 176 gr. 23.
Hinc per 4 propos. 1 libri animadverto apogæum hîc incurrere in arcum A B, ut in E, unde recta per D acta secet reliquam peripheriam in perigæo F; assumptoque inter D & F puncto non centro G pro terra, huc annectantur rectæ G A, G B, G C, efficietur angulus A G B secundum hypothesin 90 gr.
Et B G C Dati octavus 90 gr.
Et C G A Dati nonus 180 gr.



Ex istis (ut propositionis argumentum iteratò in posito diagrammate exponam) invenienda sunt eccentricitas D G in iisdem partibus in quibus semidiameter deferentis ponitur 10000; hinc apparens apogæi E longitudo in ecliptica; deinde lôgitudo Solis in suo deferente ad aliquam positā ἐποχὴν, quam hîc delegimus secundam in B; denique Solis medii longitudo in ecliptica.

CONSTRVCTIO.

Quia figura hæc nunc congruit 3 propos. 2 paradigmati, ejus subsidio inveniam primò optatam eccentricitatem D G in iisdem partibus in quibus B D ponitur 10000, videlicet 326.
Secundò per supra citatæ 3 propos. paradigma 2^{dum} inquiram apparentem, seu visam distantiam à B ad E, æstimatam ex puncto non centro G, hoc est angulum E G B 15 grad. 29 ①: sed cum B sit sub eclipticæ 110 gr. 38 ① per secundum terminum Dati; efficitur E intervallo 15 gr. 29 ① sequi ipsum B: quare subductis 15 grad. 29 ① de 110 gr. 38 ①, relinquetur apogæi E optata apparens longitudo in ecliptica 95 gr. 9.
Tertiò inveniam per supra citatū 2 paradigma 3 propos. pro peripheria E B, seu optata Solis in deferente motu ab apogæo E 15 gr. 59.
Quartò istum addam ad 95 grad. 9 ① ordine secundum, unde existet optata medii Solis longitudo in ecliptica ad diem 3 Iulii 15 hor. 35 ① anni 1554 111 gr. 8.


4 Para-

4 *Paradigma datis tribus Solis epochis, ubi una è tribus peripheriis* 180 *gr. & è tribus angulis unus* 180 *gradibus definiatur.*

DATVM. Ex *Stadii* ephemeridibus tres Solis epochas feligam, quarum prima fit, verbi gratiâ, ad diem 17 Iunii 13 hor. ann. 1554 Sole constituto sub ecliptica 95 gr. 14.
Secunda Kalendis Augusti 1554 sub 137 gr. 49.
Tertia ad diem 17 Decembris 3 hor. 56 ① sub 275 gr. 14.
A die 17 Iunii 13 hora, qui est terminus ordine primus, ad Kalendas Augusti, qui est ordine secundus intersunt 44 dies 11 horę, quo temporis intervallo Solis in deferente suo motus est per 3 propof. 1 lib. 43 gr. 49.
A 1 August. ad Decemb. 17 diem 3 hor. 5 ① intersunt 138 dies 3 hor. 56 ①, quo spatio Sol in deferente cucurrit 136 gr. 11.
Addas 43 gr. 49 ① ordine quartum ad 136 grad. 11 ① quintum, existet 180 gr. cujus ab integro circulo differentia est 180 gr.
Subducas 95 gr. 14 ① ordine primum de 137 gr. 49 ① secundo, relinquitur Solis motus apparẽs à primo termino ad secundũ 42 gr. 35.
Subducas 137 gr. 49 ① ordine secundum de 275 gr. 14 ① tertio, manet apparẽs Solis motus à secundo loco, seu epocha ad tertiã 137 gr. 25.
Hinc addas 42 gr. 35 ① ordine septimum, ad 137 gr. 25 ① octavum existent 180 gr. cujus à circulo differentia est 180 gr.

QVÆSITVM. Ex datis istis tribus Solis epochis propositionis argumentum nobis est expediendum, videlicet quanta sit eccentricitas in partibus semidiametri deferentis 10000, hinc quanta sit apogæi longitudo in ecliptica, tum quæ longitudo Solis in suo deferente in quâ libet expositarum epocharum, ut puta secundâ, denique quanta longitudo sit Solis medii in ecliptica.

PRÆPARATIO. Decircinato eccentricũ deferentem Solis ABC super cẽtro D, in cujus ambitu tres exponãtur termini A B C, ut peripheriæ A B congruat Dati numerus ordine quartus 43 gr. 49.



Et B C congruat quintus 136 gr. 11.
Quare ipsi C A congruet reliqua ad circulum differentia, qui est

 termi-

terminus Dati ordine sextus 180 gr.

Hinc per 4 propos. 1 lib. animadverto A esse apogæum, C perigæum: ideoque inter D & C assumam punctum non centrum E pro terra, & connectam EB: eritque secundum propositionis hypothesin angulus AEB ordine septimus, videlicet 42 gr. 35.

Et BEC Dati ordine octavus 137 gr. 25.

Et CEA Dati nonus 180 gr.

Quorum ope (ut propositionis τὸ ζητούμενον seu scopum in hoc ipso diagrammate quoque indicemus) invenienda sunt, eccentricitas DE in partibus semidiametri deferentis BD 10000, hinc apparens in ecliptica longitudo apogæi A, tum motus Solis in suo deferente ad aliquam positarum epocharum, quam hic assumpsimus secundam, id est B.

CONSTRUCTIO.

Quia propositionis hujus hypothesin ad 4 paradigma 2 propos. revocavimus, ejus ope inveniam primò optatam eccentricitatem DE in partibus semidiametri BD 10000, videlicet 318.

Secundò per jam citatum 4 paradig. 2 propositionis inveniam apparentem, seu visam distantiam à B ad A, æstimatam ex puncto non centro E, hoc est angulum AEB 42 grad. 35 ①: Sed cum per secundum Dati terminum B punctum consistat sub eclipticæ 137 grad. 49 ①, consequens est A ipsum intervallo 42 gr. 35 ① sequi: Itaque eo subducto de 137 gr. 49 ① reliquus erit apparens apogæi A longitudo in ecliptica 95 gr. 14.

Tertiò inveniam per supra citatum 4 paradigma 2 propos. peripheriam AB pro optato Solis motu ab apogæo A 43 gr. 49.

Quartò ad istum addam 95 gr. 14 ① ordine secundum, & existet optata medii Solis longitudo in ecliptica Kalendis Augusti 1554 139 gr. 3.

Cujus demonstratio ex operis ipsius filo perspicua est. CONCLUSIO. Quare ex cognitis tribus epochis Solis ejus eccentricitatem in partibus semidiametri eccentrici 10000, hinc apparentem apogæi in ecliptica, & Solis in deferente suo ad aliquam expositarum ἐποχῶν, & medii Solis longitudinem in ecliptica invenimus, idque ratiocinio mathematico, secundum terræ stantis hypothesin.

8 PROPOSITIO.

Cognita Solis in deferente longitudine, ejus à terrâ distantiam in partibus semediametri deferentis 10000, & prosthaphæresin, & angulum visionis mathematico ratiocinio ad stantis terræ hypothesin invenire.

DATUM. Solis motus in deferente sit graduum 30. deinde posita semidiametro deferentis 10000 erit per 1 paradigma 2 propositionis ipsa eccentricitas 323. QUAESITUM. Invenienda est recta à terræ centro ad Solem pertinens in partibus semidiametri deferentis 10000, item prosthaphæresis ejus loci, cum angulo visionis seu diametro visuali Solis.

CON-

CONSTRVCTIO.

Si istâ hypothesi imiteris pragmatiam 3 propositionis hujus libri, invenietur optata distantia inter Solem & Terræ centrum in iisdem partibus in quibus semidiameter deferentis ponitur 10000, videlicet 10281.

Et prostaphæresis, quæ in exposito paradigmate quia Sol in priore semicirculo hic versatur subducenda est 54 ①.

Sed angulus visionis Solis, seu diameter visualis Solis (quę in apogæo 30 ① æstimatur est) est per 6 propositionem 30 ① 7 ②.
Nam ex proportione ita concluditur, ut minor distantia 10281 ad majorem 10323, sic 30 ①, ad 30 ① 7 ②.
Cujus demõstratio ex operis ipsius filo ex manifesta. CONCLUSIO. Quare Solis in deferente longitudine ejusque à tetra distantia in partibus semidiametri 10000 datis, ejus prostaphæresin, & angulum visionis mathematico ratiocinio invenimus secundum stantis terræ hypothesin: Quemadmodum postulabatur.

CONSECTARIUM.

Non est igitur obscurum quomodo tabella fieri possit distantiarum Solis & terræ, prostaphæreseωn, & diametrorum visualium, seu angulorum visionis per singulos deferentis gradus, ut inde facili negotio quæstioni satisfiat. cujus rei specimen aliquod ante oculos ponimus, per denum graduum intervalla.

TABELLA.

Gradus deferentis Solis.	*Solis à terræ centro distantia.*	*Prostaphæresis*	*Anguli visionis Solis.*
gr.		aphæreses. gr. ①	①. ②
0.	10323.	0. 0.	30. 0.
10.	10321.	0. 19.	30. 0.
20.	10305.	0. 37.	30. 3.
30.	10281.	0. 54.	30. 7.
180.	9677.	0. 0.	32. 0.

9 PROPOSITIO.

Ad datam epocham & medii Solis, & apparentem apogæi deferentis in ecliptica, & Solis in deferente suo longitudines invenire, idque mathematico ratiocinio stante Terra.

DATUM. Exponatur epocha, sive annorum radix ad caput anni 1600.
QVÆSITVM. Medii Solis, & apparens apogæi deferentis longitudo in ecliptica, & Solis ipsius motus seu distantia ab apogæo invenienda sunt.

CONSTRVCTIO.

Principiò ad investigationem longitudinis medii Solis in ecliptica, ea Kalend. August. anni 1554 (per 1 paradig. propositionis hujus 2 libri) erat 139 gr. 5.

Sed ab istis Kalendis August. anni 1554 ad caput anni 1600 intercidunt 45 anni Ægyptii 163 dies, quo intervallo medius Solis motus per 3 proposit. 1 libri est 149 gr. 43.

Qui additus ad 139 gr. 5 ① primum exhibet optatam medii Solis longitudinem in ecliptica ad caput anni 1600, seu propositam epocham 288 gr. 48.

Secundò ad investigandam apogæi deferentis longitudinem in ecliptica, per 1 paradigma 7 propos. 2 lib. Kalendis Augusti anni 1554 inveniemus eam 94 gr. 35.

At motus apogæi supra scripto 45 annorum Ægyptiorum & 163 dierum intervallo per 5 propos. 1 lib. erit 1 grad. 1 ①: nam ex proportione, ut 1 annus ad 1 ① 20 ②, sic supra scripti 45½ anni proximè ad quem concludes 1 gr. 1 ①.

Hic additus ad 94 gr. 35 ① ordine quartum, exhibebit optatam apparentem apogæi longitudinem ad positam epocham, quod est caput anni 1600 95 gr. 36.

Tertiò ad Solis lõgitudinem seu motum in deferente suo, jam supra in 1 paradigmate 7 propos. hujus libri inveneramus eam ad Kalendas August. anni 1554 esse 44 gr. 30.

Solis porrò motus ad supra scriptum intervallum 45 annorum Ægyptiorum 163 dierum est (per 6 propos. 1 libri) 148 gr. 42 ①. qui quidem facilius invenietur si subdueas 1 grad. 1 ① ordine quintum, de 149 grad. 43 ① secundo, reliquus enim erit idem qui prius 148 gr. 42.

Hic eum 44 grad. 30 ① termino septimo compositus dabit optatam Solis in deferente suo longitudinem ad positam epocham, seu caput anni 1600 193 gr. 12.

Cujus demonstratio ex operis ipsius filo facile perspicitur.

CONCLUSIO. Quamobrem ad assignatam epocham, & medii Solis, & apparentem apogæi deferentis in ecliptica, & Solis in deferente suo longitudines invenimus, idque mathematico ratiocinio stante Terra. Atque ita ἐποχῶν συστάσεις constituimus, ut decuit.

NOTA.

Cum epocharum inventarum (videlicet medii Solis, & apparentis apogæi deferentis longitudinum in ecliptica, & Solis in deferente) frequens sit usus in abacis motus Solis, eas hîc seorsim descriptas ante oculos ponam.

Motus Solis ἐποχαὶ ad caput anni 1600.

Medii Solis longitudo in ecliptica	288 gr. 48.
Apogæi Solis longitudo in ecliptica	95 gr. 36.
Solis locus in deferente suo	193 gr. 12.

10 PROPOSITIO.

Ad datum tempus, & medii Solis, & apparentem apogæi in ecliptica, & Solis in deferente suo longitudines invenire mathematico ratiocinio stante Terrâ.

NOTA.

NOTA.

Posset sanè hìc non nemo cogitare propositionis hujus argumentum ad datum quodvis temporis momentum per 9 propositionis pragmatiam expli-cari & expediri posse, ubi epocha ad datam annorum radicem quærebatur; atque ideò hanc propositionem, tanquam specialiorem, esse supervacuam: verùm, ut hunc scrupulum paucis expediam, non est ignorandum illum calculum, qui à certâ aliquâ epochâ derivatur illud levaminis abacis logisticis afferre, quod partium molestam supputationem (in quam sine hâc esset necessariò incurreres) ut sunt dies, horæ, minuta declinet; quodque epochæ medii Solis, apogæi deferentis, & Solis in deferente jam sint cognitæ eo temporis momento, unde plurimæ nationes communiter annum auspicantur, ut ideò hoc problema tanquam levaminis illius paradigma quoddam describere statuerim. Cæterùm annotatiunculæ hujus rationem quoque in aliis similibus cæterorum planetarum propositionibus locum habere memineris, ubi idem modus usurpabitur.

DATUM. Tempus propositum sit 30 Decembris anni 1600.

QUAESITUM. Invenienda eo momento medii Solis, & apparens apogæi longitudo in ecliptica, & Solis in deferente.

CONSTRUCTIO.

Ad investigandam medii Solis longitudinem in ecliptica, assumam ejus epocham ex 9 propos. hujus libri, ad initium anni 1600	288 gr. 48.
Sed ab initio anni 1600 ad expositum diem 30 Decembris 1600 interjacet annus Ægyptius, quo intervallo medius Solis motus per 3 propos. 1 libri est	359 gr. 45.
Hoc addito ad 288 grad. 48 ① ordine primum existet medii Solis optata in ecliptica longitudo	288 gr. 33.
Secundò ad investigandam apogæi Solis apparentem in eclipticâ longitudinem ejus epocham assumam ex 9 propos. hujus libri ad initium anni 1600	95 gr. 36.
Motus apogæi Solis anno Ægyptio suprascripto est per 5 propos. 1 libri 1 ① 20 ②, pro quo hîc assumemus	0 gr. 1.
Eo addito ad 95 grad. 36 ① ordine quartum existet optata apogæi apparens longitudo in eclipticâ	95 gr. 37.
Tertiò ad inveniendam Solis in deferente suo longitudinem seu distantiam ab apogæo, assumam ejus epocham ex 9 propos. hujus ad caput anni 1600	193 gr. 12.
Motus Solis annuus Ægyptius est per 6 propos. 1 lib. 359 gr. 44 ①, qui facilius invenietur si subducas 1 ① quintum, de 359 gr. 45 ① secundo, idem enim erit reliquus	359 gr. 44.
Eo addito ad 193 gr. 12 ① ordine septimum existet optata Solis in deferente longitudo	192 gr. 56.

Cujus demonstratio ex pragmatiæ deductione & consequentia satis manifesta est. CONCLVSIO. Quare ad expositum temporis momentum & medii Solis, & apparentem apogæi longitudinem in ecliptica, & Solis in deferente suo invenimus. Quemadmodum decuit.


II PROPOSITIO.

Apparentem Solis in ecliptica longitudinem ad datum tempus mathematico ratiocinio invenire, secundum stantis terræ hypothesin.

DATUM. Exponatur 30 Decembris anni 1600.
QUÆSITUM. Solis apparens in ecliptica longitudo invenienda esto.

CONSTRUCTIO.

Quæram apogæi deferentis apparentem in eclipticâ longitudinem ad diem 30 Decembris 1600, eaque per 10 propos. hujus invenitur	95 gr. 37.
Deinde Solis longitudinem, seu motum in deferente suo ad eundem 30 Decembris, quæ per 10 propos. hujus invenitur	192 gr. 56.
Hujus prosthaphæresis est per 8 propos. hujus	0 gr. 25.
Ea addititia hic est, seu prosthetica, quia in secundum semicirculum incidit; quare addita ad 192 gr. 56 ① (contra si in priorem caderet subducet) existet summa	193 gr. 21.
Quæ addita ad apparentem apogęi longitudinem 95 gr. 37 ① ordine primum, existet optata apparens Solis longitudo in ecliptica	288 gr. 58.



DEMONSTRATIO. Exponatur eccentricus seu deferens Solis ABCD super centro E, Terra F, apogæum A, quod, ut primus ordinis terminus consistat sub eclipticæ	95 gr. 37.
Sol sit in D, ut motus ejus in deferente ABD, seu angulus inversus AED sit terminus inventus ordine secundus	192 gr. 56.
Angulus prosthaphęresis hic tantus est, quantum tertius ordinis numerus designat, videlicet	0 gr. 25.
Is additus, quia in secundum semicirculum coincidit, ad AED	192 gr.

192 gr. 56 ① ordine secundum, existet angulus inversus A F D numerus ordine quartus 193 gr. 21.

Sed cum A ex F videatur sub 95 gr. 37 ① qui est terminus ordine primus, consequens est D tantum antrorsum vergere, quanta est amplitudo inversi anguli A F D, videlicet 193 gr. 21 ①, qui propterea additus ad 95 gr. 37 ① exhibuit apparentem Solis in ecliptica longitudinem, numerum ordinis quintum 288 gr. 58.

Quod demonstrandum erat. CONCLUSIO. Quare apparentem Solis in ecliptica lõgitudinem ad datum tempus mathematico ratiocinio invenimus, secundum hypothesin terræ stantis. Quemadmodum postulabatur.

NOTA.

Mirabitur forte non nemo cur in 9 & 10 propositione medii Solis longitudinem in ecliptica quæsiverimus, cum tamen in ista propositione ejus nullus fuerit usus: verumenimverò non fuit nobis negligenda, quia infra in abacis oppositionem & conjunctionum Solis & reliquorum planetarum, ejus loco nobis opus est. Eandemque ob causam etiam infra cæterorum planetarum medios motus suo quemque loco investigaturi sumus.

12. PROPOSITIO.

Solis ephemerides calculo mathematico ab assignato temporis exordio subducere, stante Terra.

Videbuntur fortè 12 hujus propositionis præcepta redundare, quod antecedenti 11 propositioni assideant; illic enim Solis locus ad diem propositum invenitur, atque isto genere quilibet dies propositus continetur: sed tamen quia hæc sua habet compendia & supputationum levamina, non abs re fuerit ejus modum describere.

DATUM. Exponatur caput anni 1600, qui est primus Ianuarii, seu quod idem sit terminus ultimi Decembris anni 1599, namque hi communi termino terminantur. QUAESITUM. Isto exordio ephemerides Solis mathematico ratiocinio nobis sunt derivandæ.

CONSTRUCTIO.

Tria selidia ordine describo, iisque titulos congruos inscribo, Primo initium Ianuarii 1600, Secundo Solis in deferente longitudinem seu motum, Tertio apparentem Solis longitudinem in ecliptica, ad idem momentũ temporis per 9 propos. inventas. Tabellæ & selidum ista est facies.

Ianuarius 1600	*Solis in* deferente motus*	*Aparens longitudo Solis in ecliptica.*
	gr. ①	gr. I.
0	193. 12.	* 289. 15.

* *m. motus.*

Hinc ut apparentem Solis longitudinem in ecliptica post unum diem, seu ad diem 1 Ianuarii invenias, sic agas.

Ad suprascriptos 193 gr. 12.

Addas Solis motum in deferente diurnum, qui per 6 propos. 1 lib. est 0 gr. 59. 8.

Existet

Existet Solis in deferente longitudo 190 gr. 11. 8.
Cujus prostaphæresis per 3 propos. hujus est 0 gr. 29.
Hæc addita ad 194 gr. 11. 8. ordine tertium (quia in secundum semicirculum incidit; cōtra enim subducenda esset si in primum caderet) dabit 194 gr. 40. 8.
Huc si addatur apogæi Solis apparens longitudo in ecliptica (seu, ut loquuntur, aux Solis in secunda significatione) quæ isto tempore, & aliquot deinceps diebus insensili errore usurpatur per 9 propos. hujus 95 gr. 36.
Existet apparens Solis in ecliptica longitudo ad 1 diem Ianuarii 290 gr. 16.

Quibus ita inventis in prima positarū selidum adscribo 1, quo 1 Ianuarii significetur, deinde in secunda selide scribam 19 gr. 11 ① 8 ② numerum hujus ordinis tertium, denique in tertia ponam 290 gr. 16 ① numerum septimum, hâc formâ.

Ianuarius 1600	*Solis in deferente motus.*	*Apparens longitudo Solis in ecliptica.*
	gr. ① ②	gr. ①
0	193. 12. 0.	289. 15.
1	194. 11. 8.	290. 16.

Et rursum, ut Solis apparentem in ecliptica longitudinem post unius item diei intervallum, hoc est ad diem 2 Ianuarii invenias, eandem consimiliter insistes viam; quam tamen majoris claritatis ergô hîc integram suo ordine describam.
Ad suprascriptos 194 gr. 11. 8.
Addito Solis in deferente suo motum diurnum, qui per 6 propos. 1 lib. est 0 gr. 59. 8.
Conflabitur Solis in deferente motus, seu longitudo 195 gr. 10. 16.
Cujus prostaphæresis per 3 propos. hujus est 0 gr. 31.
Ea addita ad 195 gr. 10 ① 16 ② numerum hujus ordinis tertium (quia in secundum semicirculum cadit: contra enim subducenda esse si in priorem incideret) existent 195 gr. 41. 16.
Huc si addatur apogæi Solis apparens longitudo (quæ vulgò dicitur aux Solis in secunda significatione) quæ isto die, & sequentibus aliquot diebus insensili errore usurpari potest per 9 propos. hujus 95 gr. 36.
Existet apparens Solis in ecliptica lōgitudo ad diem 2 Ianuarii 291 gr. 17.

His ita inventis ad primam selidem referam 2, tanquam indicem 2 diei Ianuarii, ad secundam 195 gr. 10. 16, qui est numerus hujus ordinis tertius, ad tertiam 291 gr. 17 ①, qui est numerus hujus ordinis septimus, quorum typus talis est.

Ianuarius 1600	*Solis in deferente motus*	*Apparens longitudo Solis in ecliptica*
	gr. ①. ②.	gr. ①.
0.	193. 12. 0.	289. 19.
1.	194. 11. 8.	290. 16.
2.	195. 10. 16.	291. 17.

Simili viâ continuabuntur selidum harum numeri ad 3 Ianuarii, atque alios deinceps quosvis dies sequentes. Non est obscurum mediam hanc selidem

quæ

quæ motum Solis in deferente suo exhibet, hic tantum usurpari memoriæ causa, atque ideò in ephemeridum ordinatione redundate.

1 NOTA DE OPERIS δοκιμασία, & certitudine.

Quia cótinua diurni motus 59 ① 8 ② additio, in singulos dies non usquequaque omnibus numeris absolutus est, frequentes defectus, quorum singuli perexigui sint momenti, multorum tamen dierum auxiliari opellâ aliquem sensilem errorem inducere poterunt: quare ut hallucinationem istam declinemus, investigandus erit per 11 propos. primùm Solis apparens in ecliptica longitudo ad novissimum Ianuarii diem, atque deinde operatione per singulos dies ut in hâc 12 propositione deductâ, si ad novissimam Ianuarii diem numeri inter se congruant, certum hoc erit indicium ab isto defectu nullum nobis errorem exstitisse; at verò si quædam inter hos abacos differentia intercesserit, ista ad menstruum calculum tanquam lapidem lydium explorata in dies intermedios erit distribuenda.

2 NOTA DE OPERIS LEvamine & compendiis.

Si Solis apparentes epochas, seu loca ad decimũ quemque diem investiges, eorumque differentiam in dies intermedios æqualiter dispertias, singulorum dierum loca satis accuratè consignabis. Vt si decem dierum antecedentium & consequentium motus essent æquales, singulis diebus tribues motus partem decimam: sed si prioris denarii motus major sit minorvé quam posterioris, differentia ista, prout res ipsa postulabit, erit pro rata parte dispertienda. Verumenimverò id in accuratione harum ephemeridum non est negligendum; si eas ad ipsa 1 ① exactè veritati congruere cupias, ne ipsa quidem ② in calculo esse negligenda, quod in quibusdam ephemeridibus usurpatur.

CONCLVSIO. Quare Solis ephemerides mathematico epilogismo ab assignato temporis exordio subductas concenturiavimus, secundum stabilis terræ hypothesin.


DIERVM ÆQVATIO DEINCEPS SVCCEDIT.

Expedito igitur hactenus Solis motu superest adhuc ut de inæqualiũ naturalium dierum seu ἀνωμάλων νυχθημέρων æquatione deinceps dicamus, cujus formam aliquam sub initium hujus 2 distinctionis hujus libri expressimus: & quamvis maxima ejus differẽtia in Sole, ob motus lentitudinem & tarditatem haud inducat errorem sensilem, attamen ea neglecta in Luna, cujus motus citatior velociorque est, notabilem errorem produceret. imò hinc initium eclipsium aliquo temporis intervallo à verò loco luxari posset, quod secundum *Erasmi Reinoldi* calculum suâ ætate, Lunâ veloce ad 7 gr. 36 ① excurrit, hoc est temporis o hor. 30 ① 24 ②. Imò succedentibus seculis apogæo Solis in alia loca delato, poterit hæc differentia motu cito seu veloce ad 10 gr. excurrere, qui ⅔ horæ valent.

N 13 PRO-

13 PROPOSITIO.

Apparente Solis in ecliptica longitudine data, ejusdem longitudinem motus in deferente mathematico ratiocinio indagare ad stantis Terræ hypothesin.



DATUM. Exponatur ABCD ecliptica super centro E, quæ Terra sit; & F G H I Solis eccentricus super centro K, cujus apogæum F consistat sub A tanquam apogæo apparente in 94 gr. 35 ① per 1 paradig. 7 propositionis, quare H erit perigæum sub perigæo apparente C in 274 grad. 35 ①: Deinde cum Sol in deferente suo versetur in I, idem nobis videtur in ecliptica sub 30 gr. in L.

QVÆSITVM. Motus ejus in deferente, hoc est peripheria F G H I nobis invenienda est.

CONSTRVCTIO.

Cum A apparens apogæum consistat sub eclipticæ 94 gr. 35 ①, & L sub 30 gr. erit L A peripheria, seu angulus L E A 64 grad. 35 ①: quibus positis triangulum K E I tres habet cognitos terminos, K E I 64 gr. 35 ①, K I 10000, E K 323 per 1 paradigma 7 propositionis, unde angulus E K I, seu peripheria H I per 5 propos. planorum triangulorum invenitur 113 gr. 45 ①: cum quo si componas E G H 180 gr. existet optatus Solis motus ab apogæo, seu peripheria F G H I 293 gr. 45 ①. Cujus demonstratio ex operis consequentia perspicitur. CONCLVSIO. Itaque Solis in ecliptica apparente longitudine data, ejusdem longitudinem motus, seu distantiam ab apogæo mathematico ratiocinio invenimus, secundum stantis terræ hypothesin. Quod postulabatur.

NOTA.

Si Solis motum ab apogæo, hâc viâ inquiras ad eclipticæ initium seu sectionem vernam, invenies eam sub 263 gr. 34 ①. Vt hoc tempore sectio verna in istum locum incidat.

14 PROPOSITIO.

Data Solis longitudine in deferente suo, ejus longitudinem in ecliptica ratiocinio mathematico invenire stante Terra.

DATUM. Vsurpetur diagramma antecedentis propositionis, ubi Sol obtineat

tineat punctum I, ut longitudo seu motus ab apogæo F G H I sit 293 gr. 45 ①, & longitudo apparens sit in L. QVAESITVM. Longitudo puncti L in ecliptica invenienda esto.

CONSTRVCTIO.

Quia peripheria F G H I exposita est 293 gr. 45 ①, subducam inde semicirculum F G H 180 gr. relinquetur peripheria H I, seu quod idem sit angulus E K I 113 gr. 45 ①: quæ cum ita sint, triangulum E K I tres habebit terminos jam cognitos, E K I 113 gr. 45 ①, K I 10000, & E K 323 per 1 paradigma 7 propositionis: unde per 5 propos. planorum triangulorum angulus K E I, seu peripheria L A invenitur 64 grad. 35 ①, quâ de longitudine apparentis perigæi A deductâ, videlicet de 94 gr. 35 ①, relinquetur optata longitudo in ecliptica puncti L 30 grad. Cujus demonstratio ex operis ipsius filo perspicua est. CONCLVSIO. Dato igitur motu Solis in deferente suo, apparentem ejus longitudinem mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenimus. Quemadmodum postulabatur.

15 PROPOSITIO.

Datis naturalibus diebus inæqualibus, eorum quantitatem ad dies æquales mathematico ratiocinio revocare stante terrâ.

1 *Paradigma ubi dierum inæqualium initium à verna sectione adsumitur.*

DATVM. Exordium 30 ἀνωμάλων νυχθημέρων dierum naturalium inæqualium statuatur à sectione verna. QVAESITVM. Isti ad numerum æqualium dierum ὁμαλῶν νυχθημέρων nobis sunt revocandi.

CONSTRVCTIO.


Motum Solis in deferente suo ad expositum intervallum dierum, sed ὁμαλῶν seu mediorum & æqualium, per 3 propos. 1 libri invenio	29 gr. 34.
Vt hinc loca apparentis in ecliptica lõgitudinis expediam sic ago. Apparens sectio verna per annotatiunculam 13 propositionis consistit sub deferentis 263 gr. 34 ①, ad quem addito 29 grad. 34 ① numero ordinis primo, existet deferentis 293 gr. 8 ①, cujus apparens in ecliptica locus, per 14 propositionem 2 libri est	29 gr. 24.
Hujus lõgitudo in æquinoctiali, per 2 problema 4 libri Cosmographiæ (posita eclipticæ obliquitate 23 gr. 30 ①) est	27 gr. 20.
Differentia primi & tertii hujus ordinis termini est	2 gr. 14.
Cui spatium temporis congruum (secundum analogiam 15 gr. ad 1 horam) est	0 hor. 9 ①.

Nota cum primus ordinis terminus tertio æquabitur, tum quoq; dati naturales dies inæquales ipsis æqualibus, seu τοῖς ὁμαλοῖς æquari:

 At cum

At cum primus tertio major erit, tum quintum de expositorum dierum numero subducendum;
Et cum minor, addendum esse.
Hic igitur cum primus numerus tertio sit major, quintus ordinis numerus o hor. 9 ① de expositorum dierum numero erit subducendus, & reliquus erit optatus 29 dies æquales 23 hor. 51 ①.

PRAEPARATIO. Exponatur sphæra ABCD, & in eo AD æquator, EC ecliptica, F sectio verna, B polus, G Sol æquidialis, ut FG æquetur 29 gr. 34 ① numero ordinis primo, H Sol apparẽs, ut periperię FH cõgruant 29 grad. 24 ① qui est numerus secundus, & per H transeat meridianus BI, ut FI longitudo puncti H ad æquatorem relata sit 27 gr. 20 ① numerus ordinis tertius, unde IG (quo intervallo FG FI inter se distant) erit 2 grad. 14 ①, ordine quartus.



DEMONSTRATIO. Sole sectionem vernam adeunte ejus in deferente locus consistet sub F, item Sol apparens, & Sol æquidialis ibidem consistent sub F, atque ideò tres hi Soles inde eodem momento digressi singuli 30 dierum spatio suum curriculum decurrerunt, videlicet Sol in deferente suo ab F percurrit 29 gr. 34 ①, qui est numerus ordine primus: quo intervallo Sol æquidialis in æquatore ab F ad G tantundem promovit, videlicet 29 gr. 34 ①. ac denique eodem isto intervallo temporis Sol apparens attigit punctum H, ut FH sit 29 gr. 24 qui est numerus ordinis hujus secundus. Ex B per H demisso meridiano in I congruet ipsi FI 27 grad. 20 ① numerus ordinis tertius. Si itaque Sol apparens H, & Sol æquidialis G uterque sub eodem meridiano consisterent, dies ipsorum, naturales nempe & æquales, neutiquam inter se differrent: verùm cum ipsorum meridiani distent 2 grad. 14 ① numero ordine quarto (tantum enim est intervallum IG) consequens est ipsos quoque tanto temporis spatio disjungi, quantum interea Sol ab ortu in occasum mundi motu promovetur, videlicet o hor. 9 ① qui est numerus hoc ordine quintus. Cæterum etiam simul causa, cur ista o hor. 9 ① de 30 diebus deducenda, non autem addenda fuerint in exposito diagrammate facilè perspicitur: Cum enim Sol æquidialis G cujus dierum quantitatem quærimus, motu violento ab ortu D versus occasum promotus sit ad G, & Sol apparens H, ab ortu item in occasum ad H 2 gr. 14 ① ultra processerit, is numerus erit subducendus ut quantitatem dierum æqualium Solis æquidialis assequamur. atque adeò cum isti

isti demonstrationi manus in abaco congruit, operatio vera erit & legitima.

NOTA.

Quemadmodum in exposito exemplò differentiam triginta diebus, post Solis in vernam sectionem introïtum addendam invenimus; ita eodem modo singulis diebus debitam differentiam addendam, vel subducendam invenire facile est: atque adeò nō parum levaminis huic abaco accedet, si tabellam ad singulos anni dies subductam habeas ad manum, quâ longâ annorum serie tutò utatis, donec apogæum deferentis Solis tantum procedat ut inde aliquis notabilis error existat.

2 *Paradigma, ubi inæqualium naturalium dierum initium post vernam sectionem assumitur.*

DATVM. Dies naturales inæquales 20 proponantur, à die 30 post ingressum Solis in sectionem vernam ad 50. QVAESITVM. Quantitas inæqualium istorum dierum ad æqualium mensuram revocanda est.

CONSTRVCTIO.

Primò quæras quid valeant 30 dies inæquales ab sectione verna, & invenies per 1 paradigma 29 dies æquales 23 hor. 51 ①.
Deinde per idem 1 paradigma invenito quantitatem 50 inæqualium naturalium dierum, videlicet 49 dies æquales 23 hor. 52 ①.
Si hinc subducas 29 dies æquales 23 horas 51 ① ordine primum, relinquetur optatus terminus 20 dies æquales 0 hor. 1 ①.

1 CONSECTARIVM.

Si diebus quædam horarum appendiculæ adhæreant, eas tibi in praxi licebit negligere, quia id perpauxillum momenti ad scopum præcipuum afferat.

2 CONSECTARIVM.

Si anni unius, aut etiam plurium deinceps dies æquales inveniendi essent, haud est obscurum calculum esse inutilem, quia iidem illi dies inæquales totidem æqualibus congruant.

3 CONSECTARIVM.

Si annis dierum appendiculæ adhæreant, planum est annos hîc in computum non venire, ac dierum tantum rationem habendam.

4 CONSECTARIVM.

Si dies vernam sectionem antecedentes proponantur, pro iis eliges sectionem eam quam dies illi sequuntur, sumpto dierum expositorum complemento ad integrum annum, & calculum instituces ut prius. Quorum veritas ipsa se ipsam arguit & demonstrat.

CONCLVSIO. Quare proposita ἀνώμαλα νυχθήμερα ad ὁμαλὰ revocavimus secundum stantis tertæ hypothesin.

16 PROPOSITIO.

Datos dies æquales ad naturales inæquales ipsis congruentes mathematico ratiocinio revocare, stante Terrâ.

NOTA.

Quamvis hujus propositionis pragmatia leviter indicari potuerit, ut in censum & numerum propositionum nõ veniret, hoc modo: Reductio æqualium dierum ad naturales inæquales similiter 15 propositioni instituatur, tantum quinto ordinis loco eum illic subductio hic additio; & contra eum illic additio hic subductio usurpetur, quod hinc existet erit numerus optatus : tamen ut argutissima hæc materia clarius pateseat, atque ipsius praxis imitatio expeditior sit, hanc propositionem omnibus suis numeris absolutam exhibeo, in quâ tamen vestigia antecedentis, quàm potero, diligentissime premam, id enim semper quam studiosissimè sequimur.

1 *Paradigma datis diebus æqualibus, quorum initium à verna sectione usurpatur.*

DATVM Dies æquales ὁμαλοὶ νυχθήμεροι 30 sunto, quorum exordium à sectione vernâ assumatur. QVAESITVM. Eorum quantitas in diebus inæqualibus illi tempori & loco congruis invenienda est.

CONSTRVCTIO.

Principiò medium Solis motum 30 dierum æqualium intervallo inquiram, quem per 3 propositionem 1 libri deprehendo 29 gr. 34.

Vt jam isto temporis momento Solis apparentem longitudinem inveniam, sic colligam, Apparẽs sectio verna per 13 propositionis annotatiunculam consistit sub 263 gr. 34 ①, ad eum igitur si addatur 29 gr. 34 ① terminus ordine primus (tantundem enim etiam Sol in suo deferente promovit) exsurget deferentis 293 gr. 8 ①, cujus apparens longitudo in ecliptica per 14 propositionem hujus est 29 gr. 24.

Hujus longitudo in æquatore est per 2 problema 4 libri cosmographiæ 27 gr. 20.

Differentia inter ordinis terminum primum & tertium est 2 gr. 14.

Quæ (ex analogia 15 gr. ad 1 horam) valet 0 hor. 9 ①.

Notabis autem cum primus hujus ordinis terminus tertio æqualis erit, tum propositos dies æquales ipsis inæqualibus æquari: si verò primus tertio major sit, quintum terminum ad expositos dies addi:

Et si minor, subduci.

Quare eum hîc primus tertio major sit, cõsequens quoq; est quintum terminũ 0 hor. 9 ① ad expositos 30 dies æquales addẽdos, unde existet numerus optatus 30 dies naturales inæquales 0 hor. 9 ①.

DEMONSTRATIO. Diagramma 15 propositionis easdem sibi notiones habeat subjectas, quas illic in *præparatione* ei assignavimus. Hîc igitur cum Sol sectionem vernam subit erit in deferente suo sub F, atque in eodem illo pun

lo puncto consistent Sol apparens, & Sol æquidialis; unde eodem temporis momento digressi 30 dierum spatio peragrarunt, Sol æquidialis quidem ab F ad G 29 gr. 34 ① ordine primum; & Sol in suo deferente à puncto F tantundem, videlicet 29 gr. 34 ①; Et Sol apparens in ecliptica ad punctum H, ut peripheriæ F H congtuant 29 gr. 24 ① terminus secundus: demissus deinde meridianus à B per H in I absumet peripheriam F I æqualem 27 grad. 20 ① termino ordinis tertio. Si nunc Sol apparens H, & Sol æquidialis G sub eodem meridiano consisterent, illorum dies æquales, & naturales inæquales iidem planè essent, neque quidquam inter se dissiderent: sed cum hic inter istos meridianos intersit 2 gr. 14 ① terminus ordinis quartus, nam tanta est quantitas peripheriæ I G, tantulo quoque intervallo temporis dissidebunt quantum isti rapto Solis motui ab ortu in occasum congruit, videlicet o hor. 9 ① numero quinto. Cæterum cur illud tempus ad dies expositos addendum, non autem subducendum sit, ita patet: Sol apparens cujus dierum quantitatem investigamus, ab ortu occasum versus perveniat ad H, & Sol æquidialis G ab ortu D versus occasum ad G 2 grad. 14 ① minus promovit, unde efficitur huic additionem competere, ut inæqualium naturalium dierum quantitatem assequamur. Quare cum manus in abaco demonstrationi congruat, consequens est operis pragmatiam esse legitimè à nobis deductam.

2 *Paradigma datis diebus æqualibus, quorum initium post post vernam sectionem usurpatur.*

DATUM. Exponantur dies inæquales 20, à 30 die post sectionem vernam ad 50. QUÆSITUM. Æqualium horum 20 dierum quantitas ad inæquales isti loco congruos revocanda esto.

CONSTRVCTIO.

Principiò propositos 30 dies æquales per 1 paradigma, ad inæquales revocabo, videlicet 30 inæquales naturales o hor. 9 ①.
Hinc 50 dies à sectione vetna per idem 1 paradigma, ad dies 50 inæquales naturales o hor. 12 ①.
Vnde si deducantur 30 dies inæquales naturales o hor. 9 ①, terminus ordinis primus, relinquentur optati 20 dies inæq. naturales o hor. 3 ①.

1 NOTA.

Haud obscurum est tabellam illam, cujus supra in 15 propositionis annotatiuncula mentionem fecimus, in hac æqualium dierum ad inæquales reductione tanto compendio usurpari, quanto illic ubi dies inæquales ad æquales convertuntur, ut eadem tabella utrique reductioni pariter inserviat.

Non secus intelliges quatuor illas deinceps supra in 15 propositione sequentes annotatiunculas huic loco quoque congruere.

2 NOTA.

Vsurpatur porrò mathematicis alia quædam dierum æquatio ab hac longè diversa, quæ à locorum situ sub dissidentibus meridianis existit. Vt, dicis gratiâ, cum Lunę eclipsis omnibus locis eodem temporis momento observetur, horę tamen numerus pro loci situ variat: unde efficitur syderum observatio-

nes notatas & animadversas in locis aliis secundum longitudinem à nobis dissitis, easdem ad nostri horizontis situm per temporis quandam æquationem revocari debere: sed cum 15 gradus longitudinis uni horæ respondeant, non erit difficile inde cætera per analogiam concludere: ut ad hanc rem singulari propositione neutiquam sit opus. CONCLVSIO. Quare datos dies æquales ad naturales inæquales mathematico ratiocinio secundum stantis Terræ Hypothesin reduximus. quod facere oportuit.

THEOREMA. 17 PROPOSITIO.

Quâ peripheria, cujus sinus proportione medius est inter sinum quadrãtis & * arcus differentiæ maximæ obliquitatis eclipticæ, à polo ad ipsam pertingit, ejus loci maxima est differentia à debita sibi in æquinoctiali longitudine.

* alias complementi.

Quænam differentia inter naturales & æquales dies intercedat proximè antecedentibus 15 & 16 propositione explicavimus: istis verò terminis humani ingenii acies sese circumscribi passa non est, sed ultra etiam differentiam illam quâ maxima caderet inquisivit, & primò quidem ob eclipticæ declinationem, deinde verò ob Solis eccentricitatem; quod argumentum succedentibus aliquot propositionibus materiam subministrabit.

Verumenimverò cum materia adeò arguta & subtilis *Ptolomæo* intacta sit, à *Regiomontano* eam mutuatus sum, qui 25 propositione libri 3 epitomes sese hæc ex Arabe *Gebro* descripsisse ait: Quamvis ut verùm fatear hæc hominis Arabis inventa esse mihi vix verisimile fiat, sed potius eredam, ut *Hipparchi* & *Ptolomæi* monumenta, sic ista quoq; tanquam tabulas, & reliquias eruditi seculi ad eorũ manus appulisse. cæterũ quod *Regiomontanus* mentionem hîc facit *Gebri*,* ejus utrum de hac re monumenta extent me fugit. Veruntamen ut demonstratio hæc per se externæ opus haud indiga, intelligi & subsistere possit, quæ in ea desiderabantur meo more supplevi, & (prout tum mihi quidem in mentem veniebat) brevissimè ac commodissimè digessi: quamvis fortè vel ipse *Gebr*, vel si quis studiosius hîc advigilet aliam breviorem viam capessere possit.

* vide tamen Gebrum propositione 18 libri 2.

Et ut ad rem ipsam veniamus, si per 2 problema Cœlesti. Sphær. tabellam constituas simul culminantium longitudinum æquatoris & eclipticæ (quam è tabulis *Prutenicis* titulo *ascensionum rectarum* desumptam majoris claritatis ergô proponam) videbis peripherias æquatoris per singulos gradus minores esse gradibus eclipticę simul culminantibus, idque crementum deinceps usque ad 46 grad. augeri, ubi maxima differentia fit 2 gr. 28 ① 24 ②, indeque vicissim per singulos gradus minui, & in 90^mo^ æquatoris eclipticæque gradu ipsorum culminationes rursum inter se æquari.

CANO-

CANONION * LONGITVDINIS GRADVUM ECLIPTICÆ IN ÆQVATORE.

* vulgò tabula adscensionum rectarum, Ptolomæo ὀρθῆς σφαίρας ἀναφορῶν.

Ecliptica.	AEquator.	Ecliptica.	AEquator.	Ecliptica.	AEquator.
gr.	gr. ①. ②.	gr.	gr. ①. ②.	gr.	gr. ①. ②.
1.	0. 55. 2.	31.	28. 51. 43.	61.	58. 51. 21.
2.	1. 50. 5.	32.	29. 49. 15.	62.	59. 54. 4.
3.	2. 45. 8.	33.	30. 46. 56.	63.	60. 56. 57.
4.	3. 40. 13.	34.	31. 44. 45.	64.	62. 0. 0.
5.	4. 35. 18.	35.	32. 42. 45.	65.	63. 3. 12.
6.	5. 30. 25.	36.	33. 40. 54.	66.	64. 6. 34.
7.	6. 25. 34.	37.	34. 39. 12.	67.	65. 10. 4.
8.	7. 20. 45.	38.	35. 37. 41.	68.	66. 13. 43.
9.	8. 15. 59.	39.	36. 36. 19.	69.	67. 17. 31.
10.	9. 11. 15.	40.	37. 35. 7.	70.	68. 21. 27.
11.	10. 6. 35.	41.	38. 34. 7.	71.	69. 25. 31.
12.	11. 1. 58.	42.	39. 33. 16.	72.	70. 29. 42.
13.	11. 57. 26.	43.	40. 32. 36.	73.	71. 34. 1.
14.	12. 52. 57.	44.	41. 32. 6.	74.	72. 38. 27.
15.	13. 48. 32.	45.	42. 31. 48.	75.	73. 42. 59.
16.	14. 44. 12.	46.	43. 31. 40.	76.	74. 47. 38.
17.	15. 39. 57.	47.	44. 31. 43.	77.	75. 52. 23.
18.	16. 35. 47.	48.	45. 31. 56.	78.	76. 57. 13.
19.	17. 31. 43.	49.	46. 32. 21.	79.	78. 2. 8.
20.	18. 27. 45.	50.	47. 32. 57.	80.	79. 7. 8.
21.	19. 23. 53.	51.	48. 33. 43.	81.	80. 12. 13.
22.	20. 20. 7.	52.	49. 34. 40.	82.	81. 17. 21.
23.	21. 16. 27.	53.	50. 35. 49.	83.	82. 22. 33.
24.	22. 12. 55.	54.	51. 37. 8.	84.	83. 27. 49.
25.	23. 9. 30.	55.	52. 38. 38.	85.	84. 33. 6.
26.	24. 6. 12.	56.	53. 40. 19.	86.	85. 38. 26.
27.	25. 3. 2.	57.	54. 42. 11.	87.	86. 43. 48.
28.	26. 0. 0.	58.	55. 44. 13.	88.	87. 49. 11.
29.	26. 57. 6.	59.	56. 46. 25.	89.	88. 54. 35.
30.	27. 54. 0.	60.	57. 48. 48.	90.	90. 0. 0.

Verumenimverò ut Geometricè punctum illud definiamus (nam Arithmetica numerorum usurpatio præ hâc manca quodammodo est) sic ago ac demonstro.


DATVM. Exponatur sphæra ABCD, polus A, ecliptica DEB, æquator DFB, maxima declinationis mensura EF, arcus differentiæ à quadrante AE, hinc peripheria AG à polo ad eclipticam demittatur ut ejus sinus medius proportionalis sit inter sinum quadrantis AF, seu radium, & sinum AE, qui est arcus differentiæ declinationis maximæ; continueturque AG ad æquatorem in H, ut DH longitudo sit puncti G in ecliptica.

QVAESITVM. Demonstrandum est AG eo loci secare eclipticam ut segmentum æquatoris DH ab arcu eclipticæ DG plurimum differat.

PRAEPARATIO. Si enim in quadrante eclipticæ DE aliud quoddam punctum

punctum foret quam G, id vel inter D G, vel inter G E necessariò intercidet, pro iis assumantur duo puncta I, K, per quæ descendant peripheriæ A I L, A K M, erit D L longitudo ipsius D I in æquatore, & D M ipsius D K: demonstrandum autem differentiam D L & D I, item D M & D K minorem esse quam arcuum D H, D G, cui fini N G peripheriam normalem demittam in A I, & G O in K M, ipsamque G N continuabo donec æquatori occurrat in P, ita enim cogitatione concipito P in postica sphæræ parte consistere: itemque G O continuata occurrat æquatori in Q.

DEMONSTRATIO.



I MEMBRUM.

Cum hic N P, L P per fabricam ad perpendiculum insistant in N L, erunt ipsi per 4 consect. 1 propos. sphær. triangul. circuli quadrantes; quare G H P triangulum erit rectangulum, & L H, N G arcus differentiæ laterum P H, P G à quadrante; estque angulus G H P rectus, cujus ideò affectio per 25 propos. sphær. triang. hujusmodi est.

Quemadmodum sinus recti, seu radius,

Ad sinum arcus differentiæ cruris recti anguli P H, hoc est sinum ipsius L H:

Sic sinus arcus differentiæ reliqui cruris anguli recti H G, hoc est sinus A G,

Ad sinum arcus differentiæ P G, hoc est ad sinum G N.

Sed sinus A H, est sinus anguli recti, seu radius, Quare

Vt sinus arcus	A H,
Ad sinum ipsius	L H:
Sic sinus arcus	A G,
Ad sinum ipsius	G N.

2 MEM-

2 MEMBRVM.

Et alternè,

Vt ſinus arcus	AH
Ad ſinum ipſius	AG:
Sic ſinus arcus	LH,
Ad ſinum ipſius	GN.

3 MEMBRVM.

Sed ſinus A G medius proportionalis eſt inter ſinus A F & A E per theſin, ſeu, quod idem ſit (quia A H & A E quadrantes ſunt) inter A H & A E, quare

Vt ſinus arcus	AH,
Ad ſinum ipſius	AG:
Sic ſinus arcus	AG,
Ad ſinum ipſius	AE.

4 MEMBRVM.

Iam igitur termini duo noviſſimi 2 & 3 membri ad idem eandem habent rationem, atque ideo inter ſe proportionales ſunt, hoc eſt,

Vt ſinus arcus	LH,
Ad ſinum ipſius	GN:
Sic ſinus arcus	AG,
Ad ſinum ipſius	AE.

5 MEMBRVM.

Deinde quia A G minor eſt quam A I, etiam

Ratio ſinus arcus	AG,
Ad ſinum ipſius	AE:
Minor erit, quàm ratio ſinus arcus	A I,
Ad ſinum ipſius	AE.

6 MEMBRVM.

Sed quemadmodum ſinus arcus A G, ad ſinum ipſius A E, ſic ſinus arcus L H, ad ſinum ipſius G N, per 4 membrum, quare

Ratio ſinus arcus	LH,
Ad ſinum ipſius	GN,
Minor eſt quàm ratio ſinus arcus	A I,
Ad ſinum ipſius	AE.

7 MEMBRVM.

Si igitur latus E I in triangulo A I E aſſumatur pro baſi, erit per 24 propoſitionem ſphær. triang.

Vt ſinus anguli dextri	AEI,
Ad ſinum anguli ſiniſtri	AIE:
Sic ſinus lateris ſiniſtri	AI,
Ad ſinum lateris dextri	AE,

8 MEM-

8 MEMBRUM.

Vicissim,

Si latus IN in triangulo GNI assumatur pro basi, erit per 24 propos. sphæric. triang.

Vt sinus anguli sinistri	GNI,
Ad sinum anguli dextri	GIN:
Sic sinus lateris dextri	GI,
Ad sinum lateris sinistri	GN.

9 MEMBRUM.

Sed angulus AEI 7 membri æquatur triangulo GNI 8 membri, uterq; enim rectus est: item angulus AIE 7 membri æquatur angulo GIN 8 membri, est enim unus idemque: quare duo novissimi termini 7 & 8 membri, æqualibus terminis proportionales, inter se quoque proportionales erunt, hoc est,

Vt sinus arcus	AI,
Ad sinum ipsius	AE:
Sic sinus arcus	GI,
Ad sinum ipsius	GN.

10 MEMBRUM.

Cum igitur per 9 membrum sinus arcuum AI & AE eandem habeant rationem, quam sinus arcuum GI GN, consequens est quamlibet rationem minorem ratione sinuum arcuum AI, AE, minorem quoque esse ratione sinuum arcuum GI GN: sed ratio sinuum qui pertinent ad arcus LH, GN minor est ratione sinuum, qui pertinent ad arcus AI AE per 6 membrum: quare ratio sinuum arcuum LH, GN minor est ratione sinuum arcuum GI GN:

Et contra,

Ratio sinuum ipsorum GI, GN major est ratione sinuum ipsorũ LH GN: Quare sinus arcus GI major est sinu arcus LH.

11 MEMBRUM.

Per consequens igitur cum arcus qui istis sinibus debentur minores sint quadrante, etiam arcus GI major erit quam LH.

12 MEMBRUM.

Præterea cum trianguli GHD angulus GHD rectus major sit acuto DGH, etiam per 15 propos. sphæric. triangul. latus GD subtensum angulo GHD majus erit quam DH, quod ipsi DGH subtenditur.

13 MEMBRUM.

Sic cum trianguli ILD angulus rectus ILD major sit angulo acuto DIL, etiam per 15 propos. sphæricor. triangul. latus DI subtensum angulo ILD, majus erit latere DL, quod angulo DIL subtenditur.

14 MEM-

14 MEMBRVM.

Quamobrem cum DI majus sit quàm DL, per 13 membrum, si nunc IG ipsi LH æqualis foret, differentia ipsorum DG, DH æquaretur differentiæ DI, DL; sed IG major est quam LH per 11 membrum, ideoque differentia qua DG ipsi DH præstat, major erit quam excessus DI supra DL.

Atque ita prima propositionis pars, quam in cõstructione proposueramus, demonstrata est.

Svperest altera, videlicet arcum DG majore intervallo excedere ipsum DH, quàm DK ipsum DM. Cui fini ajo.

15 MEMBRVM.

Cum OQ MQ per præparationem perpendiculariter insistant in OM, uterque per 4 consect. 1 propos. sphæric. triangul. quadrans erit, atque ideo in triangulo GHQ erunt MH, OG arcus differentiæ laterum QH, QG, ut GHQ sphæricum triangulum habeat rectum angulum ad H, cujus affectiones per 2 propositionem sphæric. triangulorum hujusmodi sunt:

Vt sinus anguli recti, *seu totus*,
Ad sinum arcus differentiæ cruris anguli recti QH, hoc est ad sinum arcus MH,
Sic sinus arcus differentiæ reliqui cruris anguli recti GH, id est sinus ipsius AG,
Ad sinum arcus differentiæ basis recti GQ, seu GO:

Sed sinus arcus AH est sinus anguli recti, quare

Vt sinus anguli recti, seu ipsius	AH
Ad sinum arcus	MH:
Sic sinus arcus	AG.
Ad sinum ipsius	GO.

16 MEMBRVM.

Et alternè

Vt sinus arcus	AH,
Ad sinum ipsius	AG:
Sic sinus arcus	MH,
Ad sinum ipsius	GO.

17 MEMBRVM.

Sed sinus arcus AG medius est proportione inter sinus AF & AE, per thesin, seu, quod idem sit (quia AH & AF quadrantes sunt) inter AH & AE, quare erit

Vt sinus arcus	AH,
Ad sinum ipsius	AG:
Sic sinus arcus	AG
Ad sinum ipsius	AE.

18 MEMBRUM.

Vt duo novissimi termini 16 & 17 membri ad idem eandem habeant rationem, ideoque inter se proportionales sint, id est,

Vt sinus arcus	MH,
Ad sinum ipsius	GO:
Sic sinus arcus	AG,
Ad sinum ipsius	AE.

19 MEMBRUM.

Præterea cum AG major sit, quàm AK, ajo

Rationem sinus arcus	AG,
Ad sinum ipsius	AE:
Majorem esse ratione sinus arcus	AK,
Ad sinum ejusdem	AE.

20 MEMBRUM.

Sed quemadmodum sinus arcus AG, ad sinum ipsius AE; sic per 18 membrum sinus arcus MH, ad sinum ipsius GO, ideoque

Ratio sinus arcus	MH,
Ad sinum ipsius	GO:
Major est ratione sinus arcus	AK,
Ad sinum ipsius	AE.

21 MEMBRUM.

Si igitur latus EK ponatur basis trianguli AKE, erit per 24 propositionem sphæricorum triangulorum,

Vt sinus anguli dextri	AEK,
Ad sinum anguli sinistri	AKE:
Sic sinus lateris sinistri	AK,
Ad sinum lateris dextri	AE.

22 MEMBRUM.

Si latus KO supponatur basis trianguli GOK, erit per suprascriptam 24 propositionem triang. sphæric.

Vt sinus anguli sinistri	GOK,
Ad sinum anguli dextri	GKO:
Ita sinus lateris dextri	GK,
Ad sinum lateris sinistri	GO.

23 MEMBRUM.

Sed angulus AEK 21 membri æqualis est angulo GOK 22 membri, uterque enim rectus est: Et angulus AKE in 21 membro æquatur angulo GKO in 22, per 6 consect. 1 propositionis sphæricorum triangulorum, quare bini novissimi termini in 21 & 22 membro iisdem proportionales sunt, atq; ideo etiam inter se, id est

Vt si-

Vt sinus arcus	AK,
Ad sinum ipsius	AE:
Sic sinus arcus	GK,
Ad sinum ipsius	GO.

24 MEMBRVM.

Cum itaque per 23 membrum sinus arcuum AK, AE, eandem habeant rationem, quam sinus ipsorum GK, GO, consequens est rationem omnem, quæ major erit ratione sinuum ipsorum AK, AE, majorem quoque esse ratione sinuum ipsorum GK GO. Sed ratio sinuum arcuum MH, GO, major est ratione sinuum ipsorum AK AE per 20 membrum: Quare etiam ratio sinuum arcuum MH, GO major est ratione sinuum ipsorũ GK GO.

Quamobrem etiam sinus arcus MH major est sinu ipsius GK.

25 MEMBRVM.

Et cum horum sinuum arcus sigillatim quadrante minores sint, efficitur arcum MH minorem quoque esse arcu GK.

26 MEMBRVM.

Præterea cum trianguli KMD angulus KMD rectus major sit acuto DKM, erit quoque per 15 propositionem sphæricorum triangulorum latus KD subtensum angulo KMD majus latere DM, quod angulo DKM subtenditur.

27 MEMBRVM.

Quamobrem cum arcus DK per 26 membrum majus sit quam DM: si GK æquaretur ipsi MH, etiam differentia quæ intercedit inter DG & DH, æquaretur differentiæ inter DK & DM: sed GK per 25 membrum minor est quam MH: Quare excessus ipsius DG supra DH major est excessu DK supra DM.

Atque ita quoque secunda pars, quam in præparatione posueramus demonstrata est. CONCLVSIO. Quare peripheria, cujus sinus proportione medius est inter sinum quadrantis & arcum differentiæ maximæ obliquitatis eclipticæ, quâ inquam ille ad eclipticam pertingit, ejus maxima erit differentia ab longitudine æquinoctialis sibi congrua. Quod demonstrasse oportuit.

18 PROPOSITIO.

Arcum eclipticæ qui à debitâ sibi longitudine in æquinoctiali plurimùm differat invenire.

DATVM. In exposito 17 propositionis diagrammate DG esto arcus optatus, & reliquæ item lineæ notiones easdem, quas illic, sibi habeant subjectas.

QVAESITVM. Invenienda esto hæc DG.

CONSTRVCTIO.

Cum per hypothesin 17 propositionis sinus arcus AG proportione medius sit inter sinum recti anguli, seu radium 10000000, & sinum arcus AE 9145680, qui est arcus differentiæ maximæ declinationis EF, (cur autem ca-

nonis numeros integros hîc usurpemus, & abaci hujus calculum ad ⑨ usque deducamus, in sequẽtis propositionis annotatiuncula dicetur)
is igitur medius proportionalis inter 10000000 & 9145680 invenietur 9563204.

Cui debetur arcus A G	73 gr. 0 ① 18 ② 4 ③.
Qui deductus de A H	90 gr.
Relinquet G H	16 gr. 59 ① 41 ② 56 ③.

Atque adeò triangulum G H D tres terminos habebit cognitos, latus G H 16 gr. 59 ① 41 ② 56 ③, angulum G H D rectum, & G D H 23 gr. 51 ① 20 ②; unde optatum latus G D per 35 propositionem sphæric. triangul. invenietur 46 gr. 16 ① 43 ② 43 ③;
Deinde si insuper lõgitudinem eclipticę ipsi debitam, hoc est arcum D H scire expetas, invenies per eandem propositionem 43 gr. 43 ① 16 ② 44 ③.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur, quippe cum 17 propositionis ductum sequatur. CONCLUSIO. Arcum igitur eclipticæ, qui à debita sibi in æquinoctiali longitudine plurimum dissideat invenimus, quemadmodum petebatur.

THEOREMA. 19 PROPOSITIO.


Rectangula æqualia sub æqualium circulorum sinu & sinu arcus differentiæ comprehensa, sunt æquilatera.

NOTA.

Lemmation hoc sequenti propositioni præmittimus; cum enim illic demõstremus arcum qui plurimum à debita sibi longitudine in ecliptica differat, cum eãdem quadranti æquari, ista luce opus fuit: nam & *Regiomontanus* qui 26 propol. 3 lib. *Epitomes* idem argumentum tractat, à Menelao alicubi demonstratam propositionem usurpat. Cæterum, ut dixi, nos lemmation hoc ideò nunc demonstramus, ne tum aliunde petere necesse sit.

DATUM. Esto rectangulum AB comprehensum sub A C sinu arcus C D, & sub C B sinu arcus differentiæ: hinc exponatur alterum rectangulum E F æquale priori A B, comprehensum sub sinu E G & sinu arcus differentiæ G F. QUÆSITUM. Latus maximum A C, maximo E G; & minimum C B, minimo G F æquari demonstrandum est.

PRAEPARATIO. Ducantur rectæ I C, I G.



DEMONSTRATIO. Duo igitur rectãgula æqualia AB, E F, duobus diagoniis in duo triangula C B I, I E G æqualia dispescuntur; quorum anguli E, B recti, & iis subtensæ semidiametri I C I G æquales sint. quare duo triangula I E G, I C B (semisses parallelogrammorũ) æqualia, & in æquali basi cõstituta

ſtituta erunt æquealta, hoc eſt *perpendiculares ab E in E G, & à B in I C demiſſæ æquales; quæ cum ſint mediæ proportionales inter ſegmenta ſemi diametrorum I C, I G æqualium, conſequens eſt ipſa ſegmenta quoque eſſe æqualia: atque adeò latus I B quod eſt mediũ proportionale inter totam C I & majus ſegmentum, æquari lateri E C, quod eſt medium proportionale inter totam I G & ſuum majus ſegmentum. ſimilis planè ratio, & demonſtratio eſt latus minus C B, minori lateri E I quoque æquari.

*negligentiâ ſculptoris perpendiculares à B, & E demittendæ ſunt omiſſæ.

CONCLVSIO. Quare duo rectangula ſub ſinu & ſinu arcus differentiæ æqualium circulorum comprehenſa, ſunt æquilatera. quod demonſtraſſe oportuit.

THEOREMA. 20 PROPOSITIO.

Arcus eclipticæ qui à debitâ ſibi longitudine in æquatore plurimum differt, cum eâdem quadrantem æquat.

DATVM. Adſumatur in 17 propoſitionis diagrammate arcus eclipticæ C G, qui à debita ſibi in æquatore longitudine D H plurimum differat, & cætera eaſdem ſibi habeant ſubjectas notiones, quas illic.

QVÆSITVM. Demonſtrandum eſt C G, D H additas quadrantem conflare. DEMONSTRATIO.

1 MEMBRVM.

Poſito latere H G pro baſi trianguli D G H, erit per 24 propoſ. triang. ſphæric.

Vt ſinus anguli ſiniſtri	D H G,
Ad ſinum anguli recti	D G H:
Sic ſinus lateris dextri	D G,
Ad ſinum lateris ſiniſtri	D H.

2 MEMBRVM.

Aſſumpto deinde G E pro latere trianguli A E G, erit per 24 propoſ. triang. ſphæric.

Vt ſinus anguli recti	A E G,
Ad ſinum anguli ſiniſtri	A G E:
Sic ſinus lateris ſiniſtri	A G,
Ad ſinum lateris dextri	A E.

3 MEMBRVM.

Sed anguli A E G, D H G in 1 & 2 membro ſunt recti, item A G E D G H ad verticem per 6 conſect. 1 propoſ. triangul. ſphæricor. æquales: quare bini noviſſimi termini 1 & 2 membri iiſdem proportionales, inter ſe quoque proportionales erunt, id eſt

Vt ſinus arcus	D G
Ad ſinum ipſius	D H:
Sic ſinus arcus	A G,
Ad ſinum ipſius	A E.

4 MEMBRVM.

Preterea cum sinus arcus AG, medius proportionalis sit inter sinus arcuum AF, AE per 17 propositionis argumentum, erit

Vt sinus arcus	AF,
Ad sinum ipsius	AG:
Sic sinus arcus	AG,
Ad sinum ipsius	AE.

5 MEMBRVM.

Sed AH æquatur AF: quare

Erit sinus arcus	AH,
Ad sinum ipsius	AG:
Vt sinus arcus	AG,
Ad sinum ipsius	AE.

6 MEMBRVM.

Vt bini priores termini 3 & 5 membri iisdem proportionales sint, atq; ideo quoque inter se, id est

Vt sinus arcus	DG,
Ad sinum ipsius	DH:
Sic sinus arcus	AH,
Ad sinum ipsius	AG.

7 MEMBRVM.

Posita deinde AE pro basi trianguli GHE, erit per 24 propositionem,

Vt sinus anguli dextri	GAE,
Ad sinum anguli sinistri	GEA:
Sic sinus lateris sinistri	GE,
Ad sinum lateris dextri	AG.

8 MEMBRVM.

Sed sinus arcus HF est sinus anguli GAE, per 2 definitionem triangul. sphæric. Et sinus arcus AH æquatur sinui anguli recti GEA: erit igitur

Vt sinus arcus	HF,
Ad sinum ipsius	AH:
Sic sinus arcus	GE,
Ad sinum ipsius	AG.

9 MEMBRVM.

Et alternè,

Vt sinus arcus	HF,
Ad sinum ipsius	GE:
Sic sinus arcus	AH,
Ad sinum ipsius	AG.

10 MEMBRVM.

Vt bini priores termini 6 & 9 membri iisdem proportionales, atque ideo inter se quoque proportionales sint, id est

Vt sinus arcus	DG,
Ad sinum ipsius	DH:
Sic sinus arcus	HF,
Ad sinum ipsius	GE.

11 MEMBRVM.

Quare rectangulum sub extremis 10 membri terminis, hoc est sub sinibus DG GE comprehensum, æquabitur rectangulo mediorum DH HF: atqui hæc sunt duo rectangula sub sinu & sinu arcus differentiæ æqualium circulorum comprehensa, quare per 19 propositionem erunt æquilatera, eritque sinus ipsius GE sinui ipsius DH, atque adeò ipsi arcus GE, DH inter se æquales.

12 MEMBRVM.

Sed DG & GE quadrantem æquant, consequens igitur est DG & DH (quæ ipsi GE per 11 membrum æquatur) quadrantem quoque æquare.

CONCLVSIO. Quare arcus eclipticę, qui à sibi debita æquinoctialis lōgitudine plurimum differat cum eadem quadranti æquatur: quod demonstrasse oportuit.

NOTA.

Quandoquidem ille arcus ecliptica, qui à debita sibi longitudine in æquatore plurimum differt accuratius, & exactius hîc quæritur, quàm in canoniis ferè exhiberi soleat, ubi diversi abaci eundem arcum 1 ① aut 2 ① à seipso dissidentem sæpe suppeditant; in quibus neque illa accuratio cernitur, ut arcus eclipticæ, qui à sua in æquatore longitudine plurimum differat, cum eâdem quadrantem æquet: placuit ILLUSTRISSIMO PRINCIPI epilogismum 18 propos. ad ① deducere, atque ad hanc legem arcus eorumque sinus ubique quam diligētissimè investigare: Atque ita arcum eclipticæ DG

invenit	46 gr. 16.43.41.
Et arcum æquatoris DH	43 gr. 43.16.44.
Quorum summa assurgit ad	90 gr. 0. 0.27.


Vt arithmeticus hîc calculus à genuina, & geometrica demonstratione 27 ① tantum abnutet.

21 PROPOSITIO.

Maximam differentiam, quo dies naturales ob solam deferentis Solis eccentricitatem afficiuntur mathematico ratiocinio stante Terra invenire.

DATVM. Esto ABCD Solis eccentricus, centrum E, apogæum A, perigæum C, & FGHI ecliptica, centrum K, apogæum apparens F, apparens perigæum H; hinc recta IG, per K perpendicularis ipsi FH, secet Solis eccentricum deferentem in D & B, per quæ sectionum puncta rectæ ad eclipticam usque educantur EBL, EDM.

CONSTRUCTIO.



Hic nobis duntaxat quæritur maxima illa differẽtia, quâ dies naturales pro eccentricitatis modulo afficiuntur; Hoc est, si illum naturalis anni tractum, quo naturales dies ἀνώμαλοι νυχθήμεροι ob Solam eccentricitatem præstant diebus æqualibus τοῖς ὁμαλοῖς, compares cum reliquo naturalis anni tractu quo naturales dies æqualibus cedunt, ut sciatur quantum differentiæ inter priores dies naturales & posteriores nunc amplius intercedat, quàm si deferens Solis nec eccentricus nec obliquus foret. Ajo igitur si Sol consisteret in A, hîc tam ex E (unde medii seu æquales dies æstimantur) quàm ex K (unde dies inæquales æstimantur) nobis videri in F: sed cùm ab A concesserit ad D, tum spectatum ex E videri in M; at ex K, in I: atque adeo si I in meridiano circulo consisteret, M punctum (quia mundi motus ab M per I vergit in F) tanto intervallo ipsum sequi, quantum inter M & I intercidit, hoc est 2 grad. 23 ①, nam angulus I D M sive E D K istâ maximæ prostaphæresis quantitate per 4 propositionis consectarium definitur; quare inquam pro distantia

M I ponamus	23 gr. 23.
Quantũ igitur temporis Sol rapto, seu mundi motu in 2 gr. 23 ① impendit, tanto dies naturales dum Sol A D decurrit, deficient à mediis. Nec aliam ob causam dies naturales, eo spatio quo Sol per B A commovetur, superabunt medios eodem intervallo	2 gr. 23.
Ex quibus conflatur differentia, qua naturales dies congruentes arcui B A D deficiunt à mediis	4 gr. 46.
Cum verò omnes naturales anni dies, omnibus simul ejusdẽ mediis diebus ęquales sint, efficitur omnes reliquos anni naturalis dies, hoc est competentes arcui deferentis D C B, tantò majores esse eodem mediorum dierum numero, quantò reliqui sint minores, videlicet	4 gr. 46.
Atqui cum arcus B A D deficiat 4 gr. 46 ① à diebus æqualibus, & D C B tantundem redundet, differentia horum arcuum inter se erit ejus dupla, videlicet	9 gr. 32.
Quæ ad tempus revocata (secundũ analogiam 15 gr. ad 1 horam) dabit	0 hor. 38 ①.


Atque tanto spatio dies naturales peripheriæ M F L breviores sunt quàm peripheriæ F H L, quam essent si Solis deferens neque eccentricus, neque ad æquatorem obliquus foret. Cujus veritas ex operis ductu perspicitur.

CONCLUSIO. Invenimus igitur maximam differentiam, quo dies naturales

rales ob solam deferentis Solis eccentricitatem afficiuntur, idque mathematico ratiocinio stante Terra.

22 PROPOSITIO.

Maximam differentiam, quo dies naturales ob solam eclipticæ obliquitatem afficiuntur, mathematico ratiocinio stante Terrâ invenire.



DATVM. Exponatur sphæra A B C D E, polus A, æquator E C, ecliptica D B, sectio verna F, arcus eclipticæ F G 46 grad. 17 ①, qui à debita sibi in ecliptica longitudine F H, quæ est per 18 propos. 43 gr. 43 ①, plurimum differat, videlicet 2 grad. 34 ①; deinde altrinsecus à sectione vernâ F alter arcus F I constituatur, qui itidem à sua in eclipticâ longitudine F K plurimum differat.

CONSTRVCTIO.

Peripheriæ in quibus dies naturales minores deprehêduntur mediis, componunt peripheriam I G, cujus quantitas per 18 propos. est bis 46 gr. 17 ①, hoc est 92 gr. 34 ①, cui peripheria æqualis in opposita sphærę parte ad autumalem sectionem absumi intelligatur, quarum summa dabit 185 gr. 8.

Peripherię in quibus naturales dies majores médiis inveniuntur, sunt G B, I D, quarum singuli per 18 proposit. sunt 43 grad. 43 ①, earum summa 87 gr. 26 ①, his adde duos arcus ipsis in opposita sphærę parte æquales, efficientur 174 gr. 52.

Quibus deductis de suprascriptis 185 gr. 8 ①, reliqui erunt 10 gr. 16.

Quæ ad temporis spatium revocata (secundum analogiam 15 gr. ad 1 horam) dabunt 0 hor. 41 ①.

Atque tanto temporis intervallo minores erunt dies naturales peripheriæ I G cum altera simili peripheria in opposita sphærę parte, quam dies naturales peripheriarum G B, I D simul cum duabus aliis similibus in opposita sphæræ parte, tanto inquam minores nunc sunt, quàm forent si Solis deferens ad æquatorem haud obliquus foret. Cujus demôstratio ex ipso opere perspicitur.

CONCLVSIO. Invenimus igitur maximam differentiam quo dies naturales ob Solam eclipticæ obliquitatem afficiuntur, idque mathematico ratiocinio stante Terra.


SVPER-

SUPEREST UT DICAMUS DE SOLIS A TERRA DISTANTIA, MAGNI- *tudine, parallaxi, & coni umbræ terrestris longitudine.*

23 PROPOSITIO.

Distantiam Solis à Terra in semidiametris Terræ mathematico ratiocinio ex observationibus eruere.

DATUM. Duo quidam syderum observatores in duobus locis sub eadem longitudine, latitudine tamen satis diversa indies Solis in meridiano cœli fa-



stigio constituti altitudinem supra horizontem, aut à vertice depressionem quam possunt accuratissimè notent, quod quidem hoc seculo, quo Hollandicæ naves in toto terrarum orbe nihil intentatum reliquere, non valdè arduum fuerit: ex omnibus istis observationibus duas aliquas eodē temporis momento notatas & animadversas seligito, quarū ope scopum assequeris. Exemplum. Exponatur Terra A B, ejus centrū C, Sol D, per quem trajectus meridianus E D F, sitque C G æquator spectatus in cultrum, ut loquitur *Vitruvius*, loca observationum sunto A, B in ipso circulo meridiano: Vertex loci A sit H; ut G H latitudo loci A sit 46 grad. 36 ①: vertex loci B sit I, ut G I latitudo secundi loci B sit 44 gr. jam ex suprascripta observationum ephemeride, duas aliquas ejusdem meridiei momento notatas usurpato, quâ utrâque Sol æqualiter ab vertice abesse deprehensus sit, ut puta 45 gr. 20 ① pro angulo H A D, vel I D B; inde connectatur recta C D. QUAESITUM. Invenienda est C D in iisdem partibus, quibus semidiameter Terræ B C ponitur 1.

CON-

CONSTRVCTIO.

Ad arcum G I 44 gr. per thesin, addas G H 46 gr. 36 ①, existet arcus H I, qui idem est cum AB seu angulo ACB 90 gr. 36.

Deinde quia angulus I B D angulo H A D æquatur,& arcus H D ipsi D I, recta C D bisecabit angulum I C H seu A C B, ut semissis ejus B C D habeat dimidiam amplitudinem termini primi 90 gr. 36 ①, hoc est 45 gr. 18.

Si subduxeris angulum I B D 45 gr. 20 ① per thesin, de 180 gr. relinquetur angulus D B C 134 gr. 40.

Triangulum B C D tres terminos habet cognitos, angulum DBC 134 gr. 40 ① ordine tertium, B C D 45 gr. 18 ① secundum, & latus B C 1 per thesin. Vnde latus D C per 4 propositionem planorum triangulorum invenietur pro distantia optata 1185.

Cujus demonstratio ex operis ductu perspicitur.

1 NOTA.

Etiam altero exemplo theorema hoc illustrarem, ut anguli IBD HAD inæquales sint, verumenimvero quia ista in Lunaris motus epilogismo dicentur, illud paradigma illinc petitum huic quoque facem allucebit.

2 NOTA.

Cæterùm cum necesse sit locum Solis quem ipso observationis momento obtinuit cognosci, eum hic ob sequentem doctrinam in apogæo constitutum assumam.

CONSECTARIUM.

Quia duo anguli DBC BCD inventi simul additi componant summam 179 gr. 58 ①, quæ subducta de 180 gr. relinquet 2 ① pro angulo BDC, qui Solis parallaxin eo loci definit. CONCLVSIO. Inventa est igitur Solis à Terra distantia, in iisdem partibus, quibus Terræ semediameter ponitur 1, idq; mathematico ratiocinio, ad stantis Terræ hypothesin: quemadmodū decuit.

24 PROPOSITIO.

Solis à Terra distantiam ad datum in eccentrico locum, in semidiametris Terræ, mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenire.

DATVM. Solis in eccentrico suo longitudo ponatur graduum 30.

QVAESITVM. Recta à Terra ad Solem pertingens invenienda est in iisdem partibus, quibus Terræ semidiameter supponatur 1.

CONSTRVCTIO.

E' variis modis per quos hoc problema expediri possit, omnium qui mihi nunc in mentem veniat commodissimus ita habet. Cum per antecedentem 23 propositione ejusque consectarium Solis in apogæo eccentrici constituti distantia à Terræ centro, ad ipsius terræ semidiametrū habeat rationem, quam 1185 ad 1; atq; eadem illa 8 propositione inventa sit 10323, per proportionem concludam, Vt 1185 ad 1, sic 10323 ad 9 proximè; habebit igitur Terræ semidiameter

diameter ad Solis à Terrę centro distantiam eam rationem, quàm 9 ad 10323: atque ita hæc 9 ad cæteras rectas, à terrę centro ad quemlibet eccentrici locum exporrectas, eam habebunt rationem, quam ipsa Terræ semidiameter ad istas lineas quas Tabellâ quâdam 8 propositione descripsimus: Sed linea à Terræ centro ad 30 gr. deferentis illic invenitur 10281: quare Terræ semidiameter ad eandem se habet, ut 9 ad 10281. Atque hanc per proportionem ad Terrę semidiametros reduces hoc modo: Vt 9 ad 10281, sic 1 ad quem? Concludes oppatam distantiam 1141 semidiametrorum Terræ. Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Quare Solis à Terra distantiam ad datum ejus in eccentrico locum in semediametris Terrę mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenimus. Quod facere oportuit.

CONSECTARIUM.

Quare 9 nobis communis terminus esto, unde facili negotio cæterarum omnium linearum à Terra ad Solem pertinentium quantitatem ad positam æstimationem revocemus: dictis gratiâ si quæratur recta à Terrâ ad 10 deferentis gradum pertinens, quæ 8 propositione ponitur 10321, ita concludes, ut 9 ad 10321, sic 1 ad optatam distantiam 1147. Atque ita deinceps in cæteris. unde constructio tabellę, quę Solis à Terra distantiam ad singulos sui deferentis gradus exhibeat, erit in procinctu: cujus generis tabellulam ad denos aliquot gradus exempli causâ subjecimus. cui adjunximus 180^{m} gradus à Terra distantiam, quia in paradigmatis sequentibus nobis usui sit.

TABELLA DISTANTIÆ SOLIS A TERRÆ

centro in Terræ semidiametris æstimata.

* distantia ab apogæo.

*Gradus * deferentis Solis*	*Rectarum à Sole ad Terram pertinentium quantitas.*
0.	1147.
10.	1147.
20.	1145.
30.	1142.
180.	1075.

25 PROPOSITIO.

Solis semidiametrum in Terræ semidiametris æstimatam, mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenire.

DATUM. Exponatur A B Sol in apogæo, ejus centrum C, centrum Terræ D, quę connectat recta C D, & D B Solem contingat in B, huc adjungatur B C Solis semidiameter, eritque B D C semissis anguli sub quo Sol nobis videtur.

QVAESITUM. Invenienda est B C Solis semidiameter in iisdem partibus, in quibus Terrę semidiameter supponitur 1.

CON-



CONSTRVCTIO.

In triangulo BCD dantur tres termini cogniti, videlicet BDC ſemiſſis anguli viſionis Solis, is enim, quia Sol in apogæo conſiſtit, erit 15 ☉ quemadmodum in 8 propoſitione aſſumebatur, & CD 1147 per 24 propoſitionem, atque angulus CBD rectus per theſin: Vnde per 4 propoſitionem planorum triangulorum optata Solis ſemidiameter erit 5 ſemidiametrorum terræ: nam æſtimatio lineæ CD 1147 in iſtis partibus uſurpatur. Cujus demonſtratio ex opere ipſo perſpicitur.

CONCLVSIO. Quare Solis ſemidiametrum in Terræ ſemidiametris æſtimatam exhibuimus mathematico ratiocinio ad ſtantis Terræ hypotheſin.

CONSECTARIVM.


Hinc rationem ſoliditatis Solis ad Terram invenire facilè eſt: cum enim ſimilia ſolida habeant triplicatam rationem homologorum laterum, erit Sol ad Terram ſecundum hanc hypotheſin, ut 125 ad 1.

26 PROPOSITIO.

Solis loco in deferente & infra verticem depreſſione ex Terræ centro æſtimatâ datis, ejuſdem parallaxin in circulo verticali mathematico ratiocinio ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin invenire.

NOTA.

Propoſitione 23 parallaxis ex ipſis obſervationibus inveniendæ rationem modumque conſignavimus, quæ hujus propoſitionis ubi per abacum & numeros eam inveſtigamus baſis quædam eſt & fundamentum; importunum enim fuerit parallaxin hanc ex cœlo & organis ſemper derivare.



DATVM. Exponatur Terra AB centrum C, obſervantis ſtatio in A, Sol D cujus diſtantia ſeu motus ab apogæo ſit 30 gr. ac tantundem quoque D à loci vertice diſtet, ut ED ſeu

angulus E C D, vel A C D sit 30 gr. atque hîc A D C erit parallaxis Solis in circulo verticali. QVÆSITVM. Angulus A D C inveniendus est.

CONSTRVCTIO.

Triangulum A D C tres terminos habet cognitos, videlicet angulū A C D 30 gr. per thesin, C A terræ semidiametrum, & C D rectam à terræ centro ad 30^mum deferētis gradū quę est per 24 propositionem 1142. Vnde angulus A D C per 6 propositionem planorum triangul. pro optata parallaxi (si integros canonis numeros, nullis detritis usurpes) invenietur 1 ① 20 ②. Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLVSIO. Quare Solis loco in deferente, & infra verticem depressione ex Terræ centro æstimatâ datis, ejus parallaxin mathematico ratiocinio secundū stantis Terræ hypothesin invenimus. Quod facere oportuit.

CONSECTARIVM.


Neque hinc obscurum arbitror, quomodo ad parallaxis in circulo verticali expeditam inventionem, canonion per singulos gradus institui & ordinari possit, quemadmodum *Rheinoldus* in *Prutenicis Tabulis* usurpavit, ubi secundum suas hypotheses, pro istis 1 ① 30 ②, invenit 1 ① 29 ②, & pro maxima parallaxi, cum Sol 90 gradibus infra verticalem, hoc est in ipso horizonte versatur 2 ① 58 ②. Atque illud quoque hîc notandum venit, canonion hoc summo compendio per solam proportionem (ob causas 5 propositioni non dissimiles) concludi, hoc modo, ut sinus totus, ad datæ à vertice distantiæ sinum; ita maxima parallaxis, ad quæsitam; Exemplum. quæritur parallaxis Sole 10 gradib. infra verticem depresso. dices ut 10000 sinus 90 gr. ad 1736 sinum 10 grad. sic maxima parallaxis 2 ① 58 ②, seu 178 ② ad quem? Concludes 31 ②. Eadem ratio & operatio erit in cæteris, ut si quæratur parallaxis 30 grad. infra verticem; Vt 10000 ad 5000, sic 178 ② ad quem? Concludes cum *Rheinoldo* 1 ① 29 ②. atque ita deinceps in aliis.

Hoc quoq; animadvertas *Erasmum Rheinoldum* unicam duntaxat parallaxis selidem constituisse; idque jure merito, quod Solis maxima & minimâ à Terrâ distantiæ differentia hîc nullius sit momenti. Si tamen hæc res alicui scrupulum moveat, ut ratio ejus certò constare possit quia per proportionem solam (secundum analogiam 5 propositionis) facilè expeditur, ejus rei exemplum ante oculos constituam; hoc modo. Vt minima Solis à Terra distantia, quæ per 8 propos. invenitur 9677, ad maximam 10323; sic maxima parallaxis in apogæo 2 ① 58 ②, ad 3 ① 9 ②; ut illa 11 ② ab hâc deficiat, quæ differentia cum sit haud magni momenti hîc negligitur.

27 PROPOSITIO.

Solis parallaxin in longitudinem & latitudinem eclipticæ, mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenire.

Expositæ cujusdam sphæræ meridianus sit A B C D, horizon B D, quadrans verticalis A E, ecliptica F G secet verticalem in Solis loco H, ut angulus



gulus EHG (qui per 8 problema libri de sphæræ cœlest. problematis invenitur) sit 50 gr. & AH Solis infra verticem depressio ex Terræ centro æstimata sit 30 gr., hinc pono parallaxin in verticali AE inventam per 26 propositionem 1 ① 30 ②: itaque assumam sub H punctum I, ut HI sit 1 ① 30 ②, unde demissus IK arcus perpendicularis ad eclipticam FG, exprimit optatæ parallaxis latitudinem, & HK ejusdem longitudinem secundum eclipticam.

QVÆSITVM. Imperatur inveniri arcus HK longitudinis, & IK latitudinis parallaxis.

CONSTRVCTIO.

Triangulum HIK tres terminos habet cognitos, ut sunt HI 1 ① 30 ②, HKI angulus rectus, & IHK 50 grad. per thesin: unde duo latera HI, KI, usurpatis integris canonis numeris per 4 propositionem sphæricorum triangulorum invenientur; & primò quidem IK optata latitudinis parallaxis (quæ utrum Borea, an Notia sit ex 3 consectarii catholico theoremate intelligitur) erit 1 ① 9 ②.

Et KH optata lõgitudinis parallaxis (quæ utrum major minorvé sit datâ longitudine, ex 4 consectarii catholico theoremate intelligitur) erit 58 ②.

1 CONSECTARIUM.

Manifestum igitur I & K non distare in longitudinem tum, cùm ecliptica circulum verticalem ad angulos rectos secabit: hoc est datam parallaxin in circulo verticali eandem esse cum parallaxi latitudinis.

2 CONSECTARIUM.

Neque obscurum est I & K non distare in latitudinem tum cùm verticalis & ecliptica in eundem circulum coïbunt: hoc est, eo casu datam parallaxin eandem esse cum parallaxi longitudinis.

3 CONSECTARIUM.

Cum Solis locus qui ab observante notatur depressior sit illo, qui ex Terræ centro æstimatur, consequens est ut cum arcus verticalis à vertice ad communem sui & eclipticæ sectionem versus austrum intercipitur, parallaxin esse Boream: At cum arcus ille versus Boream cadet parallaxin fore Austrinam; quæ regula ubicunque terrarum consistas vera est.

4 CONSECTARIUM.

Si angulus cõprehẽsus ab eclipticâ secundũ successionẽ signorũ, & segmẽto


 vertica-

ticalis inde ad verticem interjecti obtusus fuerit, Solis ab observante notata longitudo major erit illâ, quæ ex Terræ centro æstimatur: at si idem angulus sit acutus, erit eâdem minor, idque ubicunque Terrarum consistas theorema generale esto. CONCLUSIO. Solis igitur parallaxis qua in longitudinem, quâ in latitudinem eclipticæ mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenimus, ut petebatur.

28 PROPOSITIO.

Dato Solis loco in deferente suo, axem coni umbræ nocturnæ in terræ semidiametris æstimatam mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenire.

DATUM. Exponatur A B C D Terra, centrum E, hinc F G H Sol in apogæo eccentrici, hujus centrum I: inde duæ rectæ G B H D Solem Terramque contingentes in punctis G H, B D; continuatæ sese intersecent in K; & puncta contactus jungant rectæ B D, G H, Quibus constitutis K B D erit conus umbræ terrestris, quæ nox est, cujus basis diameter B D, axis verò K E.



QUAESITUM. Inveniatur mensura axis K E in terræ semidiametris, hoc est qualium B E ponitur 1.

PRAEPARATIO. Agatur B L parallela contra E I.

CONSTRUCTIO.

Cum recta L I æquetur ipsi B E terræ semidiametro, ea deducta de I G 5 per 25 propositionem, relinquet G L 4.

Cumque Sol per hypothesin consistat in apogæo erit recta E I per 24 propositionem 1147 semidiametrorum Terræ, & ideo B L ipsi æqualis earundem 1147.

Triangulum K E B simile est triangulo B L G, ideoque latera homologa proportionalia, quare erit ut G L 4 ordine primus, ad L B 1147, sic B E 1 per thesin, ad optatam K E 287 proximè.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

CON-

CONCLVSIO. Quare dato Solis in deferente loco, nocturnæ umbræ axem in terræ semidiametris æstimatam mathematico ratiocinio ad stantis terræ hypothesin invenimus. quemadmodum decuit.

CONSECTARIUM.

Non obscurum itaque est quomodo longitudo axis coni umbræ nocturnæ ad singulos gradus inveniri, & in tabellam digeri possit, unde facili negotio problema hoc expediatur.

DISTINCTIO SECVNDA SECVNDI LIBRI, DE INVESTIGATIONE MOTVS LVNÆ, ex mathematico ratiocinio, secundum stantis Terræ hypothesin.

BREVIARIVM 3 DISTINCTIONIS.

Distinctio hæc sedecim propositiones habet, quarum prima, quæ est hujus libri 29 erit de investigatione eccentricitatis Lunæ cum suis appendiculis: secunda, quæ est totius libri 30 de prostaphæresi, & angulo visionis Lunæ. tres sequentes 31, 32, 33 erunt de investigatione longitudinis Lunæ secundum eclipticam ad datum quodlibet temporis momentum: quinque sequentes 34, 35, 36, 37, 38 de apparentis Lunæ ab ecliptica latitudine: novissimæ sex 39, 40, 41, 42, 43, 44 versabuntur in Lunæ distantia, magnitudine, parallaxi, & angulo visionis umbræ terrestris quâ Luna eam penetrat.

29 PROPOSITIO.

Ex notis tribus Lunæ * epochis eccentricitatem deferentis in partibus semidiatri ejusdē 10000; hinc apparentem apogæi in ecliptica, & Lunæ in deferente suo ad optatam quamlibet ex datis epocham, & mediæ Lunæ in ecliptica longitudines mathematico ratiocinio ad stantis terræ hypothesin invenire. * Ecli.

Priusquam in rem ipsam ingredior pauca quædam hîc præmonere habeo necesse. Ex 15 16 17 propositione hujus libri perspicuum est arcus eclipticæ & æquatoris inter sectionem vernam & unū eundemque meridianum inter-

ceptos inæquales esse, unde efficiebatur Solis longitudinem in ecliptica non esse eandem cum longitudine ejusdem loci, quem meridianus in æquatore absumit: quemadmodum autem Solis deferens declinat ab æquatore, ita Lunę deferentis sua declinatio est ab ecliptica, quare simili de causa Lunæ in deferente longitudo (cujus initium à nodo Boreo ducimus) ab ejusdem puncti longitudine in ecliptica (cujus numerationem ab eodem nodo auspiceris) erit diversa; longitudinem verò istam hîc definit quadrans per eclipticæ polos & datum Lunæ locum trajectus. *Ptolomæus* tamen eam, quia differẽtia harum longitudinum ob declinationis exilitatem perquam exigua esset, in abacis Lunaris motus neglexit: nam declinatio Lunę 5 graduum, tantummodo 8 ① differentiam (quod ex 18 propositione 2 libri perspicitur) inducit: quam idcò nos quoque in Lunari epilogismo negligemus: si quem curiosior calculus delectet, poterit iste non negligere; Cæterum annotatiunculam hanc etiam in cæteris planetis, quorum singulis sua ab ecliptica declinatio est, locum habere memineris.

I PARADIGMA.

DATUM. Ex observationum ephemeridibus, (in cujus locum *Stadium*, ob causas 1 propos. 1 lib. expositas, subrogamus) tres Lunæ epochas eclipticas seligam; Primam quidem anno 1570 ad diem 20 Februarii 5 hor. 31 ① post meridiem, quo temporis momento Luna obtinebat 161 gr. 23.

Diligenter hîc notandum est, si Lunæ loca observando ex ipso cœlo deducta, per naturalium dierum intervalla annotata essent, horum ad dies æquales reductionem usurpandam, cujus modum 15 propositione hujus docuimus, ac tum per dies æquales sive medios numerationem ducendam: neque temporis differentiam, aut meridianorum diversitatem, quæ inter observantiũ stationes & nostram intercidit negligendam: sed cum eclipses istas ex ephemeridibus mutuati simus, ubi harum loca per æqualium dierum spatia consignata sunt; cumq; omnia exempla hîc tantũ docis & exempli causa usurpentur, istâ περιεργίᾳ & curâ opus non erit. Cautiunculæ hujus mentio nulla nobis in Solis simili epilogismo 7 propositione fuit, quia ab hâc causa nullus notabilis error illic ob Solis tarditatem existere posset. Verùm, ut eò redeam unde discesseram, secundam epocham Lunæ assumam anno 1572 ad diem 25 Iunii 8 hor. 58 ① post meridiem; quo temporis momento Lunę eclipsis incidit in 283 gr. 25 ①. Cęterum ut modũ deferentis Lunę & affectiones indagemus utile fuerit quotidianæ ejus conversionis cõceptus ex animo funditus deleri, tanquam si nulli essent, atque insuper motum apogæi, qui supra scriptis 283 gr. 25 ① immixtus est, planè tolli: quamvis istud in Solis simili epilogismo neglexerimus, ob suam enim latitudinem motus apogæi nullius erat momẽti. Quare sic dico, sic facio. A 20 Februarii 5 hor. 31 ① anni 1570 termino hujus ordinis primo, ad hunc 25 Iunii 8 hor. 58 ① anno 1572, intersunt duo anni Ægyptii 126 dies 3 hor. 27 ①, quo intervallo Solis apogæum commovit, per 11 propositionem 1 libri 95 gr. 22 ①, qui deducti de suprascriptis 283 gr. 25 ①, relinquent 188 gr. 3.

Tertiam Lunę epocham delegi anno 1576 ad diem 7 Octobris 10 hor. 37 ① post meridiem, quo temporis momento Lunę eclipsis incidit in 24 gr. 21 ①. Sed à 20 Februarii 5 hor. 31 ① anni 1570 termino primo, ad hunc 7 Octobris 10 hor. 37 ①

anni 1576, intercidunt 6 anni Ægyptii 231 dies 5 hor. 6 ①, quo intervallo apogæum per 11 propos. 1 libri decurrit 269 grad. 43 ①, qui deducti de supraſcriptis 24 gr. 21 ①, relinquunt 114 gr. 38.

A prima eclipſi ad ſecundam, quemadmodum ex articulo hujus ordinis ſecundo perſpicitur, interſunt 2 anni Ægyptii 126 dies 3 hor. 27 ①, quo intervallo Luna in deferente ſuo per 11 propoſitionem 1 libri commovit 25 gr. 30.

A ſecunda eclipſi ad tertiam intercidunt 4 anni Ægyptii 105 dies 1 hor. 39 ①, quo tempore Luna in deferente ſuo per 11 propoſitionem primi libri commovit 287 gr. 36.

Componas 25 gr. 30 ① ordine quartum, ad 287 gr. 36 ① ſecundum, exiſtet ſumma 313 gr. 6 ①, cujus à circulo differentia 46 gr. 54.

Hinc ſi ſubducas 161 gr. 24 ① ordine primum, de 188 gr. 3 ① ſecundo, relinquetur apparens Lunæ motus à prima epocha ad ſecundam 26 gr. 39.


Et ſi ſubducas 180 gr. 3 ① ordine ſecundum, de 114 gr. 38 ① tertio, reliquus erit apparens Lunæ motus à ſecunda epocha ad tertiam 286 gr. 35.

Denique ſi addas 26 gr. 39 ① terminũ ſeptimum, ad 286 gr. 35 ① octavum, exiſtent 313 gr. 14 ①, cujus à circulo differentia 46 gr. 46.

QVAESITVM. Tribus Lunæ locis earumque iſtis circumſtantiis datis argumentum propoſitionis nobis explicandum eſt: videlicet eccentricitas deferentis Lunæ in partibus ſemidiametri ejuſdem 10000; deinde apparentis apogæi in ecliptica, & Lunæ in deferente ad aliquam expoſitorum locorum, ut puta ſecundum, & mediæ Lunæ in ecliptica longitudines inveniendæ ſunt.

PRÆPARATIO.

Decircinetur Lunæ eccentricus A B C, centrum D, hinc aſſumantur tres epochæ (ſeu loca) A, B, C, ut arcus A B congruat quarto Dati termino, videlicet 25 gr. 30.



Et B C Dati quinto 287 gr. 36.


 Et ar-

Et arcus C A igitur sexto debebitur, videlicet ipsi | 46 gr. 54.
Deinde ex 2 membro 9 propositionis 1 libri invenio apogęum incidere in arcum B C, ut puta in E, unde recta per centrum D trajecta signabit perigæum in F; assumatur jam in ipsa D F terræ locus G, unde rectę ad Lunæ loca annexæ G A, G B, G C comprehendent per hypothesin angulum A G B Dati termini num septimum | 26 gr. 39.
Et B G C Dati octavum | 286 gr. 35.
Quare A G C Dati nono necessariò ęquabitur | 46 gr. 46.

NOTA.

In secundo hujus Quęsiti articulo, relegavimus te ad 2 membrum 9 propositionis 1 libri, ut inde petas in quem arcum apogęum cadat: verumenimverò occinet hîc fortè nobis aliquis ex media Astronomorum schola, *Ptolomæum*, reliquosque ex lentescente aut accelerante Lunę motu istuc deducere, neque ex ephemeridibus derivare; cui responsum velim, accelerationem & lentitudinem ab illis quoque ex antegressis observationibus tantum cognosci, nosq; istas ephemerides usurpare, tanquam ex ipso cœlo animadversę & notate, non autem tanquam ex abaco logistico essent derivatę; cujus causam suo loco fusius rettulimus.

COMMUTATIO LITERARUM.



Hactenus figuræ diathesin ita ordinavi ut formulæ 1 paradigmatis 2 propositionis congrueret; sed ut hi characteres ad imitabile exemplar aptentur, easdemque notiones habeant, & operis analogia omnibus numeris responderet, eos ita inter se commutabimus ut E apogæum inter A & B intercidat, utque ab A, B punctum proximū sit secundum graduum successionem, atq; inde C, id enim supra in 1 annotatiuncula 1 paradigmatis 2 propositionis monuimus: quare transponantur A in locum B, B in C, & C in A, ut hîc vides.

Quibus positis arcus A B, vel potius inquam, ejus à circulo differentia B A erit | 72 gr. 24.
B C | 46 gr. 54.
C A | 25 gr. 30.
Præterea angulus A G B | 73 gr. 25.
Et B G C | 46 gr. 46.
Et A G C | 26 gr. 39.

Vnde

Vnde (ut hujus propositionis scopum etiam in isto diagrammate explicemus) invenienda est eccentricitas D G in iisdem partibus quibus semidiameter deferentis Lunæ D E taxetur 10000. Secundò apogæi E apparens longitudo in ecliptica ad secundæ eclipsis epocham. Tertiò Lunæ in deferente longitudo ad aliquam expositarum epocharum, quam ante assignavimus secundam, quæ hîc est B. Quartò mediæ Lunæ (seu medii motus Lunæ) longitudo in ecliptica.

CONSTRVCTIO.

Cum itaque diagrammatis figuratio & literarum notatio 1 paradigmati 2 propositionis respondeant, inde linearum non continuatarum, quas hîc assumo B G C G rationem inquiram, ac qualium B G 2346.

Talium invenitur C G 2207.

Hinc duarũ linearum B G C G quantitate cognita, per eandem 2 propositionem ista quoque invenientur: Videlicet, primò in quibus partibus D E taxatur 10000 invenietur eccentricitas D G 768.

Secundò per suprascriptũ 1 paradigma 2 propositionis, Inveniam apparentem longitudinem à B ad E, æstimatam ex puncto non centro G, hoc est angulum E G B 64 grad. 22 ①, in hoc commutato diagrammate, sed in priore per literam B secundæ eclipsis epocha indicatur, cujus in locum hîc transtulimus A, atque ideò hâc literarum commutatione A in secundo diagrammate secundam eclipsin notat. Vt igitur inveniam quantum ea secundum visum absit ab E, componam suprascriptum E G B 64 gr. 22 ① ad angulum B G A 73 gr. 25 ①, atque inde conflabitur apparens Lunæ ad tempus secundæ eclipsis distantia ab apogæo E 137 gr. 47 ①. Sed hæc A quæ est secundæ eclipsis epocha, est sub 283 gr. 25 eclipticæ per secundum dati terminum, itaque hæc E 137 gr. 47 ① ipsa posterior est, qui propterea deducti de 283 gr. 25 ① relinquent optatam apogæi E longitudinem in ecliptica 145 gr. 38.

Tertiò per suprascriptum 1 problema 2 propositionis inveniam arcum E B 68 gr. 20 ①, in hac literarum commutatione, ubi A ob rationes quarto hujus ordinis articulo exhibitas secundam eclipsin significat: Vt jam inveniam quanto intervallo distet ab E, addendus erit arcus B A 72 grad 24 ① ad suprascriptum E B 68 grad. 20 ①, & exibit optatus Lunæ in deferente motus ad secundæ ecclipsis epocham 140 gr. 44.

Denique quartò huc addam 145 gr. 38 ① ordine quartum, & exibit optata longitudo medii motus Lunæ in ecliptica ad diem 25 Iunii 8 hor. 58 ① anno 1572 286 gr. 22.

NOTA.

Tres termini eclipsium tali inter se situ eligi possent, ut earum dispositio 2do 3^{tio} 4to paradigmati 2 propositionis similitudine responderent, cujus generis exempla supra in Solis motu constituimus, atque adeò cum inde similis ratio in Lunâ satis perspicua sit credo supervacaneum esse ista hîc iterare.

rare. Atque potius alterum paradigma *Ptolomæo* 6 cap. 4 libri usurpatum subjiciam, ubi tres epochas ab ultima usque memoria repetitas ex Babyloniorum observationibus expromit: Vt ita demonstremus eccentricum & epicyclum idem nobis præstare, easdemque revolutiones in planetarum motu designare, de quo *Hipparchum* dubitasse autor est *Ptolomæus*. & simul ut operis diversitas quæ illic & hîc occurrit clarius elucescat, exemplum hoc tanquam propositionem per sua membra secernam.

2 PARADIGMA.

DATVM. Adhibita diligenti temporum æquatione eclipsium epochę ita se habebant: prima sub 174 gr. 30 ①, secunda sub 163 gr. 45; atque à prima ad secundam intercidebant 354 dies 2 hor. 34 ①, quo temporis intervallo eccentrici apogæum per 11 propositionem 1 libri promovit 39 gr. 27 ①, qui deducti de 163 gr. 45 ① relinquent — 124 gr. 18.

Tertiæ eclipsis epocha erat sub 333 grad. 15 ①. & à secunda ad hanc intererant 176 dies 22 hor. 46 ①: ut inter primam & tertiam eclipsin intersint 530 dies 22 hor. 46 ①, & apogæum interea per 11 propositionem 1 libri commovit 59 grad. 9 ①. qui subducti de 333 gr. 15 ① reliquos faciunt — 274 gr. 6.

A' prima eclipsi ad secundam spatio 354 dierum 2 hor. 34 ① Luna in suo deferente per 11 propositionem 1 libri absolvit — 306 gr. 25.

Et à secunda eclipsi ad tertiam spatio 176 dierum 20 hor. 12 ① Luna in deferente per 11 propos. 1 lib. absolvit — 150 gr. 26.

Si componas 306 gr. 25 ① ordine quartū, ad 150 gr. 26 ① quintum conflabitur summa — 96 gr. 51.

Si deducas 174 gr. 30 ordine primum de 124 gr. 18 ① secundo, relinquetur apparēs Lunę motus à prima epocha ad secundam — 309 gr. 48.

Et si deducas 124 gr. 18 ① ordine secundum de 274 gr. 6 ① tertio, relinquetur apparēs Lunæ motus à secunda epocha ad tertiam — 149 gr. 48.

Si denique componas 309 grad. 48 ① ordine septimum cum 149 grad. 48 ① octavo, summa erit 459 gr. 36 ①, cujus à circulo differentia — 99 gr. 36.

QVAESITVM. E' cognitis istis tribus Lunæ locis seu epochis, hujus propositionis argumentum nobis est expediendum. primò eccentricitas in partibus semidiametri 10000, secundò apogæi apparēs longitudo ad aliquam expositarum epocharum, ut puta secundam: tertiò Lunæ motus in deferente ad aliquam expositarum epocharum, ut puta secundam: quartò etiam mediæ Lunæ (super lineæ medii motus Lunæ) longitudo in ecliptica invenienda est.

PRÆPARATIO.

Lunæ deferens A B C describatur super centrum D, & in eo tria assumantur puncta A, B, C, ut arcus A B congruat numero Dati quarto — 306 gr. 25.


Et B C Dati quinto — 150 gr. 26.

Quare A C congruet Dati sexto — 96 gr. 51.

Præterea apogæum (ut autor est *Ptolomæus*) cadebat in arcum C B, sit igitur in E, inde recta per centrum D acta designabit perigæum in F, jam inter D & F assumatur Terra G; unde ad exposita Lunę loca adjungantur rectæ G A, G B, G C, iteritque


per

per thesin angulus inversus A G B 309 gr. 48 ①, qui est terminus Dati septimus, hujus à circulo differentia dat ipsum angulum A G B 50 gr. 12.
Et angulo B G C congruet Dati octavus 149 gr. 48.
Quare A G C angulus congruet Dati nono 99 gr. 36.



COMMVTATIO LITERARVM AD IMITABILE EXEMPLAR.

Hactenus ista quæ per thesin nobis dantur ita disposuimus ut problema hoc ad analogiam 1 problematis 2 propositionis reduxerimus, sed ut in ipso opere iisdem literis, eademque notione uti possimus, easdem inter se ita commutabimus (propter causas in 1 annotatiuncula 2 propositionis expositas) ut apogæum E incidat in arcum A B, ut B ipsum A secundum graduum successionem sequatur, atque inde C, videlicet transpositis inter se literis A & C, ut in sequenti diagrammate vides.



Quibus

Quibus positis arcus A B, vel potius ejus à circulo differentia erit	150 gr. 26.
B C	53 gr. 35.
C A	96 gr. 51.
Angulus A G B	149 gr. 48.
Et B G C	50 gr. 12.
Et A G C	99 gr. 36.

Ex ista thesi (ut quæsitum etiam in hâc figura explicem) invenienda est primò eccentricitas D G, in iisdem partibus in quibus semidiameter deferentis D E ponitur 10000. Secundò invenienda est apogæi E apparens longitudo in ecliptica ad secundæ eclipsis epocham. Tertiò Lunæ motus in suo deferente ad idem secundæ eclipsis momentum. Quartò longitudo medii motus Lunæ in ecliptica.

CONSTRVCTIO.

Cum igitur linearum & notarum dispositio 1 paradigmati 2 propositionis usquequaque quadret, indidem quæram rationem linearum B G C G non continuatarum; & erit B G	7815.
Qualium G C	7480.
Cognitâ jam ratione linearum B G C G ex 1 paradigmate 2 propositionis, invenietur deinceps quoque, primò in partibus semidiametri D E 10000 ipsa eccentricitas D G	860.
Secundò per citatum 1 paradigma 2 propositionis inveniam distantiam B E æstimatam ex puncto G, hoc est angulum E G B (qui & in exposita & commutata figura idem est, quia B litera loco non est dimota, sed eundem utrobiq; situm obtinet) 11 gr. 30 ①. Sed B in secunda eclipsi sub ecliptica 163 gr. 45 ① per secundum Dati articulum consistit, ut E 11 gradib. 30 ① ipsam B sequatur, qui ideò deducti de 163 grad. 45 ①, relinquent apparentem apogæi E longitudinem in ecliptica sub	152 gr. 15.
Tertiò per suprascriptum 1 paradigma 2 propositionis inveniam arcum E B optatam Lunæ distantiam in deferente ab apogæo E	12 gr. 29.
Denique quartò ad eundem addam 152 grad. 15 ① ordine quartum, unde existet optata medii motus Lunæ longitudo in ecliptica	164 gr. 44.

CONVENIENTIA ET CONSENSUS *abacorum* Ptolomæi *in epicyclo, & nostri in eccentrico.*

Quandoquidem *Ptolomæus* 4 libri cap. 6. & in epicyclo & in eccentrico hunc epilogismum explicarit, ut ita utriusque hypothesis eundem eventum demonstraret, movet mihi non levem suspicionem veteres, cujus ille monumenta tractavit, solum eccentricum distinctè & absolutè usurpasse, ut in antecedente hoc exemplo. Veruntamen quia mihi ex ejus demonstratione non satis perspici videtur, quânam pragmatiæ differentiâ ista identitas eventus & conclusionis inveniatur, paucula de hujus & *Ptolomaici* operis convenientia annotare statui.

Primò

Primò cum in supra exposito diagrammate ageres rectam D B, atque inde calculum institueres, inveniebatur angulus prostaphæreticus D B G idem qui *Ptolomæo* 59 ①.

Secundò ratio semidiametri deferentis epicyclum ad ipsius epicycli semidiametrum *Ptolomæo* est ut 60 gr. ad 5 gr. 13 ①; nobis ut 10000 ad 860 ordine tertium. Nam 10000 semidiameter eccentrici semidiametro homocentri epicyclum deferentis æquari debet; & 860 eccentricitas, ipsius epicycli semidiametro. Ut satis vicina sit ratio 10000 ad 860, rationi *Ptolomaicæ* 60 gr. ad 5 gr. 13 ①; si enim per proportionem dicas ut 10000 ad 860, sic 60 grad. ad quem? Concludes 5 gr. 10 ①, quæ à *Ptolomæo* tantum 3 ① abludunt.

Tertiò notandum motum Lunę in epicyclo æqualem statui motui ejusdem in eccentrico, ut isti inter se ad amussim cõgruant. Sed motus Lunæ *Ptolomæo* est 12 gr. 24 ①; nobis in eccentrico 12 gr. 29 ①, qui est nostri ordinis sextus, ut inter nos & ipsum 5 ① tantum intercedant.

CONCLUSIO. Quare ex tribus Lunæ epochis invenimus eccentricitatem, &c.

30 PROPOSITIO.

Lunæ in deferente suo longitudine datâ, ejus à terrâ distantiam in partibus semidiametri deferentis 10000, & prostaphæresin, & angulum visionis mathematico ratiocinio ad stantis terræ hypothesin invenire.

DATUM. Lunæ motus ab apogæo sit graduum 30. deinde posita semidiametro deferentis 10000, erit per 1 paradigma 29 propositionis ipsa eccentricitas 768. QUAESITUM. Invenienda est recta à terræ centro ad Lunam pertinens in partibus semidiametri deferentis 10000, item prostaphæresis ejusdem loci, cum angulo visionis, seu diametro visuali Lunæ.

CONSTRUCTIO.

Si istâ thesi imiteris pragmatiam 3 propositionis invenietur optata distantia inter Lunam & Terræ centrum, in iisdem partibus in quibus semidiameter deferentis ponitur 10000, videlicet 10621.

Et prostaphæresis, quæ in exposito diagrammate, quia Luna in priore semicirculo hic versatur, subducenda est 1 gr. 55.

Sed angulus visionis, seu diameter visualis Lunæ (quæ in apogæo 30 gradibus æstimatur) est 30 ① 25.

Cujus veritas ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Quare Lunæ in deferente suo longitudine datâ, ejus à terrâ distantiam in partibus semidiametri deferentis 10000, & prostaphæresin, & angulum visionis mathematico ratiocinio stante Terra invenimus. quemadmodum oportuit.

CONSECTARIUM.

Itaque non obscurum est, quomodo tabella concenturiari possit quæ distantiam Lunæ à terræ centro, & prostaphæresin, & diametrum visualem Lunæ ad singulos sui deferentis gradus æstimatam exhibeat, ut inde facili negotio ista cum opus erit explicentur. hujus rei specimen ante oculos ponimus, per de-

per denum aliquot graduum intervalla. cui 180 grad. subjecimus, ut hinc ad proposita paradigmata suo loco repetatur.

TABELLA.

Gradus deferentis Lunæ.	*Luna à Terra centro distantia.*	*Prostaphæresis.*	*Anguli visionis Lunæ.*
		Aphæresis.	
gr.		gr. ①.	①. ②.
0.	10768.	0. 0.	30. 0.
10.	10757.	0. 43.	30. 2.
20.	10725.	1. 24.	30. 7.
30.	10621.	1. 55.	30. 25.
180.	9232.	0. 0.	34. 59.

31 PROPOSITIO.

Ad datam epocham & medii motus Lunæ, & apparentem apogæi in ecliptica, & Lunæ in suo deferente longitudines invenire, idq; mathematico ratiocinio stante Terra.

DATUM. Exponatur epocha, sivè annorum radix ad caput anni 1600.

QUÆSITUM. Medii motus Lunæ, & apparens apogæi deferentis longitudo in ecliptica, & Lunæ ipsius motus seu distantia ab apogæo invenienda sunt.

CONSTRUCTIO.

Principiò ad investigationem longitudinis medii motus Lunæ in eclipticâ, ea (per 1 paradigma 29 propositionis) anno 1572 ad diem 25 Iunii 8 hor. 58 ① invenitur sub 286 gr. 22.

Sed ab isto 25 die Iunii 8 hor. 58 ① anni 1572, ad caput anni 1600 intercidunt 27 anni Ægyptii 194 dies 15 horæ 2 ①, quo intervallo Luna per 11 propos. 1 lib. medio motu promovit 297 gr. 93.

Qui additi ad 286 gr. 22 ① primum terminum, exhibēt optatam medii motus Lunæ longitudinem in ecliptica ad caput anni 1600, seu expositam epocham 224 gr. 5.

Secundò ad investigandam apogæi deferentis longitudinem in ecliptica, eam ad diem 25 Iunii 8 hor. 58 ① anni 1572 ex 1 paradigmate 29 propositionis usurpo 145 gr. 38.

At motus apogæi deferentis Lunæ supra scripto 27 annorum Ægyptiorum 194 dierum 15 horarum 2 ① intervallo per 11 propositionem 1 libri erat 39 gr. 31.

Qui compositus cum 145 gr. 38 ① hujus ordinis quarto, exhibebit apparentem ab apogęo lōgitudinem ad positam epocham, quod est caput anni 1600 185 gr. 9.

Tertiò ad Lunæ longitudinem seu motum in deferente suo inveniendum usurpabimus locū ejus ad diem 25 Iunii 8 hor. 58 ① per 1 paradigma 29 propositionis inventum sub 140 gr. 44.

Et Lunæ motum in deferente suo, ad istud 27 annorū Ægyptiorum 194 dier. 15 hor. 2 ① intervallum, qui per 11 propos. 1 lib. datur 258 gr. 12 ①; vel qui idem facilius etiam invenietur de-

ductis

ductis 39 gr. 31 ① ordine quinto, de 297 grad. 43 ① secundo, reliquus enim idem erit qui prius 258 gr. 12.
Hi i cum antecedente 140 gr. 44 compositus dabit optatam Lunę n deferente suo longitudinem ad positam epocham, quod est caput anni 1600 sub 38 gr. 56.
Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Quamobrem ad assignatam epocham medii motus Lunæ, & apparentem apogæi deferentis in ecliptica, & Lunæ in deferente suo longitudines invenimus, idque mathematico ratiocinio stante Terrâ, ut decuit.

NOTA.

Cum epocharum inventarum (videlicet medii motus Lunæ, & apparentis apogæi deferentis longitudinum in ecliptica, & Lunæ in deferente) frequens sit usus in abacis Lunaris motus, eas hîc seorsim notatas ante oculos ponam.

LUNARIS MOTUS EPOCHÆ AD *caput anni 1600 consignatæ.*

Medii motus Lunæ longitudo in ecliptica	224 gr. 5.
Apogæi deferentis Lunæ longitudo in ecliptica	185 gr. 9.
Lunæ locus in deferente suo	28 gr. 56.

32 PROPOSITIO.

Ad datum tempus & medii motus Lunæ & apparentem apogæi in ecliptica, & Solis in deferente suo longitudinem invenire mathematico ratiocinio stante Terra.

DATUM. Tempus expositum sit 30 Decembris anni 1600.
QUAESITUM. Eo momento medii motus Lunæ, & apogæi deferentis apparens longitudo in ecliptica, & Solis in deferente invenienda sunt.

CONSTRUCTIO.

Ad investigandam medii motus Lunę longitudinem in ecliptica, assumam ejus epocham ex 31 propositione ad initiũ anni 1600 224 gr. 5.
Sed ab initio anni 1600 ad expositum diem 30 Decembris 1600 interjacet annus Ægyptius, quo intervallo medius Solis motus per 11 propositionem 1 libri est 129 gr. 23.
Quo addito ad 224 gr. 5 ① ordine primum, existet medii motus Lunæ optata longitudo in ecliptica 353 gr. 28.
Secundò ad investigandam apogæi deferentis Lunæ apparentem in ecliptica longitudinem, ejus epocham ex 31 propositione ad initium anni 1600 usurpabo sub 185 gr. 9.
Motus apogæi deferentis Lunæ anno Ægyptio suprascripto est per 11 propositionem 1 libri 40 gr. 40.
Qui additus ad 185 gr. 9 ① ordine quartum, dabit optatam apogæi apparentem in ecliptica longitudinem 225 gr. 49.
Tertiò ad inveniendam Lunæ in deferente suo longitudinem, seu

ab apogæo distantiam, assumam ex 31 propositione ejus epocham ad caput anni 1600 — 38 gr. 56.

Motus Lunę in deferente annuus Ægyptius est per 11 propositionem 1 libri 88 gr. 43 ①, qui facilius etiam invenietur si subducas 4 gr. 40 ① ordine quintum, de 129 gr. 23 ① secundo, idem enim erit reliquus — 88 gr. 43.

Hic additus ad 38 gr. 56 ① ordine septimum, dabit optatam Lunæ in deferente longitudinem — 127 gr. 39.

Cujus demonstratio ex pragmatiæ deductione & consequentia satis manifesta est. CONCLUSIO. Quare ad expositum temporis momentum & medii motus Lunæ, & apparentem apogæi longitudinem in ecliptica, & Lunæ in deferente suo invenimus. ut decuit.

33 PROPOSITIO.

Apparentem Lunæ in ecliptica lōgitudinem ad datum tempus mathematico ratiocinio ad stantis Terrę hypothesin invenire.

DATUM. Exponatur dies 30 Decembris anni 1600.

QUÆSITUM. Lunæ apparens in ecliptica longitudo invenienda esto.

CONSTRUCTIO.

Quæram apogæi deferentis apparentem in ecliptica longitudinem, ad expositum diem 30 Decembris anni 1600, eamque per 32 propositionem invenio — 225 gr. 49.

Deinde Lunę longitudinem seu motum in deferente suo ad eundem 30 Decembris diem, quæ per 32 propositionem invenitur — 127 gr. 39.

Hujus prostaphæresis est per 30 propositionem — 3 gr. 39.

Et cum ea sit aphæretica, seu subducenda, quia in priorem semicirculum cadat, dempta de 127 grad. 39 ① termino ordinis secundo (contra si in priorem semicirculum incideret addita) dabit — 124 gr. 0.

Quibus additis ad apparentem apogæi longitudinem 225 grad. 49 ① ordine primum, existet optata apparens Lunæ longitudo in ecliptica — 349 gr. 49.


DEMONSTRATIO.

Exponatur eccentricus deferens Lunam ABC, super centro D, Terra E, apogæum A, quod, ut primus ordinis terminus consistat sub eclipticæ — 225 gr. 49.

Luna sit in B, ut motus in deferente suo AB, seu angulus ADB sit terminus inventus ordine secundus — 127 gr. 39.

Angulus prostaphæresis hic tantus est, quantum tertius ordinis numerus designat, videlicet — 3 gr. 39.

Is subductus (quia in priorem semicirculū coïncidit) de ADB — 127 gr.



127 gr. 39 ① ordine secundum, dabit angulum AEB numerum ordine quartũ 124 gr. o. Sed cum A ex E videatur sub eclipticæ 225 gr. 49 ①, qui est terminus ordine primus, consequens est B tantum antrorsum vergere, quanta est amplitudo anguli AEB, videlicet 124 gr. o ①, qui propterea additi ad 225 gr. 49 ① exhibuere apparẽtem Lunæ in ecliptica longitudinem, numerum ordinis quintum 349 gr. 49. Quod demonstrandum erat. CONCLVSIO. Quare apparentem Lunę in ecliptica longitudinem ad datum tempus mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenimus. quod petebatur.

1 NOTA.

Eâdem analogia quâ Solis ephemerides 12 propositione subduximus, etiam hîc Lunares ephemerides deducentur, eorum namque motus similitudine respondent, cum in solo eccentrico rotentur.

2 NOTA.

Non obscurum est quomodo in sequentibus, cum erit opus, invenienda sit apparens Lunæ horaria exsuperatio supra Solem (quæ semper ferè discrepat ab exsuperatione mediorũ motuum 11 propositionis 1 libri.) Postuletur igitur ea, dicis gratiâ, post exactam horam unam ad diem 30 Decembris 1600. ut eam invenias, primò inquiras apparentem in ecliptica longitudinem ad diem expositum 30 Decembris 1600, quemadmodum hâc 33 propositionis docuimus. deinde eâdem viâ eandem longitudinem post unius horæ elapsum intervallum investigato. tum subducto motu priore de posteriore, reliquus erit Lunę motus horarius, ad tempus expositum. Iam cum inde deduxeris motum Solis horarium, reliquus erit exsuperatio optata.

3 NOTA.

Motus Lunæ secundum hanc stantis Terrę hypothesin inventus nõ omnino & accuratè observationibus respondet: sed modò verum antevertit, modò sequitur, quæ differentia non nunquam ad 2 gr. excurrit, quamvis medii motus abaci etiam ad multa secula accuratè constituti sint. Vt præter anomaliam eccentrici deferentis alia quædam secunda huic subsit. Quam *Ptolemæus* secutus quidem est, sed planè assecutus non est; nam dum commentitios suarum hypothesium conceptus cum nuda terrestris motus hypothesi commiscet, à proposito scopo aberravit, ut ipse non minus ultra & citra verum terminũ evagetur, quam hîc positus à nobis calculus; atque hanc ob causam, quod alibi

 quoque

quoque monuimus, motus illos disjunctos segregavi, quod & jam patuit, & eosdem insuper 6 distinctione separatim describam.

Animadvertito præterea ignotas hujusmodi anomalias, quales hic in Luna notavimus cæteris quoque planetis subesse, ut Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii motus 2 gradibus à vero loco abnutent, quamvis medii motus accuratè sint constituti.


DE APPARENTI LVNÆ AB ECLIPTICA LATITVDINE.

34 PROPOSITIO.

Ad aliquam eclipsin Lunæ longitudinem à nodo, ejusdemque nodi locum in ecliptica mathematico ratiocinio stante Terrâ invenire.

DATVM. Ex observationum ephemeridibus (pro quo *Stadium* nunc usu po) duas eclipses, quarum utrâque Luna æqualiter defecerit, seligo. harum primam sumam eam, quæ contingit anno 1605 ad diem 14 Maji 10 hor. 58 ①, quo tempore Luna 8 digitis 55 ① defecit (Lunæ enim diameter in uncias, quos digitos mathematici appellant, dividitur) ac Luna ad expositum temporis momentum versabatur sub eclipticæ 242 gr. 36 ①, nam ad assignatam horam 10 & 58 ① medium eclipsis annotavit *Stadius*, ubi error commissus est, serius enim contigit. sed cum id tantum exempli gratia hic usurpetur, ad istum errorem connivere nobis licebit. Secundam eclipsin usurpabimus anni 1605 ad diem 16 Septembris 15 hor. 59 ①, ubi 8 digitis 53 ① defecit, cujus differentia cum à priore tantû absit 2 ①, fingam doctrinæ causa, utrosq; æquari. contigitque hæc eclipsis secundum exposita sub eclipticæ 3 grad. 37 ①.

PRAEPARATIO. Designetur Lunæ eccentricus A B C, ubi A C nodos eclipticos designent, D Lunæ locum prioris eclipsis, E locum secundę, ut C E, A D peripheriæ æquentur, quia utrâque eclipsi Lunam eodem à nodis intervallo distare necessarium fit, est enim utrobique æquali parte defecta. Iam inquiram utriusque loci prostaphęresin, ac primo quidem loco invenio addendos 5 gr. 33 ①, tanto enim intervallo Luna apparens sub eclipticæ 242 gr. 36 ① antevertit motum medium, qui per 32 propositionem tum erat sub eclipticę 237 gr. 3 ①. at prostaphæresis secundę eclipsis erat 4 gr. 55 ① subducenda, cui respondet arcus G E, ut puncta F & G medii motus Lunæ loca designent, ad expositarum eclipsium momentum.



CONSTRVCTIO.

Cum medii motus Lunæ locus prima eclipsi sit in F, & secunda in G, eo intervallo, videlicet 2 annis Ægyptiis 126 dieb. 5 hor. 1 ① (quod tempus si naturale foret prius secundum pręcepta 15 propositionis æquandum esset; sed cum istæ ephemerides ad tempus ęquale subductæ sint, atq; ista hîc tantum dicis gratia usurpentur, utemur isto tanquam tempore æquato) Luna in latitudine cucurrit arcum apparentem F G, qui est per 11 propos. 1 libri | 167 gr. 5.

Huc additus arcus D F, qui per pręparationem valet	5 gr. 33.
Existet D G	172 gr. 38.
Vnde deductus E G, qui per pręparationem est	4 gr. 55.
Relinquetur D E	167 gr. 43.
Cujus à semicirculo differentia dabit summam arcuum A D E C	12 gr. 17.
Et cum isti arcus per thesin æquentur, erit ejus semissis pro A D, optata Lunę D distantia ab nodo A	6 gr. 9.
Sed D Luna per thesin secundum visum versatur sub eclipticę 242 gr. 36 ①: Vnde retrorsum numeratis 6 grad. 9 ①, qui est numerus ordine septimus, existet optatus nodi ecliptici locus ad primę eclipsis momentum sub A	236 gr. 29.

Et quia Luna hinc in boream eclipticę plagam adscendit (quemadmodum ex ephemeridibus, quas nunc observando ex cœlo deductas fingimus, animadvertitur) hîc nodus, per 4 definitionem 2 distinctionis 1 libri, erit Boreus.

1 NOTA.

Ephemerides hîc nodum boreum sub 235 gr. 35 ① annotatum habent, qui à nostro calculo 236 grad. 29 ①, absunt 54 ①. Porrò Lunę à Boreo nodo distantia, quæ hîc 7 hujus ordinis numero inveniebatur 6 grad. 9 ①, si secundū ephemerides res hæc æstimanda esset, caderet in 6 gr. 7 ① (tantum enim Lunæ locus 242 gr. 36 ①, distat à 236 gr. 29 ①) quorum differentia est 2 ①.

2 NOTA.

Si terminus ordinis quintus in circuli initium aut finem incideret, hoc est vel in 0 gr. vel in 360 gr. indicium esset Lunæ secundam eclipsin non in E incidisse, sed cum priore D coincidisse, actum cum terminum esse inutilem, quod facile animadvertere est hunc calculum porrò tentanti. At si terminus ordinis quintus 180 graduum foret, hoc indiciū esset Lunæ secundam eclipsin non in E, inter D & C intercedere; sed ultra C excurrere, qui casus ad propositum planè inutilis est. nam duobus tantum locis effectionem habet idoneam, unam eo casu quem istud expositum diagramma demonstrat, alteram cum Lunæ secundæ & primæ eclipsis loca tantundem ab eodē nodo utrimq; distabunt; tumque terminus ordinis quintus de integro circulo 360 grad. erit subducendus, atque cætera operatio jam expositæ consimiliter instituenda.

3 NOTA.

Secundo, & quarto, & octavo ordinis termino additionem subductionémque usurpavimus, sed hîc diligentissima diagrammatis tibi habenda est ratio; nam dicis gratiâ, si peripheria D E non prosthetica, sed aphæretica fuis-

ſet, manifeſtum eſt ad inveniendum D G, non addendam ad priorem arcum, ſed ſubducendam eſſe. CONCLVSIO. Igitur ad alicujus eclipſis Lunaris epocham, Lunæ ipſius à nodo diſtantiam ejuſdemque nodi in ecliptica longitudinem invenimus, ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin. quod facere oportebat.

35 PROPOSITIO.

* ἀναβιβάζοντος.

Ad datam epocham * Borei nodi longitudinem in eclipticâ mathematico ratiocinio ſtante Terra invenire.

DATUM. Exponatur epocha caput anni 1600.

QVAESITVM. Borei ſeu adſcendentis nodi longitudo ad aſſignatum temporis momentum inveniendum.

CONSTRVCTIO.

Borei nodi lõgitudo anno 1603 ad diem 4 Maji 10 hor. 58 ①, per 34 propoſitionem inventa eſt ſub eclipticæ	236 gr. 29.
Sed ab aſſignata epocha, quod eſt initum anni 1600, ad diem 14 Maji 10 hor. 58 ① anni 1603 intercidunt 3 anni Ægyptii 135 dies 10 hor. 58 ①, quo intervallo nodus Boreus per 11 propoſitionem 1 libri commovit	63 gr. 10.
Qui additi ad 236 grad. 29 ① numerum ordine primum, dabunt optatam Nodi borei in ecliptica longitudinem ad caput anni 1600, tanquam aſſignatam epocham	30 r gr. 39.


Cujus demonſtratio ex operis filo perſpicitur. CONCLVSIO. Quare Borei nodi longitudinem in ecliptica ad datam epocham invenimus, & quidem mathematico ratiocinio ad ſtantis Terræ hypotheſin, ut decuit.

36 PROPOSITIO.

Lunæ ab ecliptica declinationem mathematico ratiocinio ex obſervationibus deducere.

Vt in hac Borea orbis Terrarum plaga maximam Lunæ ab ecliptica latitudinem inveſtigemus, unde ſui deferentis declinatio invenitur, commodiſſimum arbitror exſpectare donec maximam latitudinem boream adierit, hoc eſt cum nodius Boreus ſectioni vernæ congruat, Lunaque 90 gr. ab nodis diſtabit. Vt præterea eo loci obſervatio inſtituatur, ubi Luna eo temporis momento vertici perpendicularis immineat, ut ſic parallaxin declinemus. His poſitis, quantum vertex à 90 eclipticæ gradu diſtabit, tanta quoque neceſſariò arguetur maxima Lunæ latitudo ſeu deferentis ſui declinatio ab eclipticâ.

Sed ut idem in diagrammate clarius cognoſcatur, exponatur Terra A B C, ejus centrum D, æquator B D C, ſtatio obſervantis A, hujus loci latitudo B A 28 gr. 51 ① 20 ②, hinc recta à centro D per A deſignet loci verticem E in meridiano D A E. Hinc per B ejiciatur recta G B D C H tanquam æquator, I D K ecliptica, inter quos G I maxima declinatio ſecundum hypotheſin *Ptolomæi* ſit 23 gr. 51 ① 20 ②, & G E ſeu ipſi ſimilis B A inveniatur 28 grad.



28 grad. 51 ① 20 ②. unde deductus arcus G I 23 grad. 51 ① 20 ② relinquet I E seu angulum E D I 5 gr. pro maximâ Lunæ declinatione ab eclipticâ, æstimatâ ex terræ centro D. Et cõsequenter tanta erit optata deferentis lunaris obliquitas ad eclipticam, quæ hic per F D N significatur.

Sed ut eodem diagrammate ostendamus causam, cur Luna F observantis vertici A ad perpendiculum imminere debeat, secundi observatoris stationem constituamus in L, unde Luna videatur in M. itaque clare perspicitur Lunam ex A vel D spectatam in eodem planè loco E videri, ex L autem in diverso ob parallaxin.

Et quamvis *Ptolomæus* hæc Alexandriæ, cujus latitudo est 30 grad. 58 ① observarit, ubi Luna verticis punctum non ad perpendiculum subibat, sed 2½ gr. aberat, non potuit tamen ille tantillus arcus à parallaxi aliquid erroris objicere.

Quod si verò aliquis idem experiri conetur eo loci, ubi Luna in maximâ sua obliquitate notabilem aliquam patiatur parallaxin, quod ex 23 propositionis consectario cognoscitur, ibi parallaxi ad inventam declinationem additâ vel subductâ, prout res ipsa postulabit, optatum assequetur scopum.

1 NOTA.

Observationem hanc instituendam monuimus, Lunâ in 90mo gradu & sui deferentis, & secundum eclipticæ longitudinem constitutâ. sed cum Nodus boreus 18vo quoque anno singulas conversiones per 9 propos. 1 lib. absolvat, hæc observatio singulis octodecaëteribus semel tantum poterit institui; unde incommodum non leve objici videtur, si Nodo boreo & sectione verna cõgruentibus, Luna eo tempore non in 90mo, sed in 180mo eclipticæ gradu versetur. atque si Lunæ ad istum locum accessus expectandus esset, cui rei 15 ferè dies insumuntur, interea Nodus boreus à sectione verna 44 ① recesserit: atqui cum Nodus boreus (seu ascendens) 44 ① à verna sectione tantum disjunctus, differentiã notabilem nullam hîc inducat suæ latitudini ad 90mum gradum, nullus inde error oriri poterit.

Insuper etiam illud incommodi objici nobis poterit, ut Luna constituta sub 90 gradu Soli vicina nostro visui dispareat; vel si appareat, ut non in meridiano culminans, sed 180 gradib. illinc disjuncta, in imò medii cœlii apud antipodes fulgeat; at post horas 12 Luna 7 jam gradib. sede sua emota est. quod si contigerit, observatio instituẽda erit vel ante, vel post, unius aut etiam alterius mensis intervallo, quando tibi videbitur Lunâ simul in meridiano, & 90mo eclipticæ gradu proximè constitutâ, intervallum enim illud, quo tum propius remotiusve 90 gradibus à Boreo nodo distabit, ob causas jam dictas haud magni erit momenti.

2 NOTA.

Optata declinatio deferentis Lunæ ab ecliptica etiam per 39 propositionem expediri potest, quem modum, tanquam illius loci cõsectariũ illic docebimus.

37 PROPOSITIO.

Ad datum tempus * Borei nodi longitudinem in ecliptica mathematico ratiocinio secundum stantis Terræ hypothesin invenire.

* ἀναβιβάζοντος adscendentis.

DATUM. Exponatur dies 30 Decembris anni 1600.

QUAESITUM. Invenienda est eo temporis momento Borei nodi longitudo in ecliptica.

CONSTRUCTIO.

Borei nodi longitudo in ecliptica ad initium anni 1600, seu epocham supra 35 propositione constitutam erat 301 gr. 39.

Sed ab initio anni 1600 ad datum 30 Decembris 1600, interest annus Ægyptius, quo Nodus boreus retrorsum, hoc est contra signorum successionem, per 9 propos. 1 libri commovit 19 grad. 20 ①; subducto videlicet medio Lunæ motu annuo de motu latitudinis; hoc est, per 11 propositionem 1 libri subductis 129 gr. 23 ① de 148 grad. 43 ①, reliquus erit idem, qui prius 19 gr. 20.

Qui deductus de 301 gr. 39 ①, numero ordine primo, relinquet optatam Borei nodi longitudinem in ecliptica 282 gr. 19.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Quare ad datum tempus Borei nodi longitudinem in ecliptica mathematico ratiocinio secundum stantis Terræ hypothesin invenimus. ut petebatur.

CONSECTARIUM.

Non obscurum est ex hoc Nodo boreo seu adscendente, etiam Notium seu descendentem nodum inveniri; nam si à 282 gr. 19 ① demas addasvè 180 grad. quod hinc tibi nascetur, videlicet 102 grad. 19 ① optatum assignabit locum.

38 PROPOSITIO.

Ad datum tempus Lunæ apparentem ab Ecliptica latitudinem, ex Terræ centro æstimatam, mathematico ratiocinio invenire, stante Terra.

DATUM. Exponatur dies 30 Decembris anni 1600.

QUAESITUM. Lunæ apparens latitudo ab ecliptica invenienda est.

CONSTRUCTIO.

Ad assignatum temporis momentum apparentem Lunæ in ecliptica longitudinem invenio per 33 propos. 349 gr. 49.


Et Borei nodi longitudinem in ecliptica per 37 propositionem 282 gr. 19.

Horum differentia est apparens arcus inter Boreum nodum & Lunam interjectus 67 gr. 30.

Sit jam Lunæ deferens A B C, quæ eclipticam D B E secet in B Nodo boreo, hinc in circulo A C assumatur Lunæ locus F, ut B F sit 67 grad. 30 ① ordine tertius, unde F G perpendi-

cularis

cularis cadat in B E. Quibus positis triangulum B F G tres habet terminos notos, B F 67 gr. 30 ①, angulum F B G 5 gr. per 36 propositionem, & F G B rectum. Unde latus F G optata latitudo, per 34 propositionem sphæricorum triangulorum invenitur 4 gr. 37.



Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

CONCLUSIO. Quare ad datum tempus Lunæ apparentem ab ecliptica latitudinem, ex Terræ centro æstimatam mathematico ratiocinio, secundum stantis Terræ hypothesin invenimus, quemadmodum petebatur.

DE LUNÆ DISTANTIA, MAGNI- *tudine, * angulo visionis Terrestris umbræ umbra, quâ Luna eam transit.*

** seu diametro coni ex terra centro æstimatâ.*

39 PROPOSITIO.

Distantiam Lunę à Terra in partibus semidiametri terræ 10000 mathematico ratiocinio invenire, stante Terra.


Ptolemaica methodus, quæ ab hâc diversa est, in appendice explicabitur.

DATUM. Duo syderum observatores duabus diversis Terræ stationibus, sub eadem quidem longitudine, latitudine verò satis dissitâ, indies Lunæ in meridiano cœli fastigio constitutæ altitudinem supra horizontem, aut infra verticem depressionem notent. Ex istis observationibus duas aliquas eodem temporis momento notatas & animadversas seligito, quarum ope scopum assequeris. Exemplum. Exponatur Terra A B, ejus centrum C, Luna D, per quam eductus est meridianus E D F, sitque C G æquator spectatus in cultrum. Duæ observatorum stationes sub eodem meridiano sint A & B; vertex loci A sit H, ut G H latitudo loci A sit 46 grad. 36 ①; vertex loci B sit I, & G I latitudo loci secundi B sit 44 gr. Notata igitur sit ab observatore A Luna abesse à vertice 18 grad. 23 ①, pro angulo H A D. Et ab eo qui observabat ex B Luna notata sit abesse à vertice I 73 gr. 21 ① pro angulo I B D. Iam connectantur rectæ C D, B A. QUÆSITUM. Recta C D in iisdem partibus invenienda est, quibus Terræ semidiameter A C taxatur 10000.

CONSTRUCTIO.

Ad arcum G I 44 grad. per thesin, addito G H 46 grad. 36 ①, & existet arcus H I, qui idem est cum A B, seu angulo A C B 90 gr. 36.
Is deductus de 180 grad. relinquet summam angulorum C B A, C A B 89 gr. 24.

Cujus



Cujus semissis, pro angulo C B A 44 gr. 42.
Qui deductus de 180 grad. relinquit angulum I B A 135 gr. 18.
Inde subductus I B D, qui per thesin valet 73 gr. 21 ①, reliquus erit angulus D B A 61 gr. 57.
Si de angulo H A B, qui ipsi I B A 135 grad. 18 ① hujus ord nis quarto æqualis est, subducas angulum H A D qui per thesin est 38 grad. 23 ①, reliquus erit angulus D A B 116 gr. 55.
Cum arcus A B sit 90 grad. 36 ① ordine ptimus, ejus subtensa, per 13 propositionem libri de fabrica sinuum, in partibus A C 10000 æstimata, valebit 14216.
Triangulum D A B tres terminos habet cognitos, ut sunt D B A 61 grad. 57 ① ordine quintus, D A B 116 grad. 55 ① ordine sextus, & latus A B 14216 ordine septimus. Vnde latus D B per 4 propositionem planorum triangulorum invenietur 640223.
Si ad angulum D B A 61 grad. 57 ① ordine quintum, addas angulum C B A 44 grad. 42 ① tertium, existet angulus D B C 106 gr. 39.
Triangulum D B C tres cognitos habet terminos, ut sunt D B C 106 grad. 39 ① ordine nonus, D B 640223 octavus, & B C 10000 per thesin. Vnde latus C D, & angulus B C D per 6 propos. planorum triangulorum invenientur: videlicet C D, quæ est optata Lunæ à terræ centro, distantia 643020.
Et angulus B C D cujus quantitas (licet in hâc propositione non quæratur, tamen in sequenti consectario serviet) erit 72 gr. 30.
Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

1 NOTA.

Antecedentis operis veritas, & congruentia etiam hoc modo explorari potest. suprascripti observatores præter istum jam consignatum modum, insuper Lunæ

Lunæ (in meridiano constitutæ) à fixarum aliqua, in eodem meridiano consistente distantiam mensuranto, nam parallaxis quæ inter ipsorum observationes invenietur ejus loci parallaxin definit. ut si ea hîc inveniatur 1 grad. 18 ①, isti loco congrua esset, quia in triangulo D A B, angulus D B A sit 61 gr. 57 ①, qui est numerus ordinis quintus, & D A B 116 gr. 55 ① sextus, qui simul de 118 grad. deducti reliquos facient 1 gr. 8 ① ut supra.

2 NOTA.

Si inter observationes tales duæ occurrerent, quæ Lunam æquali intervallo à vertice disjunctam exhiberent, abacus iste nonnihil levaminis haberet, quemadmodum 23 propositione perspicitur, ubi similem operationem in Sole usurpavimus.

3 NOTA.

Cæterum cum necesse sit locum Lunæ, quem ipso observationis momento obtinuit cognosci, eum hîc, sequêtis doctrinæ gratiâ in apogæo assignabo.

CONSECTARIUM.

Quia duo anguli D B C, B C D, quorum summa est 179 gr. 9 ① sint cogniti, efficitur ut si de 180 gradibus subducti relinquant angulū B D C 51 ①, qui Lunæ parallaxin eo loci definit. CONCLVSIO. Inventa igitur est Lunæ à Terra distantia in iisdem partibus, quibus Terræ semidiameter ponitur 10000, idque mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin. Quemadmodum petebatur.

CONSECTARIUM.

Propositionis 36 prima annotatiuncula recipimus nos hîc propositione ostensuros, quomodo etiam hinc Lunę ab ecliptica declinatio inveniri possit, ejus igitur modus talis est.

Angulus B C D hac propositione inventus est	72 gr. 30.
Vnde subductus I C G 44 gr. per thesin, reliquus erit G C D, vel arcus G D apparens Lunæ ab æquatore distantia	28 gr. 30.
Inde subductâ declinatione Solis ab ecliptica, quæ est	23 gr. 30.
Reliqua erit apparens distantia à Luna ad eclipticam, hoc est apparens Lunæ latitudo secundum eclipticam, & consequenter deferentis Lunæ declinatio ab ecliptica, ut in 36 propositione	5 gr.

40 PROPOSITIO.

Lunæ à Terra distantiam ad datum in eccentrico locum in partibus semidiametri ejusdem 10000 mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenire.

DATVM. Lunæ in eccentrico suo longitudo ponatur gradnum 30.

QVAESITVM. Recta à Terra ad Lunam pertingens invenienda est in iisdem partibus, quibus eccentrici deferentis semidiameter supponatur 10000.

CONSTRVCTIO.

Ex variis modis per quos hoc problema expediri possit, omnium qui mihi nunc in mentem veniat cōmodissimus ita habet. Cum per 39 propositionem

ejusque annotatiunculam 3, Lunæ in apogæo eccentrici sui constitutæ distantia à Terræ centro, ad ipsius terræ centrum habeat rationem, quam 643020 ad 10000, atque eadem illa 30 propositione nobis sit usurpata 10768. Concludam ex proportione ut 643020 ad 10000, sic 10768 ad quem? existent 167. habebit igitur eccentri semidiameter ad Lunæ in 30mo eccentrici gradu distantiam à Terræ centro rationem eam, quam 167 ad 10768; atque adeò etiam ad reliquas à Terra ad eccentricum Lunæ pertinentes eam habebit rationem, quam 167 ad numeros 30 propositione expositos: Sed recta Terræ centrum nectens cum proposito 30mo eccentrici gradu ibi inventa est 10621: quare terræ semidiameter ad eandem se habet ut 167 ad 10621. Quam rationem ad partes semidiametri eccêtrici 10000 per proportionem revocabis hoc modo. Vt 167 ad 10621, sic 10000 ad 635988 terminum optatum. Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Quamobrem Lunæ à Terra distantiam ad datum ejus in eccentrico locum in partibus semidiametri Terræ 10000 Mathematico ratiocinio invenimus secundum stantis Terræ hypothesin. ut petebatur.

CONSECTARIUM.

Quare 167 nobis communis terminus esto, cujus ope cæterarum omnium linearum à Terræ centro ad Lunam pertinentium quantitatem ad positam æstimationem revocemus. Dicis gratia si quæratur recta à Terræ centro ad 10 gr. deferentis pertinens, quæ 30 proposit. ponitur 10757, concludam hoc modo, ut 167 ad 10757, sic 10000 ad 644132 terminum quæsitum. atque ita deinceps in cæteris consimiliter. unde constructio tabellæ, quæ Solis à Terrâ distantiam ad singulos sui deferentis gradus exhibeat erit in procinctu: cujus generis tabellam ad denos aliquot gradus exempli causâ subjecimus; cui adjunximus 180^{m} gradus à Terrâ distantiam, quia in paradigmatis sequentibus nobis usui fit.

TABELLA DISTANTIÆ LVNÆ A TERRÆ *centro in partibus semidiametri terrestris 10000 æstimata.*

** distantia ab apogæo.*

Gradus deferentis Lunæ.*	*Rectarum à Luna ad Terram pertinentium quantitas.*
0.	644790.
10.	644132.
20.	642216.
30.	635988.
180.	552814.

NOTA.

Si dicas 10000, dant numerum expositæ tabellæ primum 644790, ergo 1 quid dabit? Concludes in numeris integris 65 proximè. Vnde efficitur rectam à Terra ad Lunæ apogæum esse 65 semidiametrorum terræ.


41 PRO-

41 PROPOSITIO.

Lunæ ſemidiametrum in expoſitis Terreſtris ſemidiametri partibus 10000 mathematico ratiocinio invenire ad ſtantis Terræ hypotheſin.

DATUM. Exponatur A B Luna in apogæo, ejus centrum C, centrum Terræ D, quæ connectat recta C D, & D B Lunam contingat in B, huc adjungatur B C Lunæ diameter, eritque B D C ſemiſſis anguli ſub quo Luna nobis videtur. QUÆSITUM. Invenienda eſt B C Lunæ ſemidiameter in iiſdem partibus, in quibus Terræ ſemidiameter ponitur 10000.

CONSTRVCTIO.



In triangulo B C D dantur tres termini cogniti, videlicet B D C ſemiſſis anguli ſub quo Luna videtur, is enim quia Luna in apogæo conſiſtit per 30 propoſitionem erit 15 ①, & C D 644790 per 40 propoſitionem, & angulus C B D rectus per theſin. Vnde per 4 propoſitionem planorũ triangulorum optata Lunæ ſemidiameter invenietur 2837 earundem, quarum Terræ ſemidiameter ſupponitur 10000, nam æſtimatio lineæ C D 644790 in iſtis partibus uſurpatur. cujus demonſtratio ex operis deductione & filo perſpicitur.

NOTA.

Terræ ſemidiameter in Lunæ ſemidiametris æſtimata per proportionem dabitur, hoc modo; ut Lunę ſemidiameter 2837 ad Terrę ſemidiametrum 10000, Sic 1 ad $3\frac{1}{2}$ proxime. Et rurſum ſi Lunæ Soliſque ſemidiametros inter ſe velis cõtendere, ſic ages, ut 10000 Terræ ſemidiameter, ad ſemidiametrũ Lunæ 2837, ſic 1 ad $\frac{2}{7}$ proxime; atqui per 25 propoſitionem Solis ſemidiameter eſt earundem partium 5: Erit igitur Lunæ ſemidiameter ad ſemidiametrum Solis ut $\frac{2}{7}$ ad 5, ſeu ut 1 ad $17\frac{1}{2}$.

CONSECTARIUM.


Ad hunc numerum ſi velis aggregare rationes ſoliditatum, ſic ages. Cum ſolida corpora habeant triplicatam rationem homologorum, erit quoq; Terra ad Lunam ſecundum expoſita ut cubus $\frac{7}{2}$ ad cubum 1, hoc eſt ut $42\frac{7}{8}$ ad 1. Et Sol ad Lunam ut cubus $17\frac{1}{2}$ ad cubum 1, hoc eſt ut $5359\frac{3}{8}$ ad 1.

42 PROPOSITIO.

Solis loco in deferente & infra verticem depreſſione ex Terræ centro æſtimatâ datis, ejuſdem parallaxim in circulo verticali mathematico ratiocinio, ſecundum ſtantis terræ hypotheſin invenire.

NOTA.

Propositionis 39 consectario parallaxis ex ipsis observationibus inveniendæ rationem modumque consignavimus, id consectarium hujus propositionis, ubi per abacum & numeros eam investigamus, basis quædam est & fundamentum. nam importunum foret parallaxin hanc ex cœlo & organis semper derivare. DATUM. Exponatur Terræ, globus A B, centrum C, observantis statio in A, Luna D, cujus distantia ab apogæo suo sit 30 gr. & à vertice loci E, qui est arcus E D, seu angulus E C D, seu A C D sit 50 gr. atque hîc A D C erit Lunæ ejus loci parallaxis in circulo verticali.



QUÆSITUM. Angulus ADC inveniendus est.

CONSTRUCTIO.

Triangulum A D C tres terminos habet cognitos, angulum A C D 50 grad. per thesin, & C A 10000, & C D rectam à terræ centro ad 50^{mum} deferẽtis gradũ, quę est per 40 propositionem 635988. Vnde angulus A D C per 6 propos. planorum triangulorũ pro oprata parallaxi invenietur 0 gr. 42 ①. Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Quare Lunæ loco in deferente & infra verticem depressione ex Terræ centro æstimata datis, ejus Parallaxin mathematico ratiocinio, secundũ stantis Terræ hypothesin invenimus. Quod facere oportuit.

CONSECTARIUM.

Neque hinc obscurum arbitror, quomodo ad parallaxis in circulo verticali expeditam inventionem, canonion per singulos gradus institui & ordinari possit. Cujus specimen aliquod per denos gradus subjecimus, Lunâ in 30 deferentis gradu constituta.

TABELLA.

Gradus quadrantis verticalis	*Parallaxis Lunæ in deferentis 30 grad.*
gr.	gr. ①.
0.	0. 0.
10.	9.
20.	0. 19.
30.	0. 27.

Et secundum hujus calculi leges maxima parallaxis Lunæ, quę sit deferentis gradu 180mo, seu apogæo in 90mo infra verticem gradu dejecto, invenietur 1 grad. 2 ①.

2 NOTA.

Iam inde non erit obscurum quomodo canon septemplicis felidis, ad tricenos quosque deferentis gradus, qualem *Rheinoldus* usurpat, sit concinnandus; ubi ejus abacus, propter accuratiorem ② calculum, à nostris numeris abludit: nam pro istis 9 ①, 19 ①, 27 ①, invenit 9 ① 27 ①, 18 ① 35 ②, 27 ① 9 ②:

9 ②: Et maximæ parallaxis æstimationem (hoc est Lunâ versante in perigæo, & 90 gr. infra verticem depressâ) 1 grad. 2 ① 54 ②.

Præterea hoc quoque notato, si in hujus canonii supputatione illam viam insistas, quàm simili casu 26 propos. in Sole expressimus; te non tam propè verum collimaturum quàm *Rheinoldus* suo intricatiore & molestiore calculo. Nam si dicas ut sinus quadrãtis verticalis, ad propositam Lunæ depressionem infra verticem; sic maxima ejus parallaxis ad quem? proportio non succedet, ob nimiam Lunæ cum Terra vicinatem. Veruntamen ut differentiam eam, quanta sit ad positum aliquem locum expendamus, exemplum sumamus Lunâ in perigæo deferentis & 30 grad. infra verticem depressâ. proportionis termini tales erunt, sinus 90 grad. hoc est, 10000, dant 5000 sinum 30 gr. ergo maxima parallaxis 1 grad. 2 ① 54 ②, dabit 31 ① 27 ②. at tabulæ *Prutenica* habent 31 ① 58 ②. ut inter istos numeros differentia 31 ② intercedat.


43 PROPOSITIO.

Lunæ parallaxin in longitudinem & latitudinem eclipticæ mathematico ratiocinio stante Terra invenire.

NOTA.

Lunæ locus visus ex Terræ centro æstimatus cadet vel infra communem verticalis circuli & eclipticę sectionem, vel supra; & quia inde in opere magna varietas existit, eam aliquot exemplis explicabimus. Prӕterea memineris quatuor illa 27 propositionis in Solis tractatu consectaria, etiam huc ad Lunæ parallaxin simili hui adhiberi & usurpari.

1 *Paradigma, ubi datus Lunæ locus ex Terræ centro æstimatus, infra verticalis circuli & eclipticæ communem sectionem cadit, atque observanti infra videtur.*



DATUM. Expositæ cujusdam sphæræ meridianus sit A B C D, horizon B D, quadrans verticalis A E, ecliptica F G secet verticalem in H, ut angulus E G H (qui per 8 problema libri de sphærę cœlestis problematis invenitur) sit 50 gradunm. & A H per idem problema 50 grad. Iam Lunæ infra verticem depressio ex Terræ centro æstimata sit 55 grad. 12 ①, & cum ille arcus major sit, quam A H 50 gr. etiam Lunam infra H cadere consequitur, sit ejus locus I, ideo A I erit 55 grad. 12 ①. hinc pono parallaxin in verticali circulo per 42 propositionem esse inventam 1 gr. qui sit arcus I K. ut K locus sit Lunę ab observante visus: hinc demissio ab I arcu I L ad eclipticam perpendiculari, erit eadem hęc I L 4 grad. quippe data Notia latitudo ab ecliptica ex terrę centro æstimata: similiter in eclipticam F G cadat perpendicularis K M, quę est visa ab observante latitudo Lunæ ab ecliptica, atque adeò L M erit Lunę parallaxis secun-


dum eclipticę longitudinem. hinc in K M notabo punctum N, ut N M & I L mutuò inter se æquentur, eritque K N excessus parallaxis in latitudinem, quam K M admittit supra I L, tanto enim ab observante in Terræ superficie Luna amplius ab ecliptica sejuncta videtur, quàm è Terrę centro spectata.

QVAESITVM. Arcus L M parallaxis Lunę secundum apparentem longitudinem, & K N secundum latitudinem eclipticę inveniendi sunt.

CONSTRVCTIO.

A H est per thesin	50 gr.
Eo subducto de A I, qui per thesin est	55 gr. 12.
Relinquet H I	5 gr. 12.
Huc additus I K, qui per thesin est	1 gr.
Consurget H K	6 gr. 12.
Triangulum H M K tres habet terminos cognitos, ut sunt H K 6 grad. 12 ① numerus ordine quartus, angulus H M K rectus, & K H M 50 gr. per thesin, unde duo latera H M, K M inveniuntur per 36 propositionem sphæricorũ triangulorum, videlicet H M	4 gr.
Et K M	4 gr. 45.
Vnde deductus N M æqualis ipsi I L 4 gr. per thesin, relinquet K N optatam latitudinis parallaxin	0 gr. 45.
Ad parallaxin longitudinis ita procedo. Triangulum H L I tres habet terminos cognitos, videlicet angulum H L I rectum, I H L 50 grad. & latus I L 4 grad. per thesin: unde latus H L per 35 propositionem sphæricorum triangulorum invenitur	3 gr. 22.
Qui deducti de H M 4 grad. numero ordinis sexto, optata Lunę parallaxis secundum apparentem eclipticæ lõgitudinem (quæ utrum major vel minor sit posita lõgitudine, ex 27 propositionis generalibus consectariis intelligetur) relinquetur	38 ①.

2 *Paradigma, ubi datus Lunæ locus ex Terra centro æstimatus supra verticalis circuli & eclipticæ communem sectionem cadit, atque observanti supra videtur.*



DATVM. Expositæ cujusdam sphærę meridianus sit A B C D, horizon B D, ecliptica secet verticalem circulum in H, ut angulus E H G (qui per 8 problema libri de sphæræ cœlestis problematis invenitur) sit 50 grad. & A H per idem problema 50 gr. Hinc Lunę infra verticem depressio ex Terræ centro æstimata 45 grad. cumque iste arcus minor sit quam A H 50 grad. etiam Lunam suprà H videri necesse est, sit ejus locus I,

cus I, & arcus AI 45 grad. Iam parallaxis in circulo verticali per 42 propositionem inveniatur 20 ①, quæ addita ad AI 45 grad. conflabunt summam 45 gr. 20 ①, hæc quia minor est quam AH 50 gr. Luna ab observante notata videbitur supra H, ut puta in K, ut IK arcus competat suprascriptis 20 ①. Hinc demisso arcu IL perpendiculari ab eclipticam FG, erit eadem IL 4 grad. data Borea Lunæ ab ecliptica latitudo ex Terræ centro æstimata. similiter in eandem eclipticam sit perpendicularis KM, quę est ab observante visa Lunę latitudo ab ecliptica, atque adeò LM erit Lunę parallaxis secundum eclipticę longitudinem. Iam ab IL absumam LN ipsi MK ęqualem, eritq; IN parallaxis latitudinis qua LI excedit MK, tanto enim ab observante in Terræ superficie Luna eclipticę vicinior videtur, quam ex Terrę centro spectata. QVAESITVM. Arcus LM parallaxis Lunę secundum apparentem longitudinem, & NI secundum latitudinem eclipticæ inveniendi sunt.


CONSTRVCTIO.

AH est per thesin	50 gr.
Inde deductus arcus AI qui est per thesin	45 gr.
Relinquet HI	5 gr.
Hinc deductus IK, qui est per thesin	0 gr. 20.
Reliquum faciet HK	4 gr. 40.
Triangulum HMK tres habet terminos cognitos, videlicet HK 4 grad. 40 ① ordine quintum, angulum HMK rectum, & KHM 50 gr. per thesin. Quorum ope duo latera HM, KM invenientur per 34 sphæricorũ triangulorum propositionem, & primò quidem HM	3 gr.
Et KM	3 gr. 34.
Hic, seu ipsi æqualis LN deductus de LI, qui per thesin est 4 grad. relinquet NI latitudinis parallaxin (ea utrum Notia an Borea sit è 3 consectario 27 propositionis intelligetur) optatam	0 gr. 26.
Ad parallaxin longitudinis hac insistam via, triangulum HLI tres terminos habet cognitos, videlicet angulum HLI rectum, HI 5 gr. numerum ordine tertium, & latus IL 4 gr. per thesin: unde latus HL per 32 propositionem sphæricorum triangulorum invenietur	3 gr. 2.
Inde deductus arcus HM 3 gr. ordine sextus, relinquet optatam parallaxin LM secundum apparentem eclipticę longitudinem (quæ utrum major sit datâ longitudine, an minor ex 4 consectario 27 propositionis intelligitur) videlicet	0 gr. 2.

3 *Paradigma, ubi datus Lunæ locus ex Terræ centro æstimatus supra verticalis circuli & eclipticæ communem sectionem cadit, atque observanti infra videtur.*

DATVM. Expositæ cujusdam sphærę meridianus sit ABCD, horizon BD, ecliptica secet verticalem circulum in H, ut angulus EHG (qui per 8 problema libri de sphærę cœlestis problematis invenietur) sit 50 gr. & AH per idem problema 50 grad. Iam Lunę infra verticem depressio ex Terrę centro ęstimata sit 49 gr. 40 ①, & cum iste arcus minor sit quam AH 50 grad. etiam Lunam supra H cadere necesse est, esto in I, & arcus AI 49 gr. 40 ①. Hinc

Hinc per 42 propositionem invēta jam sit parallaxis in circulo verticali 52 ①, quę addita ad AI 49 gr. 40 ① dabit 50 gr. 32 ①, cū isti majores sint quàm arcus AH 50 gr. Lunæ locus ab observāte notatus cadet infra H, ut puta in K, & arcui IK congruent suprascripti 52 ①. Hinc arcus IL perpendicularis ad eclipticam FG demissus definiet Lunæ latitudinem Boream ex Terræ centro æstimatam 4 graduum, similiter in eandem eclipticam demittatur etiam alter arcus perpendicularis KM, quæ est Lunæ ab observante visa latitudo ab ecliptica; eritque LM parallaxis Lunæ apparens secundum eclipticæ longitudinem, at LI simul cum KM erit parallaxis latitudinis.




QUAESITUM. Inveniendus est arcus LM parallaxis longitudinis, & arcus IL, KM simul pro parallaxi latitudinis.

CONSTRUCTIO.

AH est per thesin	50 gr.
Unde deductus arcus AI, qui per thesin est	49 gr. 40.
Reliquus erit arcus HI	0 gr. 20.
Is deductus de IK, qui est per thesin	0 gr. 52.
Relinquet HK	0 gr. 32.
Triangulum HMK tres habet terminos notos, videlicet HK 32 ① ordine quintum, angulum HMK rectum, & KHM 50 gr. per thesin, quorum ope duo latera HM, MK invenientur per 34 propos. sphæricorum triangulorum, videlicet HM	0 gr. 21.
Et KM	0 gr. 25.
Huc addatur arcus LI, qui per thesin est 4 gr. existet optata parallaxis latitudinis (quæ utrum Borealior an Australior sit exposita latitudine, ex 27 propositionis 3 consectario perspicitur) videlicet	4 gr. 25.
Ad inveniendam longitudinis parallaxin sic agas. Triangulum HLI tres terminos habet cognitos; videlicet angulum HLI rectum, IHL 50 gr. & latus IL 4 gr. per thesin, quorum ope latus HL per 35 propositionem sphæricorum triangulorum invenitur	3 gr. 22.
Huc si aggreges HM 21 ① ordine sextum, exhibebitur optata LM Lunæ secundum apparentem eclipticæ longitudinem parallaxis (quæ utrum major minorve sit data longitudine, ex 4 consectario 27 propositionis intelligetur) videlicet	3 gr. 43.

4 *Paradigma ubi datus Lunæ locus ex Terræ centro æstimatus in communem verticalis circuli & eclipticæ sectionem cadit; atque observanti necessariò infra videtur.*

DATUM. Expositæ cujusdam sphæræ meridianus sit ABCD, horizon BD, quadrans verticalis AE, ecliptica FG secet circulum verticalem in H, ut angulus EHG (qui per 8 problema libri de sphæræ cœlestis problematis invenitur, sit 50 grad. AH per eandem propositionem 40 gr. Deinde ponatur Lunæ infra verticem depressio ex Terræ centro æstimata 40 gr. ut incidat in H, ubi omnino nulla latitudine afficitur. Hinc parallaxis Lunę in circulo verticali AE per 42 propositionem inveniatur 46 ①. Ideóque I punctum ipsi H subjiciam, ut HI prædictis 46 ① congruat. Inde



demissus IK arcus in eclipticam FG perpendicularis, definiet apparentem Lunæ latitudinem, & HK longitudinis parallaxin ab observante in Terræ superficie notatam. QUÆSITUM. Inveniendus est HK arcus parallaxis longitudinis, & IK parallaxis latitudinis.

CONSTRUCTIO.

Triangulum HIK tres habet cognitos terminos, ut sunt HI 46 ①, angulum HKI rectum, & IHK 50 gr. per thesin. quorum ope duo latera IK HK inveniuntur per 34 propositionem sphæricorũ triangulorum. Videlicet IK latitudinis optata parallaxis (quæ utrum Borea sit an Notia ex 27 propositionis 3 consectario intelligitur) quippe 30 ①.

Et KH longitudinis optata parallaxis (quæ utrum major an minor sit data longitudine, ex 4 consectario 27 propositionis intelligitur) nempe 0 gr. 35.

CONSECTARIUM.

Cum 33 & 38 propositione rationem modumque Lunæ longitudinem & latitudinem ex Terræ centro æstimatam inveniendi expresserim; ex hac jam in promptu erit eandem ex Terræ superficie æstimatam invenire. Nam si ad longitudinem, & latitudinem per 33 & 38 propositionem inventas, ad parallaxin per hanc propositionem inventam, prout res postulit, addas demasvé, quod inde nascetur erit optata longitudo & latitudo.


CONCLUSIO. Quare Lunæ parallaxin secundum longitudinem & latitudinem eclipticæ ad stantis Terræ hypothesin invenimus.

44 PRO-

44 PROPOSITIO.

Solis Lunæque loco in deferente suo Lunâ deficiente datis, angulum qui à diametro umbræ Terrestris quâ Luna eam secat subtẽditur mathematico ratiocinio invenire.

DATUM. Exponatur ABCD Terra, centrum E, hinc FGH Sol in apogæo eccentrici (dicis gratiâ) constitutus, hujus centrum I: inde duæ rectæ GB, HD Solem Terramque contingentes in punctis G H, B D, continuatæ sese intersecent in K, & puncta contactus jungant rectæ BD, GH; ut KBD umbræ terrestris conum designet, cujus basis BD, & axis KE, quem Luna perigæo eccentrici (dicis gratiâ) constituta secet in L; & per L acta MN perpendicularis in KE, significet spissitudinem coni umbræ nocturnæ eo loco. Iam connexis rectis EM, EN erit MEN angulus quem basis umbræ sectæ subtendat. QUAESITUM. Inveniatur angulus MEN.



CONSTRUCTIO.

Inquiram primò coni umbræ terrestris, seu noctis axem, & quia Sol in apogæo constitit, is per 28 propositionem invenietur 287 semidiametrorum Terræ: sed ne in sequentibus partium operosa numeratio negotiũ nobis facessat, ponamus Terræ semidiametrum 10000, & KE per eundem numerũ multiplicatam 2870000

Hinc deducta LE, hoc est per 40 propositionem quia Luna in apogæo consistit 552814.

Relinquetur KL 2317186.

Triangula KLM, KEB similia habebunt homologa latera proportionalia, atque ideo concludam. ut KE 2870000 ordine primus, ad EB 10000, sic KL 2317186 ordine tertius, ad LM 8074.

Triangulum LEM tres notos habet terminos, LE 552814 ordine secundum, LM 8074 quartum, & angulum MLE rectum, unde angulus LEM per 6 propositionem planorum triangulorum invenitur 0 gr. 50.

Ejus duplum pro optato angulo, MEN 1 gr. 40.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

CON-

CONCLVSIO. Quare Solis Lunæque loco in deferentibus suis ad Lunæ defectum datis, angulum qui à diametro umbræ terrestris, quâ Luna eam secat, subtenditur mathematico ratiocinio invenimus, ad stantis Terræ hypothesin. ut petebatur.

CONSECTARIUM.

Hinc igitur manifestum est, quomodo tabella angulorum qui à diametris umbræ Terristris qua Luna ipsam secat subtēduntur concenturianda sit: qualem *Rheinoldus* in *Prutenicis* exhibet, ut inde facili negotio optatum assequate.

1 NOTÁ.

Si quem libido incessat observationum experientiam, cum antecedenti calculo contendendi, sic agat.

Exspectato Lunę plenæ defectu, id est cujus medium in aliquem nodorum, seu adscendentem, seu descendentem incidat, ubi Luna necessariò umbræ terrestris axem secabit, observato spatium temporis, inter id momentum quando Luna tota se in umbram induit, & quando rursum se tota emersit, nam Lunæ supra Solis motum isto intervallo exsuperantia, erit angulus quęsitus à diametro sectionis umbræ terrestris quâ eam Luna transit subtensus.

Eodem redibit si observes temporis spatium inter initium ἐμπλώσεως obscurationis, & ἀνακαθάρσεως emersionis elapsum: namque Lunaris motus hoc tempore exsuperantia, superiori debebit æquari; videtur tamen hæc secunda observatio incertior priore, quia ipse ἐμπλώσεως articulus, initio ἀνακαθάρσεως ignorabilior incertiorque est.

2 NOTÁ.

Monuimus Solis & Lunæ motum in primâ simplicique anomaliâ usquequâque similes esse: credet tamen forsan hic non nemo eorum motus inter se diffidere, quod Luna in latitudinem ab ecliptica evagetur, Sol verò ei affixus nusquam discedat. hæc inquam illorum motuum hypothesi nihil differentiæ inducunt, quod ita clarius patebit. Si circulum quem Luna decurrit eclipticam (qui nunc Solis est) dicamus, tum Luna nulla afficeretur istiusmodi latitudine, nam ea tum omnis in Solem redundaret. Et quia deferentis Lunæ & æquatoris communis sectio tum semper eclipticæ initium diceretur, ea semper eam appellationem & functionem usurparet (quemadmodum nunc vernæ sectioni accidit) tumque mutatio ac varietas incideret secundum in longitudinem eclipticę in sectionem vernam, quæ in istiusmodi ecliptica antrorsum caderet, secundum graduum successionem. Vt hæc differentia non rem ipsam, sed solam hypothesin sequatur.

DISTIN-

DISTINCTIO QVARTA SECVNDI LIBRI, DE INVESTIGATIONE MOTVS SATVRNI, Iovis, Martis, Veneris, & Mercurii mathematico ratiocinio, secundum stantis Terræ hypothesin.

BREVIARIVM 4 DISTINCTIONIS.

Distinctio hæc decem propositiones habet, quarum prima, quæ est hujus libri 45 erit de investigatione eccentricitatis eccentrici Saturni epicyclum deferentis cum suis appendiculis. Secunda, quæ est totius libri 46 de investigatione semidiametri epicycli Saturni. Tres sequentes 47, 48, 49 eò diriguntur, ut ad datum quodlibet temporis momentum Saturni secundum eclipticam apparens longitudo inveniatur. Quatuor sequentes 50, 51, 52, 53 de ejus statione & retrogradatione. Hinc Jovis & Martis motus leges exponemus; Et novissima 54 propositione Veneris, cui motum Mercurii attexuimus.

PRIMO DE SATVRNI MOTV.

45 PROPOSITIO.

Ex notis tribus centri epicycli Saturni epochis eccentricitatem deferentis in partibus semidiametri ejusdem 10000; hinc apparentem apogæi deferentis in ecliptica, & centri epicycli in deferente suo ad optatam quamlibet ex datis epocham, denique etiam medii motus Saturni in ecliptica longitudines mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenire.

CVm hæc propositio sine plurimis iisque accuratis observationibus, quales erudito illo seculo extitisse credo, haud possit expediri, quarũ ubertate & copia destituti *Ptolomæus* & *Copernicus* hunc locum non ex arte tractarunt; sed intricato calculo sese hinc expediverunt, non * ἐπιστημονικῶς, sed στοχαστικῶς, quemadmodũ videre est apud *Ptolomæum* quidem 7 cap. lib. 10, & 1 ac 5 cap. lib. 11;

* *non per artem, sed per conjecturas.*

lib. 11; apud *Copernicum* 5, 10, & 15 capite libri 5: Ideo nos *Stadii* ephemerides dicis gratiâ hic usurpabimus, (cujus causam supra libro explicavimus) tanquam ex cœlo observando essent derivatæ. Quibus positis, sumantur tres centri epicycli apparentes epochæ, (seu loca) secundum eclipticam, eo modo quem 17 capite primi libri exposuimus; videlicet quæ inveniuntur Saturno versante in epicycli perigæo, & medio Solis motui ad diametrum opposito. Inventis igitur tribus his locis, calculum eodem modo diriges quemadmodum 7 & 29 propositione hujus libri in Sole & Luna edoctus es. Pono igitur ex dicti calculi imitatione te invenisse,

Eccentricitatem in partibus semidiametri deferētis 10000 valere 1170.


Secundò deferentis apogæi apparentem secundum eclipticam longitudinem ad 15 Septembris anno 1584 sub 268 gr. 32.

Tertiò motum centri epicycli à suo deferente ad dictum 15 Septemb. 1584 sub 101 gr.

Quartò Lunæ medii motus Saturni longitudinem ad expositum 15 Septemb. 1584 sub 9 gr. 38.

VNDE, ET QVOMODO SVPRASCRIPTI NVMERI DERIVENTVR.

Primò sumpsi Saturni & Solis oppositionē quę cōtigit anno 1584 ad diem 15 Septembris, quo tempore (quemadmodum id in 17 propositionis 1 libri exemplo declaravimus) centri epicycli longitudo in deferente suo erat 101 grad. 6 ①, ejusdemque distantia ab apparenti apogæo erat 94 gr. 24 ①, unde eccentricitas ea, quam supra posuimus concludetur 1170. Sed quò id clarius explicemus esto deferens eccentricus A B C, centrum D, Terra E, apogæum A, perigæum C, centrum epicycli B, ut arcus A B, seu angulus A D B congruat suprascriptis 101 gr. 6 ①, A E B 94 grad. 24 ①, & semidiameter D B 10000. Quibus positis triāgulum D B E tres habet cognitos terminos, ut sunt angulus B D E 78 grad. 54 ①, quę est anguli A D B 101 gr. 6 ① à semicirculo differentia; & angulus DEB 94 gr. 24 ①; & latus DB 10000. Quorum ope latus E B per 4 propositionem planorum triangulorum pro optatâ eccentricitate invenitur idem, qui in superiore ordine primus 1170.



S Secun-

Secundò ad tempus oppositionis expositę Saturni & Solis anno 1585 ad diem 15 Septembris, apogæi longitudinem sub 268 grad. 32 ① assumpsi, quia ante octavum annum 268 gr. 20 ① obtinuisse deprehensus esset, atque interea per 17 propos. 1 lib. 12 ① promovisset, quæ addita ad 268 gr. 20 ① dabunt numerum, quem in superiori ordine exhibuimus secundum 268 gr. 32.

Tertiò A D B motus centri epicycli ab apogæo est idem, quem tertio locus exposuimus 101 gr. 6.

Quartò si addas A D B 101 grad. 6 ① ad apogæi A apparentem sub ecliptica longitudinem, quæ hoc loco est 268 grad. 32 ①, conflabis 9 gr. 38 ①. atque sub isto eclipticæ gradu consistit epicycli centrum ex D centro spectatum, at medius Saturni motus est, per 6 definitionem libri 1 in rectâ ex E contra D B parallela; cumque ratio ipsius D E ad semidiametrum eclipticæ in sensu evanescat, medius Saturni motus, secundũ istam hypothesin dabitur idem, qui in superiori ordine quartus, sub eclipticæ gr. 38.

Cujus demonstratio ex opere perspicitur. CONCLVSIO. Quare ex tribus centri epicycli Saturni epochis, ejus eccentricitatem, &c.

46 PROPOSITIO.

Rationem semidiametrorum epicycli & deferentis Saturni in partibus ipsius deferentis 10000 mathematico ratiocinio invenire, stante Terra.


DATVM. Certum & definitum aliquem diem, quo Saturnus à deferentis apogæo aut perigæo epicycli satis longè absistat mihi seligo, qualis est nonagesimus dies post 10 Iunii 1576, nam istis 90 diebus per 19 propos. 1 libri à perigæo (in quo per 17 propos. 1 libri ad diem 10 Iunii 1576 versabatur) abeessit 85 grad. 42 ①.

Sed ut evidentius hæc in typo & diagrammate explicemus, sit A B C deferens Saturni, ejus centrum D, centrum Terræ F, apogæum A, in quo centrum epicycli ad diem 10 Iunii 1576 constiterat, sed 90 sequentium dierum intervallo commovit ab A ad B, quorum distantia per 21 propos. 1 libri est 3 gr. 1.

Inde B centro circinetur epicyclus F G, & D B connexa secet epicyclum in F, quod est apogæum medium. Cumque Saturnus exposito 90 dierum spatio decurrerit 85 gr. 42 ①, his designabo in epicyclo arcum cõgruum F G, & Saturni locum in G, & connexa B G comprehendet angulum F B G 85 gr. 42.

Hinc junctâ E G inquiram locum, quem Saturnus reipsa per observationes obtinuisse animadversus sit, 90^mo die post suprascriptum 10 Iunii 1576, qui in 8 Septembris ejusdem anni incidit, quo loco *Stadii* ephemerides (quas tanquam è cœlo derivatas, ob causas 1 propos. 1 lib. expositus, usurpamus) exhibent 265 grad. 8 ①: quare G punctum versatur sub eclipticæ 265 grad. 8 ①. Apogæum autem A sub 268 grad. 20 ① per 45 propositionem (nam ad diem 15 Septembris 1584, invenimus sub 268 gr.

268 gr. 32 ①, unde tum per 20 propos. 1 lib. 12 ① in antecedentia distitisse evincitur) quare si de suprascriptis 268 gr. 20 ① relinquetur angulus G E A 3 gr. 12.



QVAESITVM. Invenienda est ratio semidiametri epicycli B G, ad semidiametrum B D, in partibus ejusdem B D 10000.

CONSTRVCTIO.

Quadrangulum B G E D quinque habet terminos cognitos; primum B D semidiametrũ eccẽtrici deferentis 10000 per thesin; secundũ eccentricitatis mensuram D E, quæ per hujus 2 libri 45 propositionem est 1170; tertium angulum D B G 85 gr. 42 ①, Dati terminum secundum; quartum G E D 3 gr. 12 ① Dati tertium; quintum angulum inversum B D E 183 grad. 1 ①, nam B D A angulus 3 gr. 1 ① Dati primus, additus ad 180 grad. conflabit summam 183 grad. 1 ①: vel quod eodem recidit, angulus B D A 3 grad. 1 ① subductus de 180 gr. relinquet angulum B D E 176 grad. 59 ①, qui de 360 grad. deducti relinquent angulum inversum B D E 183 gr. 1 ① ut prius. Horum ope per 6 propositionem additamenti ad plana triangula invenietur B G optata semidiameter 1150. Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

NOTA.

Semidiameter epicycli secundum abacos *Ptolemai* non 1150 sed 1083 libri 11 capite 6 invenitur: Nam ex proportione ut 60 partes, ad 60 partes 30 ① (hæc enim est ejus ratio) sic 10000 ad quem? concludes ut dixi, 1083.

CONCLVSIO. Invenimus itaque mathematico ratiocinio rationem semidiametrorum epicycli & eccentrici, in partibus semidiametri eccentrici 10000, idque ad stantis Terræ hypothesin.

47 PROPOSITIO.

Ad datam epocham & * medii Saturni & apparentem apogæi deferentis longitudines in ecliptica, hinc * centri epicycli in deferente, & Saturni ab * apogæo medio epicycli mathematico ratiocinio invenire, stante Terra.

* vel lineæ medii motus.
* centrum medium.
* argumentum mediũ.

DATVM. Exponatur epocha ad caput anni 1600.

QVAESITVM. Eo momento medii Saturni, & apparens apogæi deferentis longitudo in ecliptica, & centri epicycli in deferente, & Saturni ab apogæo medio epicycli invenienda est.

CONSTRVCTIO.

Primò ad investigandam medii Saturni longitudinem in ecliptica sic agam. Centrum epicycli erat per 45 propositionem anno 1584 ad diem 15 Septembris sub ecliptica 268 gr. 32.

Sed cum tum locum obtinebat medius Saturnus,* seu linea medii motus Saturni per 16 propos. 1 libri. Itaque spatium ex eo tempore hoc est à die 15 Septembris 1584 ad caput anni 1600 elapsum, invenietur 15 anni Ægyptii 110 dies, quo intervallo medius Saturni motus per 18 propositionem 1 libri est 187 gr. 2.

Qui additi ad 268 gr. 32 ① ordine primum, existet medii Saturni optata longitudo in ecliptica ad caput anni 1600, tanquam positam epocham 95 gr. 34.

Secundò ad investigandam apogæi deferētis apparentem in ecliptica lōgitudinem, ejus epocham ad 15 diem Septembris anni 1584 ex 45 propositione usurpabo sub 268 gr. 32.

Motus apogæi deferentis Saturni 15 annis Ægyptiis 110 diebus suprascriptis, est per 26 propos. 1 libri 0 gr. 22.

Qui additus ad 268 grad. 32 ① ordine quartum, dabit optatam apogęi deferentis in ecliptica lōgitudinem ad caput anni 1600, seu expositam epocham sub 268 gr. 54.

Tertiò ad inveniendam centri epicycli Saturni longitudinem in suo deferente, assumam eam ex 45 propositione ad diem 15 Septembris anno 1584 sub 101 gr. 6.

Centri epicycli motus in deferente suprascriptis 15 annis Ægyptiis 110 diebus est per 21 propositionem 1 libri 186 gr. 40 ①: qui idem etiam facilius invenietur subductis 22 ① ordine quinto, de 187 grad. a ① secundo, nam idem reliquus erit qui prius 186 gr. 40.

Hic cum antecedente 101 grad. 6 ① ordine septimum additus, dabit optatam centri epicycli longitudinem in suo deferente ad caput anni 1600, seu datam epocham 287 gr. 46.

Quartò ad investigandam Saturni longitudinem in epicyclo ab apogæo medio, usurpabimus locum ejus ad diem 10 Iunii anno 1576 per 17 propos. 1 libri inventum, in ipso perigęo medio epicycli, hoc est sub 180 gr.

Sed ab à 10 Iunii 1576, ad initium anni 1600 intercidunt 23 anni Ægyptii 209 dies, quo intervallo in epicyclo per 19 propos. 1 libri commovit 272 gr. 16.

Qui ad ad 180 grad. hujus ordinis nonum additi, exhibebunt optatam distantiam Saturni ab apogæo medio epicycli, ad expositam epocham, seu initium anni 1600 sub 92 gr. 16.

Cujus demonstratio est opere perspicitur. CONCLUSIO. Itaque ad datam epocham * & medii Saturni, & apparentem apogæi deferentis longitudinem in ecliptica, & centri epicycli longitudinem in eccentrico, & Saturni in suo epicyclo invenimus mathematico ratiocinio, stante Terra.

* *Linea medii motus Saturni.*

NOTA.

Cum epocharum inventarum (ut sunt longitudines medii Saturni, & apparentis apogæi deferentis in ecliptica, & centri epicycli in suo deferente, & Saturni ab apogæo medio epicycli) frequens sit usus in abacis motus Saturni, eas hic seorsim notatas, ob oculos ponam.

SATVR-

SATVRNI MOTVS EPOCHÆ AD

Caput anni 1600 consignatæ.

* Medii Saturni longitudo in ecliptica	95 gr. 34.	* *Lunæ medii motus.*
Apogæi deferentis apparens longitudo in ecliptica	268 gr. 54.	
* Centri epicycli in deferente suo longitudo	287 gr. 46.	* *Centrum medium.*
Saturni * longitudo ab apogæo medio epicycli	92 gr. 16.	* *Argumentum medii.*

46 PROPOSITIO.

Ad datum tempus longitudinem medii Saturni & apparentis apogæi in ecliptica, & centri epicycli in deferente suo, & Saturni à medio apogæo epicycli invenire mathematico ratiocinio, stante Terra.

DATUM. Tempus expositum sit 30 Decembris 1600.

QUÆSITUM. Eo momento medii Saturni & apparentis apogæi longitudo in ecliptica, & centri epicycli in suo deferente, & Saturni à medio apogæo epicycli invenienda est.

CONSTRUCTIO.

Principiò ad investigandam medii Saturni longitudinem in ecliptica, assumam ejus epocham ex 47 propositione ad initium anni 1600	95 gr. 34.
Sed ab initio anni 1600 ad expositum diem 30 Decembris interjacet annus Ægyptius, quo intervallo medius Saturni motus per 18 propositionem 1 libri est	12 gr. 13.
Qui additus ad 95 gr. 34 ordine primum exhibebit medii motus Saturni optatam longitudinem in ecliptica	107 gr. 47.
Secundò ad investigandam apogæi deferētis Saturni apparentem in ecliptica longitudinem, ejus epocham ex 47 propositione ad initium anni 1600 usurpabo sub	268 gr. 54.
Motus apogæi deferentis Saturni suprascripto anno Ægyptio est per 20 propositionem 1 libri 1 ① 28 ②, pro quibus usurpabo	1 ①.
Hic numerus additus ad 268 gr. 54 ① ordine quartum, dabit optatam apogæi in ecliptica apparentem longitudinem	268 gr, 55.
Tertiò ad inveniendam centri epicycli Saturni in deferente suo longitudinem, assumam ex 47 propositione ejus epocham ad caput anni 1600	287 gr. 46.
Motus centri epicycli Saturni in suo deferente anno Ægyptio est per 21 propositionem 1 libri 12 gr. 12 ①, qui idem facilius invenietur subducto 1 ① ordine quinto, de 12 gr. 13 ① secundo, idem enim erit reliquus	12 gr. 12.
Qui additus ad 287 gr. 26 ① septimum, dabit optatam centri epicycli in deferente suo longitudinem	299 gr. 58.
Quartò ad inveniendum Saturni longitudinem ab apogęo medio epicycli, assumam ejus epocham ex 47 propositione ad initium anni 1600	92 gr. 16.

Huc si addatur Saturni motus in epicyclo annuus Ægyptiacus, qui per 19 propos. 1 libri est 347 gr. 32.
Conflabitur Saturni optata in epicyclo à medio apogæo distantia 79 gr. 48.
Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Itaque ad datum temporis momentum medii Saturni & apparentem apogæi deferentis longitudinem in ecliptica, & centri epicycli in suo deferente, & Saturni ipsius à medio apogæo epicycli invenimus, stante Terra. ut decuit.

49 PROPOSITIO.

Apparentem Saturni in ecliptica longitudinem ad datum tempus mathematico ratiocinio invenire, stante Terra.

DATUM. Exponatur dies 30 Decembris anni 1600.

QVAESITUM. Saturni apparens in ecliptica longitudo inquirenda esto.


CONSTRVCTIO.

Primò quæram apparentem apogæi deferentis longitudinem in ecliptica ad expositum diem 30 Decembris anni 1600, quæ ex 48 propositione datur 268 gr. 55.

Deinde longitudinem centri epicycli in deferente suo ad diem 30 Decembris 1600 investigabo, qui per 48 propositionem invenietur 299 gr. 58.

Deniq; Saturni à medio epicycli apogęo ad 30 Decembris 1660, isque per 38 propositionem invenietur 79 gr. 48.

FIGVRATIO DIAGRAMMATIS.



Quæ cum ita sint, figuram inventis numeris congruam deformabo, ut sequitur. Esto eccentricus deferẽs A B C D, ejus centrum E, Terra F, apogæum A, ut numerus ordinis primis significat consistat sub 268 gr. 55

Assumam deinde punctum D, ut A B C D *motum centri epicycli ab apogęo definiat eum, qui termino ordinis secundo ponitur 299 gr. 58

*centrum planetæ.

Iam centro D decircinetur epicyclus G H I, & per utriusque circuli centrum ducta E D G designet apogæum medium in G; unde dimensus arcus G H, seu angulus G D H sit Saturni ipsius* motus ab apogæo medio epicycli, qui est numerus ordinis tertius 79 gr. 48.

*argumentum medium.

Connexis itaque rectis D H, H F constituetur quadrangulum decussatum H D F E cujus quinque termini sint cogniti, primò angulus

gulus F E D 119 gr. 58 ①, nam A B C D angulus 299 gr. 58 ① à nobis est hâc figuratione constitutus, unde subducto semicirculo A B C 180 gr. reliquus erit arcus C D seu angulus C E D ut supra 119 gr. 58 ①. Secundò angulus H D E 100 gr. 12 ①, nam angulus G D H est hâc figuratione 79 gr. 48 ①, qui de semicirculo deductus relinquet angulum H D E 100 gr. 12 ①. Tertiò semidiameter eccentrici E D quæ per thesin est 10000. Quartò eccentricitas E F, quæ per 45 propositionem est 1170. Quintò epicycli semidiameter D H, quę per 46 propositionem est 1150. Quorum ope angulus E F H per 6 propositionem additamenti ad plana triangula invenietur 49 gr. 36.

Sed angulus E F H, idem est qui A F H, & A sub ecliptica 268 gr. 55 ① per primum hujus figurationis terminum consistit; quare subducto A F H 49 gr. 36 ①, de 268 gr. 55 ① reliquus erit puncti H seu Saturni in ecliptica locus 219 gr. 19.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLVSIO. Quare apparentem Saturni in ecliptica longitudinem ad datum tempus mathematico ratiocinio invenimus, stante Terra.

1 NOTA.

Stadius in ephemeribus Saturni locum ad diem 30 Decembris 1600 sub 219 grad. 48 ① eclipticæ consignavit, cujus calculus à nostro 29 ① abnutat.

2 NOTA.

Huic loco subjiciendæ essent propositiones quæ 23 & 24 de Sole, aut 39 & 40 de Luna similitudine respondeant, hoc est quomodo Saturni à Terrâ distantia in Terræ semidiametris æstimata inveniatur, atque alia quæ inde derivantur, cujus generis propositiones in Sole & Lunæ supra descripsimus: Sed cum plenior hujus rei cognitio ex hypothesi terrestris motus derivetur, quam tertio libro docemus, hæc quoque in illum locum rejicienda duxi. Similiter ab hoc loco non esset aliena tractatio de motu latitudinis Saturni, quemadmodum in Luna. Veruntamen eum *Ptolomaus* de hoc nihil à majoribus traditum acceperit, sed eum ex suopte ingenio adinvenerit, eum cum reliquis non commiscebo, maximè verò quod is à naturâ & veritate alienus videatur, quem ideò 7 distinctione solum separatim pertractabo.

DE SATVRNI STATIONE ET REPEDATIONE.

De stationis & retrogradationis affectione tria theoremata præmittam, quę στηριγμῶν & προηγήσεων problematis facem alluceant, neq; id Saturno solum sed omnibus reliquis planetis qui istis affectionibus obnoxii sunt Iovi, Marti, Veneri, & Mercurio.


THEOREMA. 50 PROPOSITIO.

Si basis trianguli ita secetur ut segmentum alterum sit non minus latere sibi cōtermino, ratio anguli qui reliquo segmen-

Ptol. lib. 12. cap. 1. Regi. lib. 12. prop. 8. Coper. lib. 5. prop. 35.

segmẽto adjacet, ad eum qui huic, minor est, quam hujus segmenti ad illud.

DATUM. Exponatur triangulum rectilineum ABC, cujus basis BC in puncto D ita secetur, ut segmentum CD sit non minus latere sibi contermino AC. sint AC CD æquales. QUÆSITUM. Demonstrandum est angulum B, qui reliquo basis segmento adjacet, ad angulum BCA priori segmento adjacentem, minorem habere rationem, quam prius segmentum CD ad secundum DB. PRAEPARATIO. Agatur CA, & ei æqualis AE sed parallela contra DC, hinc CE connexa & continuata occurrat ipsi BA in F. Deinde ex A tanquam centro intervallo AC seu AE decircinetur arcus CG, qui per E transiens cadat in G.



DEMONSTRATIO.

Vt sector circuli GAE ad sectorem EAC, sic sector GAE ad sectorem EAC.

Sed triangulum EAC minus est sectore EAC: quare

Ratio sectoris GAE ad triangulum EAC, major est quam ratio ejusdem sectoris GAE ad sectorem EAC.

Atqui triangulum FAE majus est sectore GAE, quare planius etiam

Ratio trianguli FAE, ad triangulum EAC major erit, quam sectoris GAE ad sectorem EAC.

Verum ut triangulum FAE ad triangulum EAC, ita basis FE ad basin EC.

Itaque FE ad EC majorem habebit rationem quam sector GAE ad sectorem EAC.

Sed ut sector GAE ad sectorem EAC, sic angulus GAE ad angulum EAC. quamobrem

Recta FE ad EC majorem habebit rationem, quam angulus GAE ad angulum EAC

Angulus autem B, æqualis est angulo GAE, & angulus ACB angulo EAC. ideoque

Recta FE ad EC majorem habet rationem, quam angulus B ad ACB,

Atqui ut FE ad EC, sic CD ad DB (sunt enim FE, AD, EA, DB proportionales; suntque EC, CD ipsis AD, EA æquales) atque ideo

Recta CD ad DB majorem habebit rationem quam angulus B ad ACB vel ter

vel terminis novissimæ rationis in primum locum transpositis ratio anguli B ad angulum A C B minor erit, quam rectæ C D ad rectam D B.


Si C D segmentū ablumptum majus etiam esset quàm latus A C sibi conterminum, ut C H, etiam planius adhuc perspicitur angulum B ad A C B minorem habere rationem, quam C H ad H B. Conclusio. Quare si basis trianguli ita secetur ut segmentum alterum sit non minus latere sibi contermino, ratio anguli qui reliquo segmento adjacet, ad eum qui huic, minor erit quam hujus segmenti ad illud.

THEOREMA. 51 PROPOSITIO.

Si motus centri epicycli in deferente ad motum planetæ in epicyclo majorem habeat rationem, quam semidiameter eccentrici ad rectam inter terræ centrum & epicycli perigæum interjectam planeta * retrogradatione nulla afficitur.

* ἀναποδισμῷ.

Datum. Exponatur epicyclus A B C, centrum D, terræ centrum E; apogæum A, perigæum C per quæ trajiciatur recta A D C E habeatq; motus centri epicycli in deferente, ad motum planetæ in epicyclo majorem rationem, quam semidiameter epicycli D C, ad E C distantiam perigæi C à Terræ centro E. Quaesitum. Demonstrandum est planetam eo casu non posse repedare. Demonstratio. Nam si usquàm retrò gradi pedemvé retrò referre posset id maximè propter perigæum C continget. Sitque repedatio ea in F, ut C F arcus sit minimus, qui (si quidem fieri possit) sensum afficiat, videlicet ab C versus F secundum graduum successionem. Vt igitur demonstremus eo loco repedationem nullam esse, jungantur E F F D. jam quia in triangulo E F D basis E D ita est secta in C, ut segmentum C D sit non minus latere sibi contermino F D, habebit angulus F E D per 50 propositionem, ad angulū F D E minorem rationem, quam D C ad C E. Quare ratio motus centri epicycli, ad apparentem planetæ motū in epicyclo major est, quam ratio anguli D E F ad E D F. Vnde efficitur si E D F ponatur motus planetæ in epicyclo, angulum D E F justo minorem esse, quam ut centri epicycli motum designet, angulus igitur huic motui congruus major erit, ut puta D E B. Quibus positis, eodem temporis intervallo, quo planeta in epicyclo promovit arcum C F, hoc est angulum apparentem D E F, contra signorum successionem, interea centrum epicycli secundum successionem exegit angulum B D E, cum igitur centrum epicycli angulo B E F amplius processerit, quam planeta in epicyclo contrario nisu recesserit, planetam hic nulla repedatione affectum manifestum est.



Similis demonstratio etiam ab altera parte perigæi C quoque valebit.

Conclusio. Si igitur motus centri epicycli in deferente ad motum planetæ

planetæ in epicyclo majorem habeat rationem, quam semidiameter eccentrici ad rectam inter terræ centrum & epicycli perigæum interjectam, planeta retrogradationi haud erit obnoxius.

I CONSECTARIUM.

Ex hujus propositionis conversione sequitur planetam repedare posse, si illa ratio motus centri epicycli motu planetæ in epicyclo sit minor. eam porrò rationem in Saturno minorem esse patebit hoc modo. Motus centri epicycli diurnus per 18 propositionem libri 1 est 2 ①.0. 3.
Motus Saturni in epicyclo diurnus per 19 propositionem 1 libri est 57 ①.7.44.
Epicycli semidiameter per 47 propositionem est 1165.
Recta inter terræ centrum & epicycli perigæum, quâ à terra longissimè distat per 46 propositionem est 10064.
Iam ex proportione concludes ut 2 ① 0. 3 primus, ad 57 ①.7.44 secundum, ita 1165 tertius ad 33264.
Atque adeo cum hi termini 2 ① 0. 3, 57 ①.7.44, 1165, 33264 proportionales sint, hoc est rationes easdem constituant, consequens est rationem 1165 ad 10064 minorem esse. Quare Saturnus repedationi quoque erit obnoxius cum centrum epicycli in apogæo eccentrici consistet. Et quia recta 10064 maxima est quæ inter Terræ centrum & perigæum epicycli cadit, atque ideò repedatio ejus illic sit minima, certè etiam planius evincitur Saturnum magis multò in aliis eccentrici locis constitutum repedare.

2 CONSECTARIUM.

Rationem motus centri epicycli ad motum ipsius planetæ in epicyclo supra constituimus ut 57 ①.7. 44, ad 2 ①. 0. 3, quam, ut sequens calculus tanto sit expeditior, ad 10000 revocabimus hoc modo, ut 57 ①.7.44 ad 2 ①.0.3, sic 10000 ad 350. ut hi termini 10000 350, vel (quod idem fit) 1000 35 pro illis 57 ①,7,44. & 2 ①. 0. 3, usurpari possint.

THEOREMA. 52 PROPOSITIO.

Si recta à terræ centro in concavum epicycli ita ducatur, ut semissis segmenti ab epicyclo absumpti ad segmentum externum eâm habeat rationem, quam motus centri epicycli ad motum planetæ in epicyclo, quâ hæc linea epicycli convexum secat erit punctum stationis.

DATUM. Esto epicyclus A B C D, cujus centrum E, Terræ centrum F. unde ad concavum epicycli pertineat recta F D E A, ut A in apogæum, D in perigæum cadat, habeatque motus centri epicycli ad motum planetæ in epicyclo minorem rationem, quam semidiameter epicycli E D ad reliquam DF, secus enim per 51 propositionem nulla repedatio contingeret. hinc etiam altera agatur linea F B quæ epicyclum in G & B ita secet, ut H G semissis inscriptæ B G, ad externum segmentum F G eandem habeat rationem, quam motus centri epicycli ad motum planetæ in epicyclo.

QVAESI-

QUÆSITUM. Demonstrandum est G stationis planetæ punctum determinare. seu ut loquitur *Ptolomæus*, *ὥςε κατ' αὐτὸ γινόμενον τὸν ἀςέρα φαντασίαν ποιεῖσθαι ςηριγμοῦ.*

NOTA.

Demonstrationis partes duæ sunt; prima, planetam à C versus G tantùm progredi; secunda, planetam à G versus D tantùm repedare, unde concludimus G esse punctum stationis.

Præparatio primæ partis.


Sumatur arcus C G per quem planeta versus perigæum feratur,& cõnexis rectis F C F G E G E C, sit C E G is angulus motus planetæ in epicyclo per quem planetam à C ad G tantum progredi & nusquam repedare demonstrandum sit.

Demonstratio primæ partis.

Trianguli B F C basis B F ita secatur in G ut B G segmentum non minus, sed majus sit crure B C, atque ideo per 51 propositionem,

Ratio anguli B F C ad angulum F B C minor erit,quam B G ad G F.

Sumptoq; ue secundi & quarti termini duplo, Erit ratio anguli B F C ad duplum anguli F B C ad duplum anguli F B C minor erit, quam B G ad duplam F G.



Sumptoq; tertii & quarti termini semisse,

Erit ratio anguli B F C ad duplum anguli F B C minor, quã semissis B G, ad semissem duplæ G F, hoc est ad ipsam G F.

Sed angulus C E G in centro E, est duplius anguli F B C,in peripheria: & H G est dimidia ipsius B G, erit igitur

Ratio anguli B F C,ad C E G minor, quam H G ad G F.

Sed C E G hic motum planetę in epicyclo, propter constructionem, definit, quare

Ratio anguli B F C,ad motum planetæ in epicyclo C E G minor est, quam H G ad G F.

Atque per thesin G H, G F motibus centri epicycli & planetæ in epicyclo proportionales sunt.

Quare

Quare angulus B F C minor est motu centri epicycli qui isti tempori debetur, ponatur ergo major angulus ipsi congruus B F I. Quæ cum ita sint, dum planeta in epicyclo movetur arcum C G, seu angulum C E G, eodem motu subtendit in Terræ centro angulum C F B seu C F G in antecedentia seu contra successionem signorum. Sed eodem tempore percurrit centrum epicycli angulum B F I seu G F I in consequentia, hoc est secundum signorum successionem. quare planeta ratione centri epicycli angulo C F I amplius promovit, quam ipse in epicyclo contrario nisu contra iverit. quare in arcu C G planeta à C ad G tantummodo progreditur.

Porrò ut demonstremus à G ad D planetam solum repedare, non autem progredi, huic fini nobis adornatur

Præparatio secundæ partis.

Sumatur arcus G K per quem planeta versus perigæum epicycli moveatur, actisque rectis F K, E K erit G E K motus planetæ in epicyclo, per quem planetam solummodo repedare demonstrandum sit.

Demonstratio secundæ partis.

B F basis trianguli B F K secta est in G, ut G F segmentũ non sit minus, sed majus crure sibi cõtermino K F, quare per 51 propositionem

Ratio anguli F B K ad B F K minor est, quam ipsius G F ad B G.

Et inversè,

Ratio anguli B F K ad F B K major, quam B G ad G F.

Sumptoque secundi & quarti termini duplo,

Habebit angulus B F K, ad duplum anguli F B K majorem rationem, quam B G ad duplam G F.

Sumpto tertii & quarti termini semisse,

Habebit angulus B F K, ad duplum anguli F B K majorem rationem, quam semissis B G, ad semissem duplæ G F, hoc est ad ipsam G F.

Sed angulus K E G in centro E, duplus est anguli F B K in peripheria, estque H G semissis ipsius B G, quare

Angulus B F K, ad K E G majorem rationem habet, quam H G ad G F.

Per thesin verò H G, G F, motibus centri epicycli & planetæ in epicyclo proportionales sunt.

Atque ideo angulus B F K major est, quam ut motui centri epicycli isto temporis intervallo congruat. quare minor ei congruus designetur B F L. Quibus positis, dum planeta in epicyclo suo peragrat arcum G K, seu angulum G F K, subtendet eodem motu in Terræ centro F, angulum B F K, seu G F K contra successionem signorum. Atqui eodem temporis intervallo centrum epicycli decurrit angulum L F B, seu L F G secundum signorum successionem; quare motus centri epicycli in Terræ centro minor videtur, quàm planeta in epicyclo contrario nisu contra successionem signorum obluctatus sit, & amplitudine anguli L F K, planeta secundum visum repedabit, atque adeò in universo arcu G K ab G ad K nullæ repedationi obnoxius erit.


CONCLUSIO. Quamobrem, si recta à Terræ centro in concavum epicycli ita agatur ut semissis segmenti ab epicyclo absumpti, ad segmentum externum eam habeat rationem, quam motus epicycli ad motum planetæ, quâ hæc linea epicycli convexam partem secat erit punctum stationarium.

53 PRO-

53 PROPOSITIO.

Centri epicycli Saturni in deferente longitudine datâ puncti stationarii à Terræ centro distantiam in partibus semidiametri deferentis 10000, ejusdemque à centro epicycli apparentem arcum, & distantiam ab apogæo epicycli mathematico ratiocinio invenire, stante Terra.

DATUM. Esto A B deferens Saturni, centrum C, Terra D, diameter A D C B, apogæum B, perigæum A: Epicyclus E F G H, cujus centrum,



verbi gratiâ, consistat in perigæo eccentrici A, perigæum epicycli H, punctum stationarium G, unde ad Terræ centrum inclinetur G D, ad centrum epicycli A G. QUÆSITUM. Quantitas D G in iisdem partibus quibus A C semidiameter eccentrici ponitur 10000, hinc arcus apparens inter punctum stationarium G & centrum epicycli A, hoc est angulus G D A; tum planetæ longitudo in epicyclo, hoc est arcus E F G, seu quod idem sit angulus E A G nobis inveniendus est. PRAEPARATIO. D G continuata occurrat epicyclo in F, & inscripta F G bisecetur in E.

CONSTRUCTIO.

Recta D H à Terræ centro ad perigæum epicycli isto situ est per 46 propositionem 7606.

Qui numerus multiplicatus per E D 9936 (nam D H 7606 ordine primus additus ad H A & A E quarũ singulæ per 47 pro-

 positio-

positionem sunt 1165) dabit rectangulum sub lateribus E D & D H comprehensum 75573216.

* Eucl. 36. propos. lib. 3. Sed eidem rectangulo æquatur * rectangulum sub F D & D G, erit igitur id quoque 75573216.

Iam dicam, ut motus centri epicycli, ad motum Saturni in epicyclo, ita per 52 propositionem I G ad G D. Sed motus centri epicycli ad motum planetæ in epicyclo est per 2 consectarium 32 propositionis, ut 35 ad 1000: quare I G ad G D erunt quoq; ut 35 ad 1000. jam si ad I G 35 addas I F 35 ipsi æqualem, & præterea 1000 pro D G, conflabitur summa F D 1070: ut motus F D ad G D eandem habeat rationem, quam 1070 ad 10000. Quæ cum ita sint, ut inveniam optatam lineam D G, hujusmodi problema concipiam. *Invenire duos numeros in ratione data* 1070 *ad* 1000, *quorum factus sit* 75573216 *numerus ordine tertius*. Invenies autem hoc modo. ut rectangulū sub 1070 & 1000, hoc est 1070000 ad 1000000 quadratum minoris; sic 75573216 ad quadratum 70629174 hujus quadrati latus 8404, pro factore qui ipsis 1000 respondet, cujus demonstratio ex duplicata ratione similium planorum perspicitur. Quarum igitur partium A C 10000, erit D G 8404.

Vt verò deinceps cætera inveniam, sic agam. Triangulum A G D tres terminos habet cognitos, videlicet latera omnia, D A 8771 per 46 propositionem, A G semidiametrum epicycli 1165 per 47 propositionem, D G 8404 ordine quartum: Quorum ope duo anguli G D A, D A G inveniuntur per 8 propositionem planorum triangulorum, quippe angulus G D A, apparens distantia puncti stationarii G ab centro epicycli B 7 gr. 23.

Et angulus D A G 67 grad. 58 ① qui deductus de 180 grad. relinquet angulum E A G, seu arcum E F G quæsitam stationarii puncti G ab apogæo epicycli distantiam 112 gr. 23.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLVSIO. Quare centri epicycli Saturni longitudine in deferente suo data, puncti stationarii distantiam à Terræ centro in partibus semidiametri deferentis 10000, ejusdemque à centro epicycli arcum apparentem, & distantiam ab apogæo epicycli mathematico ratiocinio invenimus, stante Terra. Quemadmodum petebatur.

1 CONSECTARIUM.

Cum ex hac propositione inventus sit apparens arcus inter stationis punctum & epicycli centrum, atque 49 propositionis consectario ejusdem centri epicycli apparentem in ecliptica longitudinem invenerimus, etiam puncti stationarii apparens in ecliptica longitudo erit cognita.

2 CONSECTARIUM.

Et hinc quoque patet tabulam arcuum apparentis distantię, inter punctum stationarium & centrum epicycli per singulos deferentis gradus construi & ordinari posse, ut inde quàm facillimè quæsitum expediatur.

1 NO-

1 NOTA.

Problematis hujus constructionem ita expedivimus, tanquam toto illo retrogradationis tempore, centrum epicycli jugi & æquabili motu secundum visum processisset, & apogæum ejusdem à terra eodem intervallo fuisset disjunctum: quod vero quidem assideret si in concentrico centrum epicycli versaretur, sed cum deferens eccentricus sit atque eam ob causam motus centri epicycli nobis inæqualis videatur, & apogæum non eodem semper intervallo à nobis disjunctum, necesse est inde aliquam varietatem & differentiam in retrogradationis arcum induci. Attamen in veterum monumentis quibus *Ptolomæus* usus est, hæc res tanquam haud magni momenti neglecta & omissa videtur. *Regiomontanus* tamen libri 12 propositione 9 theoricè hanc differentiam expendit. Si quem verò incessat libido investigandi hujus quantitatem, atque utrum alicujus sit momenti, id ex calculo facilè edocebitur.

2 NOTA.

Atque hactenus planetarum in epicyclis repedationis ac regressus causas explicavimus. Cæterum ii planetæ qui eccentricum solum decurrunt ut Sol & Luna nullam unquam repedationis affectionem in se admittēt, licet quamcunque rationem inter motum apogæi & planetæ in epicyclo constituas, aut inter eccentricitatem & semidiametrū eccentrici; quamvis enim Terram ejus peripheriæ proximè admoveas nunquam tamen efficies ut planeta repedet. Imò, ut clarius dicam, licet quamvis Terra in ipsa eccentrici peripheria statuatur planeta unico tantum puncto stabit, neque tamen repedabit, & quidem tum, cum planeta oculo spectantis incumbet.

3 NOTA.

Præterea veteres, quemadmodum *Ptolomæus* autor est, planetarum & stellarum affixarum apparitiones occultationesque φάσεις ϗ κρύψεις quoque annotarunt, apparitionem quidem cum postquam diu evanidæ primum cōspiciuntur & apparent, occultationem verò ex quo tempore primum evanescunt & disparent. Atque hæ φάσεις ϗ κρύψεις vel in ipso horizonte vel propter eum (ob causas notas) accidunt. Quarum calculum ideò instituebant ut quando quisque planeta primùm vel appareret vel dispareret cognoscerent, cujus modus talis est. Aliquot continuis deinceps diebus observabant quo tempore stella primum disparuisset, & tum Solis depressionem infra horizontem inquirebant. altius autem infra horizontem Sol deprimitur minoris claritatis stella primū evanescente, quam majoris, quia hæc occasu vespertino tardius disparet, & matutino citius conspicitur Iam igitur invento hoc Solis infra horizontem statu, inde concludebant eam depressionem terminum esse quo stella vel novissima, vel prima videatur. Sic, dicis gratiâ, *Ptolomæus* ait se observationibus edoctum Saturnum Sole 11 gradibus infra horizontem depresso primum aut novissimum videri, hoc est arcum visionis ejus esse graduum 11. Dato autem hoc arcu 11 grad. & loci latitudine, & Solis loco viso, manifestum est per problemata sphærica, qualia libro 4 de tractatu triangulorū exhibuimus, apparentem eclipticæ arcum inter Solem & Saturnum inveniri posse, quem à Sole disjunctus nobis appareat: sed tamen iidem arcus ob eclipticę obliquitatem & inclinationem non sunt unius quantitatis, sed variæ. Cæterum arbitramur supervacuum ista sigillatim per propositiones singulas explicare, cum satis clarè modus observandi, & calculum inde derivandi ex dictis pateat.

Præterea hic non est negligendum, ut planetarum φάσεις χ̓ κρύψεις, quasi generali theoremate certius comprehendamus, ipsorum à terris distantiam cautè huc in consilium adhibendam; Nam illa, maximè in Marte, multùm diversa est, & angulos seu diametros ipsorum visuales varios constituit, atque ideò occultationes & apparitiones cum primum conduntur ac videntur faciunt distantia inæquali, quamvis anguli ab ecliptica & horizonte comprehensi æquales forent.

DE IOVIS, ET MARTIS MOTV.

IOvis Martisque motus iisdem retrogradationis, stationis, occultationis & apparitionis affectionibus, quibus Saturnus à 45 propositione obnoxios, scito solo numero differre. Quibus hic generatim annotatis, quilibet ex antecedente Saturni motu suo marte in Iove & Marte similes affectiones notare & explicare poterit. Quas ideo haud persequar sigillatim, & maximè quidem quod nunc non sim sollicitus ut Planetarum loca, cursus, motus accuratè & verè consignem, sed tantum rationem modumque explicem, quemadmodum potissimum arbitrer ea instaurari posse, si vel veterum observationes, quæ jam diu interciderunt, vel alias novas satis accuratas haberemus.


DE MOTV VENERIS.

54 PROPOSITIO.

Rationem semidiametri deferentis ad eccentricitatem & ad epicycli semidiametrum in partibus semidiametri deferentis 10000 mathematico ratiocinio invenire, stante Terra.

In syllabo maximarum Veneris ἀποχῶν à linea medii motus Solis in consectario 38 propositionis 1 lib. duas inquiram, matutinas, vespertinas nihil interest, sed unam quando linea medii motus Solis vel in, vel proximè supra deferentis apogæum consistet, id est, per 1 libri 40 propositionem, in eclipticæ 76 grad. 20 ①, quem locum Sol medio motu quotannis circiter diem 18 Maji proximè adit; eam autem invenio proximè ad diem 20 Maji 1563 matutinam 44 grad. 21 ①. Alteram remotissimæ distantiæ metam usurpabo eam quæ cótingit lineâ medii motus Solis vel in, vel proximè supra perigeum deferentis Veneris, hoc est sub 256 grad. 20 ① eclipticæ constitutâ, quem locum Sol medio motu quotannis propter 18 Novembris adit, hanc autem in suprascripto syllabo invenio ad diem 12 Decembris proximè anno 1602 vespertinam 47 grad. 17 ①. Quamvis hæc ipsa à proposito loco plus absit, quam hujus accuratior calculus sinat; tamen cum *Stadii* ephemerides accuratius nihil (ob angustos annorum, quibus circumscribuntur terminos) suppeditare videantur, cumque hic tantum viam monstremus qua insistendum sit, si idoneas & satis longa serie continuatas observationes nacti essemus, id exempli loco sufficiet. quibus concessis ad ejus calculum accedemus.

DATVM.



Datum. Esto deferens epicycli ABC, centrum D, Terra E, apogæum A, unde tanquam centro decircinetur epicyclus FG, actaque EF tangat epicyclum in F, huc annectatur radius AF: & rursum super perigæum C alter epicyclus constituatur HI, quem contingat EH, atque ad contactum H adjungatur radius CH. Iam Veneris matutinæ supraſcriptus locus ſit F, ut angulus AEF remotiſſimæ diſtantiæ ſit 44 grad. 21 ①. ſed veſpertinæ diſtantiæ locus ſit H, ut angulus remotiſſimæ diſtantiæ hîc ſit CEH 47 grad. 17 ①.

Quæsitum. Invenienda eſt ratio ſemidiametri deferentis DC ad eccentricitatem DE, & ad radium epicycli AF in partibus ſemidiametri deferentis DA 10000.

CONSTRVCTIO.

Ponamus primò AF 10000. habebit igitur triangulum EAF tres terminos cognitos, AF 10000, angulum AFE rectum, & AEF 44 grad. 21 ① per theſin: unde latus AE per 4 propoſitionem planorum triangulorum invenitur	14306.
Et rurſum cum AF & CH æquentur, ſit hæc quoque 10000, atque ita triangulum ECH tres habebit terminos cognitos CH 10000, angulum CHE rectum. & CEH 47 grad. 17 ① per theſin, unde latus CE invenitur per 4 planorum triangulorum propoſitionem	13611.
Cum hoc componas AE 14306 ordine primum, exiſtet diameter AC	27917.
Cujus ſemiſſis dabit ſemidiametrum DC	13958.
Vnde ſubducta CE 13611 numerus ordine ſecundus, relinquetur DE	337.
Vt jam trium harum linearum DC, DE, AF, rationem inveneimus in iſtis numeris 13958, 347, 10000. Sed quæritur ratio illarum ad taxationem ſemidiametri DC 10000, quare per proportionem concludam, ut DC 13958 ad DE 347, ſic DC 10000, ad optatam eccentricitatem DE	249.
Et rurſum, ut DC 13958, ad AF 10000, ſic DC 10000, ad optatam epicycli ſemidiametrum AF	7164.
Atque hæc quidem in partibus DC	10000.

Cujus demonſtratio ex opere manifeſta eſt.

1 NOTA.

Pro numeris à nobis inventis DC 10000, DE 249, AF 7164, habent abaci *Ptolomaici* secundum suam rationem sexagenariam, 60. 1 part. 15 ①. 43, 10 ①. quarum ratio est ea quæ 10000, 208, 7194.

2 NOTA.

Ex inventa harum trium linearum radii epicycli, eccentrici, & eccentricitatis ratione, similes propositiones, quales in Saturno 45 & 46 descripsimus, etiam hoc loco subjici possent, sed cum hæc ab illis nihil habeant diversi, hoc labore defungemur, quemadmodum in Iove & Marte lectorem ad Saturnum remittentes.

DE MOTV MERCVRII.

CVm motus Mercurii in simplici terræ hypothesi, quam nunc describimus planè Veneri consimilis sit, eam inde quoque notam assumemus, ut à similium propositionum descriptione supersedeam, cujus causam simili casu in Iove & Marte explicavimus, qui Saturni motui similitudine respondebant.

DISTIN-

DISTINCTIO QVINTA SECVNDI LIBRI. DE PLANETARVM CONIVNCTIONE,

Oppositione, eclipsibus investigandis mathematico ratiocinio, secundum stantis Terræ hypothesin.

BREVIARIVM 5 DISTINCTIONIS.

HActenus secunda, tertia, & quarta Distinctione, singulorum planetarum privatim rationes redditæ sunt; deinceps jam 9 propositionibus complectemur ea, quæ ex ipsorum mutua habitudine & aspectu existunt, quarum priores duæ, quæ sunt hujus libri 55 & 56 erunt de planetarum conjunctionibus & oppositionibus. Septem sequentes 57, 58, 59, 60, 61, 62, 63 de planetarum defectibus.

Cæterum quamvis generali voce nos hic planetarum omnium conjunctiones oppositiones defectus complexi simus, exempli tamen loco Solem & Lunam maxime usurpabimus, atque inde cæteris planetis hanc rationem communem concludemus.

1. DEFINITIO.

Arcus * incidentiæ eclipsis, est arcus ab eclipsis initio usq; dum centra planetarum vel conjungantur vel opponantur, & tempus interim elapsum est tempus incidentiæ dicitur. * ἐμπτώσεως.

2 DEFINITIO.

Arcus * emersionis est arcus à conjunctione centrorum ad finem eclipsis, & tempus interim elapsum tempus emersionis dicitur. * ἀνακαθάρσεως.

55 PROPOSITIO.

Tempora mediarum Solis & Lunæ conjunctionum, & in quam eclipticæ longitudinem istæ incidant invenire, & canonem inde condere.

DATUM. Exponatur epocha ad caput anni 1600.

QVAESITVM. Quæritur in quod deinceps tempus prima Solis Lunæque media conjunctio cadat.

CONSTRVCTIO.

Sol medio motu ad positam epocham, quod est initiũ anni 1600, per 9 propositionem 2 libri obtinebat ecliptica — 288 gr. 48.
Et Luna motu medio per 31 propositionem — 224 gr. 5.
Qui de primo 288 grad. 48 ① subducti, relinquent spatium Lunæ cõficiendum priusquam Solis motum medium assequatur, seu medio Soli jungatur — 64 gr. 43.
Vt temporis intervallum, quo id spatium conficiat inveniam, sic agam. Lunæ motus medius medium Solis motum 12 grad. 11. 27. superat 1 die, per 11 propositionem 1 libri ergo 64 grad. 43 ①, qui est numerus ordinis tertius, quanto tempore superabit? concludes 5 dies 7 horas 24 ①, qui ad epocham positam additi dabunt tempus quæsitum — anno 1600 Ianu. 5. 7 hor. 24 ①.
Quo tempore mediæ Lunæ longitudo per 32 propositionem 2 libri invenitur — 294 gr. 2.
Cujus calculi veritatem explorabis, si eodem momento Sol medio motu (per 10 propositionem 2 libri) eundem locum in ecliptica obtinere inveniatur.

Atqui ut inde tabellam concenturiemus, sic agam. Exsuperatio Lunæ 12 grad. 11. 26. 33. 43. 21. 5. est diurna per 11 propositionem 1 libri, ergo 360 grad exsuperatio erit 29 dierum 12 hor. 44 ① 11 ② pro mediæ Lunationis intervallo, qui ad 5 Ianuarii 7 hor. 24 ① ordine quartum additi dabunt anni 1600 diem 3 Februarii 20 hor. 8 ① 11 ② secundam Lunationem mediam. Huc rursum additi iidem 29 dies 12 hor. 44 ① 11 ② dabunt 3 Mart. 8 hor. 52 ① 22 ② anni 1600. Eodemq; deinceps ordine tabella quantumlibet continuata. Specimen & formam ejus oculis subjicio.

SPECIMEN TABELLÆ MEDIARVM

Solis & Lunæ conjunctionum.

Annus.		*horæ.*	①.	②.
1600.	5 Iunii.	7.	24.	0.
1600.	3 Februar.	20.	8.	11.
1600.	3 Mart.	8.	52.	22.

CONSECTARIUM.

Perspicuum est oppositiones, quadraturas cæterosque aspectus medios ex antecedentibus facile cognosci, dicis gratiâ, si oppositionem mediam à conjunctione media, quæ incidit in 5 Ianuarii 7 hor. 24 ① invenire expetas, ad eum locum addas semissem inventi temporis 29 dies 12 hor. 44 ①, hoc est 14 dies 18 hor. 22 ①, existet quæsitus 20 Ianuarii 1 hor. 46 ① anni 1600. Atque ita in cæteris modo consimili. Poteris etiam eclipticæ longitudinem in quam hi aspectus incidunt singulis locis annotare, quemadmodum in hujus propositionis calculo usurpavimus. Denique manifestum est hunc modum nõ Soli & Lunæ esse proprium, sed cæteris planetis communem.

CON-

CONCLVSIO. Quare Tempora mediarum Solis & Lunæ conjunctionum, & in quam eclipticæ longitudinem incidant invenimus & in tabella in digessimus. ut petebatur.

56 PROPOSITIO.

Temporis articulum & eclipticæ locum in quem Solis Luneq; cōjunctio ex Terræ centro spectata cadat invenire.

DATVM. Exponatur epocha caput anni 1600. QVÆSITVM. In quem temporis & articulum, & eclipticæ locum Lunæ Solisque conjunctio ex Terræ centro spectata post expositam epocham prima cadat.

CONSTRVCTIO.

Primò quæram momentum conjunctionis mediæ, quæ per 55 propositionem invenitur anno 1600 5 Ian. 7 hor. 44 ①.

Idque sub ecliptica 294 gr. 2.

Si jam Sol & Luna prostaphæresi carerent, vel uterque æqualem haberent prosthesin, vel æqualem aphæresin, manifestum est conjunctionem veram cum media in idem momentum incidere. Sed per 8 propositionem Solis hoc loco prosthesis est 36 ①, & Lunæ aphæresis per 30 propos. 4 gr. 16 ①, quarum summa (addēdę enim hic sunt, quia illa prosthesis hæc aphæresis sit, nam si utræque essent homogeneę, hoc est vel ambæ prosthetica vel ambę aphæreticæ usurpanda esset earum differentia) dabit Lunæ à Sole distantiam 4 gr. 52.

Hac distantia cognita, quærendum est temporis intervallum quo Luna vero motu id spatium 4 gr. 52 conficiat. Subducam igitur suprascriptam aphæresin Lunæ 4 grad. 16 ① de 294 grad. 2 ① ordine secundo, relinquetur ipsius Lunæ apparēs in ecliptica longitudo ad expositum 5 Ianuarii 7 hor. 44 ① sub 289 gr. 46.

Deinde ex canone 11 propositionis 1 libri cognosco eam singulis horis medio motu dimidium proximè gradum exsuperare, seu quod idem fit, singulis gradibus 2 horas proximè impendere. id est 8 horis 4 gradus peragrare. reliqua 52 ① negligo, cujus causa paulò infra patebit. additis itaque 8 horis ad 5 Ianuarii 7 hor. 44 ① ordine primum, dabitur anni 1600 Ian. 5 hor. 15 44 ①.

Quo tempore ipsius Lunæ apparens secundum eclipticam longitudo per 33 propos. 2 lib. invenitur sub 294 gr. 24.

Inde deductis 289 grad. 46 ① ordine quartus, reliquus est verus Lunæ 8 horarum ad istum locum motus 4 gr. 38.

Inde subducto Solis medio 8 horarum motu (quamvis motum apparentem usurpari res ipsa postulare videatur, quia tamen tantillo intervallo haud magna est medii & veri motus discrepantia, compendii causa medio motu uti licebit) qui per 3 propositionem 1 libri est 20 ①.

Relinquetur vera Lunæ 8 horarum isto loco exsuperatio 4 gr. 18.

Quæ cum ita sint dicam, 4 grad. 18 ① ordine nonus, dant suprascriptas octo horas, ergo 4 grad. 52 ① quid dabunt? concludes 9 hor. 3 ①.

Quæ

Quæ ad 5 Ianuarii 7 hor. 44 ⊙ aggregata dabunt optatum conjunctionis articulum anno 1600 5 Ian. 16 hor. 47 ⊙.
Quo tempore ipsius Lunæ apparens in ecliptica longitudo per 33 propositionem 2 lib. invenitur 295 gr.
Quod si Solis apparens in ecliptica longitudo, quæ per 11 propositionem invenitur, huic congruat, argumentum erit eos ibi conjunctos & abacum suum erroris expertem. CONCLUSIO. Quare Temporis articulum, & eclipticæ locum in quem Solis Lunæque conjunctio ex Terræ centro spectata incidat invenimus. ut petebatur.

1 CONSECTARIUM.

Ex antecedentium analogia perspicitur, quomodo oppositionis, quadraturæ cæterorumque Solis & Lunæ aspectuum tempus & locus apparens in ecliptica inveniantur. atque adeò propositionis hujus veritatem ad cæteros planetas quoque se didere.

2 CONSECTARIUM.

Notato hujus propositionis calculum nō ad Terræ superficiem sed ad centrum ejus subductum, qui non ideo usquequaq; respondet loco eclipticæ ex Terræ superficie spectatæ, quia Luna parallaxin habet majorem, quam Sol, quæ causa conjunctionis locum verum secundum visum non parum luxare possit. Quare res ipsa palam loquitur apparentem cōjunctionis longitudinem secundum eclipticam ex terræ superficie huc in partes vocandam, hoc est ad duodecimum ordinis numerum addendam vel subducendam esse parallaxin longitudinis, quæ ab istis duobus planetis inducitur (quam ex 27 & 43 cognosces) quę hinc nascetur summa vel differentia erit quęsita longitudo in ecliptica. Dehinc jam porrò quærendum quanto tempore Luna in hoc parallaxis arcu Solem assequatur. id verò cognosces ex hujus propositionis termino ordinis nono; nam illic constat 4 gr. 18 ⊙ octo horis exsuperari, quod hinc tibi nascetur ad numerū ordinis undecimum, prout res exiget, additum subductumve, summa vel differentia optatum temporis momentum demonstrabit.

3 CONSECTARIUM.

Cum ex hac 56 propositione conjunctionum aut oppositionum Solis & Lunæ apparens in ecliptica longitudo, & per 37 propositionem longitudo nodorum eclipticorum inveniantur, consequens est Lunæ à nodis distantiam ex Terræ centro æstimatam in oppositionibus, & conjunctionibus quoque cognosci.

DE PLANETARUM ECLIPSIBUS.


57 PROPOSITIO.

* ἐκλειπτικήν. Maximam Lunæ à nodis distantiam* eclipticam invenire.

* ἐκλειπτικαί. Lunæ Solisque conjunctiones oppositionesvé * eclipticæ certo à nodis intervallo definiuntur, intra quem terminum deficiant, atque extra quem immunes

munes sint. Vt igitur in eclipticis conjunctionibus aut oppositionibus inquirendis vanus aut irritus labor non sumatur, expedit illos terminos ante cognosci, quibus definiendis 57 & 58 propositio occupabuntur.

DATVM. Esto Lunæ circulus A B, ecliptica C D, nodus eclipticus E, Luna F G, ejus diametri visualis, seu maximi anguli sub quo videtur semissis (unde distantia à nodo F E derivatur) sit F G 17 ① 30 ② per 30 propositionem, G H 50 ① semissis maximi anguli quem umbra illic subtentat per 44 propositionem. Patet itaque F extremum à nodo E terminum esse in suo circulo, in quem eclipsis cadat, nam umbrâ & Lunâ versus A & C porrò promotis, à se mutuo divelluntur.



QVAESITVM. Amplitudo arcus E F est nobis inveniendus.

CONSTRVCTIO.

F G valet per thesin	17 ① 30 ②.
Huc adde G H per thesin	50 ①.
Existet F H	1 gr. 7 ① 30 ②.


Triangulum F H F tres habet cognitos terminos, H F E angulum rectum, F E H 5 grad. per 36 propositionem, & latus F H 1 grad. 7 ① 30 ② ordine tertium. Vnde latus F E per 35 propositionem sphæricorum triangulorum invenitur 12 gr. 50 ①.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLVSIO. Quare Lunæ terminum à nodis remotissimum invenimus citra quem eclipses cadant, ut petebatur.

58 PROPOSITIO.

Maximam Lunæ à nodis distantiam ut Sol deficiat definire.

DATVM. Esto A B deferens Lunæ, C D ecliptica, E nodus eclipticus, F G Luna, & maximi anguli visionis semissis sit F G 17 ① 30 ② per 30 propositionem: sitque maximi anguli sub quo Sol nobis videtur semissis G H 16 ① per 8 propositionem. quare F terminus est extremus in Lunæ circulo, quo eclipsis Solis ex Terræ centro æstimata pertingat.



QVAESITVM. Inveniendus est arcus E F. atque ad eum aggregandus (cujus causam quarto constructionis termino dicemus) maxima latitudinis parallaxis differētia, quæ inter Solem & Lunā in Solis defectu cadit, hoc est 59 ① maxima enim Solis parallaxis per cōsectariū 26 propositionis est 3 ①,

quæ

quæ de maxima Lunæ parallaxi 1 gr. 2 ①(per 42 propoſ. conſectarium) ſubducta relinquet ut prius 59 ①.

CONSTRVCTIO.

F G eſt per theſin	17 ① 30 ②.
Huc additus G H per theſin	16 ①.
Conflabit F H.	33 ① 30 ②.
Verum quamvis Sol & Luna ex Terræ centro æſtimati ſe mutuò contingunt, Luna tamen ob dictam parallaxin ex Terræ ſuperficie ſpectata ad 59 ① Soli prætenſa videri poterit. quare additis 59 ① ad 33 ① 3 ② ordine quartum, exiſtet magnitudo arcus F H	1 gr. 32 ① 30 ②.
Trianguli F H E tres termini ſunt cogniti, videlicet angulus H F E rectus, F E H 5 gr. per 36 propoſitionem. Et latus F H 1 gr. 32 ① 30 ② ordine quartum. Vnde latus F E per 35 propoſitionem ſphæricorum triangulorum invenietur	17 gr. 55 ①.


Cujus demonſtratio ex operis filo perſpicitur. CONCLVSIO. Quare Lunæ terminum à nodo remotiſſimũ invenimus citra quem Solis eclipſis cadat.

59 PROPOSITIO.

In eclipſi Lunari ſemidiametro viſuali Lunæ loco in deferente, & ſemidiametro umbræ datis, uncias eclipſis Lunæ invenire.

1 *Paradigma, ubi minùs ſemidiametro viſuali obſcuratur.*

DATVM. Eſto A B circulus quem Luna decurrit, C D ecliptica, E nodus aſcendens, ſeu Boreus, Luna F G, cujus ſemidiameter, ſeu ſemiſſis anguli viſionis ſit F G, qui per 30 propoſitionem inventus ſit 16 ①, & arcus E F inter Lunam & nodum interjectus per 2 conſectarium 37 propoſitionis inveniatur 9 grad. Hinc ſit arcus H I amplitudo ſemidiametri umbrę, quę per 44 propoſitionem inventa ſit 40 ①, & ſit G I diametri Lunæ pars defecta.



QVÆSITVM. * Vnciæ anguli ſub quo Luna videtur luce defectæ inveniendæ ſunt, hoc eſt amplitudo arcus G I.

* δάκτυλοι ἐκλειπτικοί.

CONSTRVCTIO.


Triangulum F E H tres habet terminos cognitos, angulum E F H rectum, F E H 5 gr. & latus F E 9 grad. per theſin unde latus F H per 36 propoſitionem ſphęricorum triangulorum invenietur 47 ①.

Vnde

Vnde deductus arcus H I (qui si major erit secundum paradigma imitabere) per thesin 40 ①.
Relinquet F I 7 ①.
Is deductus F G 16 ①.
Relinquet anguli visionis Lunæ partem defectam G I 9 ①.
Cum autem semissis anguli visionis Lunæ sit 16 ①, totus erit 32 ①. Quare ex proportione cócludam, ut 32 ① ad G I 9 ① ordine quintum, sic 12 unciæ ad quem? concludes pro optato defectus segmento uncias 3 & 22 ①.
Cujus demonstratio ex opere perspicitur.

2 *Paradigma, ubi plus semisse anguli visionis Lunæ deficiat.*

DATVM. Sit Lunæ circulus A B, ecliptica C D, nodus ascendens, seu Boreus E; Luna F G, anguli visionis semissis F G 16 ①, tantus enim 30 propositione nobis inventus est, Lunæ à nodo distantia E F 3 grad. per 3 consectarium 56 propositionis inventa sit, & H I semidiameter umbræ per 44 propositionem inveniatur 40 ①, Lunaris semidiametri (seu anguli visionis) pars defecta sit G I.



QVÆSITVM. Vnciæ in Lunari semidiametro luce defectæ nobis inveniendæ sunt, vel quod idem est, quantitas arcus G I.

CONSTRVCTIO.

Triangulum F E H tres habet terminos cognitos, angulũ E F H rectum, F E H 5 grad. & latus F E 3 gr. per thesin: unde latus F H invenitur per 36 sphæricorũ triangulorũ propositionem 31 ①.
Hoc subductum de H I (sin major sit primum paradigma imitabere) qui per thesin est 40 ①.
Relinquet I F 9 ①.
Huc addito F G per thesin 16 ①.
Existet anguli visionis Lunæ pars obscurata G I 25 ①. Cumque semissis anguli visionis Lunæ (seu semidiameter visualis) sit per thesin 16 ①, totus erit 32 ① videlicet duplus, unde proportio, 32 ① dant G I 25 ①, itaque 12 quid dabunt? concludes optatas defectus uncias 9 22 ①.
Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

4 CONSECTARIUM.


SI primus hujus constructionis numerus F H, ipsi H I æqualis foret res ipsa loquitur, semissem anguli visionis Lunæ obscurari, neque ulteriore calculi πἑριεργίᾳ opus esse.

Præterea si G I ordine quintus, toti angulo visionis Lunæ æqualis, vel major foret, reliquum hujus operis calculum prosequi supervacaneum fuerit, quia totus angulus visionis Lunæ (seu diameter visualis) in umbram immersus deficiat. CONCLVSIO. Quare in eclipsi semisse anguli visionis Lunæ, loco in deferente, & umbræ semidiametro cognita, uncias diametri defectas invenimus.

60 PROPOSITIO.

In Solis eclipsi (quam hîc ex Terræ centro æstimamus) data semidiametro visuali Solis, Lunæ, & hujus in deferente loco, uncias diametri Solis obscuratas invenire.

DATVM. Sit A B circulus Lunæ, Ecliptica C D, Nodus ascendens E,



Luna F G, cujus semidiameter visualis (seu semissis anguli visionis) F G 16 ① per 30 propositionem, & Lunæ à nodo distantia E F 4 gr. per 3 consectarium 56 propositionis inveniatur. Iam H I semidiameter visualis Solis 15 ① 50 ② per 8 propositionem, G I pars diametri visualis obscurata.

QVAESITVM. Unciæ diametri Solis obscuratæ, seu quantitas arcus G I ex Terræ centro æstimata invenienda est.

CONSTRVCTIO.

Triangulum F E H tres habet terminos cognitos, angulũ E F H rectum, F E H 5 grad. & latus F E 4 gr. per thesin: unde latus F H per 36 propositionem sphæricorum triangulorum invenitur	21 ①.
Inde subductus arcus H I per thesin	15 ① 50 ②.
Relinquetur I F	5 ① 10 ②.
Is deductus de F G per thesin	16 ①.
Relinquet angulum sub quo videtur pars Solis obscurata G I	10 ① 50 ②.
Cum autem Solis semidiameter visualis sit per thesin 15 ① 50 ②, integra erit 31 ① 40 ②, unde proportio 31 ① 40 ② dant G I 10 ① 50 ① ordine quintum, ergo 12 quid dabunt? concludes pro G I obscuratas diametri Solis	uncias 4 6 ①.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

NOTA.

Non puto hic etiam altero paradigmate opus esse, ubi plus semisse anguli visionis Solis (seu semidiametri visualis) obscuretur. Nam & hoc, & illa quæ inde deduximus, è 59 propositionis similitudine satis perspiciuntur.

CONCLVSIO. Quare in Solis eclipsi (quam hîc ex Terræ centro æstimamus)

mamus) semidiametro visuali Solis & Lunæ, & hujus in deferente loco, uncias semidiametri Solis obscuratas invenimus. Vt petebatur.


CONSECTARIUM.

Propositionis hujus epilogismum ad Terrę centrum tantum subduximus, atqui conjunctiones illic non eadem longitudine & latitudine videntur, quã in Terræ superficie, quod Lunę parallaxis major sit quam Solis, unde in ipsorum conjunctiones haud exigua differentia induci possit. Quare evidens est, ut obscuratas Solaris diametri uncias ex Terræ superficie æstimatas assequaris, ad numerum quinto loco inventum, addendam vel subducendam parallaxin latitudinis, quæ ab istis duobus Planetis ipso conjunctionis momento inducitur (id verò ex 27 & 43 propositione edoceberis:) summa vel differentia amplitudinem arcus eclipsis Solis indicabit, qui ad uncias diametri visualis (ut in sexto ordinis termino) revocatus, dabit æstimationem quæsitam defectus ex Terræ superficie spectati.

Cæterum de Luna 59 propositioni consectarium huic simile nullum subjunximus, quia Luna & umbra in eodem loco versentur, ut illis diversa parallaxis accidere non possit; quod in Sole & Luna secus est, cum hæc à terris propius, ille remotius absit.

61 PROPOSITIO.

In data Lunæ eclipsi casus & emersionis tempora invenire.



DATUM. Esto deferens Lunæ AB, ecliptica CD, nodus Boreus E, Luna FG, semissis anguli sub quo videtur FG 16 ☉ per 30 propositionem, EF arcus inter Lunam & nodũ eclipticum esto per 3 consectarium 56 propositionis 9 grad. Hinc HI semidiameter umbræ ad mediũ eclipsis tempus, sit per 44 propositionem inventum 40 ☉. QVÆSITVM. Tempus incidentię & emersionis, ἐμπτώσεως καὶ ἀναδύσεως χρόνοι inveniendi sunt.

PRAEPARATIO. In Lunæ deferente describatur centro K circellus KL, æqualis ipsi FG, umbræ convexum contingens in L, quemadmodum Luna cum primum umbram in eclipsis initio stringit; similiter altrinsecus ab F tangat MN umbram in N, quemadmodum Luna cum primum emersit. Inde per centra & contactus agantur arcus HLK, HMN.

CONSTRVCTIO.

Triangulum FEH tres habet cognitos terminos, angulum EFH rectum, FEH 5 grad. & latus FE 9 grad. per thesin, unde FH per 36 propositionem sphæricorum triangulorum invenitur 47 ☉.

V 2 Trian.

Trianguli H F K tres termini ſunt cogniti, H F K angulus rectus, latus F H 47 ① ordine primus, & latus H K 56 ① (nam H L æqualis ipſi H I eſt 40 ①, & K L æqualis F G eſt 16 ①, ſumma pro H K 56 ①, ut ſupra) unde latus F K invenitur per 32 propoſitionem ſphæricorum triangulorum 31 ①.

Deinde jam vera Lunę exſuperatio horaria iſto loco eſt inquirenda, quæ per 33 propoſitionis conſectarium inveniatur 28 ①.

Vnde proportio 28 ① tertius, dant 1 horam, ergo 31 ① ſecundus quid dabit? Concludes arcum K F exſuperationem centri corporis Lunæ ſupra Solem, hoc eſt tempus incidentiæ 1 hor. 6 ①.

* ἀνακαθάρσεως. Cui tempus * emerſionis (ſeu repletionis) æquale eſt, quo arcum F M exſuperat.

Cujus demonſtratio ex operis ſilo perſpicitur. CONCLUSIO. Quare in data eclipſi caſus & emerſionis tempora invenimus. Vt petebatur.

61 PROPOSITIO.


Dato totali Lunæ defectu ejus moram invenire.

DATVM. Sit deferens A B, ecliptica C D, Nodus boreus E, Luna F G, quæ per 30 propoſitionem ſit 16 ①, arcus inter Lunam nodumque interjectus inventus ſit per 3 conſectarium 56 propoſitionis 10 ①. Hinc H I ſemidiameter umbræ per 44 propoſitionem inveniatur 40 ①.

QVAESITVM. Tempus moræ, quo univerſa Luna deficiet inveſtigãdum eſt. PRAEPARATIO. Quia id ex theſi damus univerſum Lunę lumen hebetari, ſeu totam Lunam in umbram immergi, in Lunæ deferente centro K deſcribatur circellus K L, æqualis Lunæ F G, umbræ concavum contingens in L, quo loco Luna tota primum deficit: & conſimiliter ab F alter circellus M N priori æqualis, umbræ concavum in N contingens ſtatuatur: ac per centra & contactus ejiciantur duo arcus H K L & H M N.

CONSTRVCTIO.

Triangulum F E H tres habet cognitos terminos, angulum E F H rectum, F E H 5 gr. & latus F E 10 ① per theſin: quorum ope per 36 ſphæricorum triangulorum propoſitionem invenietur latus F H 1 ①.



Trianguli H F K tres termini ſunt cogniti, angulus H F K rectus, latus F H 1 ① ordine primus, latus H K 24 ① (H L eum æqualis ipſi H I eſt 40 ①, unde ſubducta K L æqualis F G 16 ①,

16 ①, relinquitur HK 24 ① ut prius.) Vnde latus FK per 32 sphæricorum triangulorum propositionem invenitur 22 ①.
Hinc vera Lunæ isto loco exsuperatio indaganda nobis est, quæ per consectarium 33 propositionis invenitur 28 ①.
Vnde proportio, 28 ① ordine tertius, dant 1 horam, ergo 22 ① secundus quid dabit? concludes Lunæ supra Solem exsuperationem, pro arcu KF seu dimidia mora o hor. 47 ①.
Cujus duplum optata mora 1 hor. 34 ①.
Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur. CONCLUSIO. Quare, data Lunæ totali defectu, moræ tempus invenimus. Vt petebatur.

CONSECTARIUM.

Tempora incidentiæ & emersionis per Lunaris motus exsuperationem ex arcubus FO FP, eadem analogia invenientur, quemadmodum 61 propositione in FK & FM expressimus.

63 PROPOSITIO.

Data Solis eclipsi ex terræ superficie æstimata incidentiæ & emersionis tempora invenire.

Vt hujus modum generatim comprehendamus, ita habe. Cum tempus incidentiæ eclipsis Solis, quæ ex Terræ centro æstimabitur secundum 61 propositionis Lunarem analogiam inveneris, tantum temporis intervallum addes demesvé quantum à parallaxi inducetur: cujus in Lunæ eclipsi rationem non habuimus, quod Lunæ & umbræ locus unus idemque esset, neque propterea diversas haberent parallaxes; secus verò est in Solis eclipsi, cum Sol & Luna maximo intervallo disjungantur. Quibus ita summatim perceptis, operis formam explicabimus.

CONSTRVCTIO.

Tempus incidentiæ ex Terræ centro æstimatum, & secundum 61 propositionis analogiam inventum sit 1 hora.
Inde parallaxin Lunæ eo loci, ubi supra horizontem exstabit inquiras per 43 propositionem, sitque 20 ①.
Inde Lunæ isto loco exsuperationem horariam per 33 propositionem investigato, sitque 30 ①.
Vnde proportio, 30 ① ordine tertius, dant 1 horam, ergo 20 ① ordine secundus dabit o horam 40 ①.
Hæc ad 1 horam terminum ordinis primum addita, aut subducta, prout res exiget; hoc loco addenda sit, dabitur igitur optatum tempus 2 hor. 40.

Cæterum ut tempus emersionis hîc investiges, similis operatio iteranda est, quia incidentiæ & emersionis arcus, ob causam paulò ante positam, necessariò hîc æquales non sunt.

Cujus demonstratio ex operis filo perspicitur.

CONCLUSIO. Data igitur Solis eclipsi ex Terræ centro æstimata ejus durationem invenimus, ut petebatur.

1 CONSECTARIUM.

Si totalis deliquii Solaris moram quæras, quemadmodũ de Luna 62 propositione usurpavimus, evidens est illam totalis deliquii moram respectu Terreni centri æstimandam, non aliter quam in Luna propositione 62, atque ad eam addendum demendumvé, quantum à parallaxi inducetur. nam quod inde nascetur optatum tempus definiet. sed tamen hæc mora haud valdè longa fuerit. nam angulus visionis Lunæ maximus, minimo angulo Solis haud multo major est, quorum semisses *Rheinoldus* in *Prutenicis* tabulis statuit 17 ① 49 ②, & 15 ① 4 ②, quorum differentia 2 ① 9 ②, ergo duplum 4 ① 18 ② pro integrarum semidiametrorum differentia. Si jam apparentem Lunæ exsuperationem eo die statuas 10 grad. Tumque per proportionem concludas 10 grad. dant 24 horas, ergo 4 ① 18 ② quid dabunt? concludes o horam 10 ① pro totalis deliquii Solaris mora.

2 CONSECTARIUM.

Nec obscurum est Solis defectum tanto tempore amplius produci posse, ultra tempus illud quod debetur apparenti Lunæ exsuperationi, quo Solis Lunæque semidiametros visuales peragrat, quanto Lunæ exsuperatio parallaxin istius loci percurrit.

1 NOTA.

In quintæ hujus Distinctionis breviario planetarum defectus in genere me expositurum recepi: cum tamen hactenus non alias propositiones quam de Sole & Luna tantum propositæ fuerint. Verum hinc etiam cæterorum planetarum mutuas ἀντιφράξεις, & quasi defectus quemadmodum in Sole & Luna inveniri manifestum est, si eorum motus, quà longitudinis quà latitudinis exactè satis cognoscerentur: eodem enim modo planetarum exsuperationes mutuæ huc adhibendæ sunt, & usurpandæ. Vt planetarum in longitudinem & latitudinem motuum accuratior ratio ad hanc rem sola desideretur.

2 NOTA.

Statueram, quemadmodum hujus 2 libri breviario videre est, hoc loco sextam Distinctionem subjicere, de fictitia Lunæ anomalia secunda, & tertia Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii. Sed cum ex instituto meo in primo secundoque libro cœli motum ad stantis Terræ hypothesin, non admixtis *Ptolemæi* ignoratorum motuum inventis descripsissem (nam illa seorsim in unum locum conjeceram) cumque eundem hunc modum in *Copernico* secundum motæ Terræ hypothesin usurpassem, qui suos de iisdem ignoratis motibus conceptus iis admiscuit, his ita à reliquo opere segregatis, ut rei adhuc latentis & ignotæ statum evidentissimè & planissimè omnium oculis exponerem, qui facilius feliciores Theoricas nancisceremur. Evenit interea ut, qui hæc aliorum usui præparassem, ipsi mihi facem allucerent ad Theoricę commodioris inventionem. Dum enim tertium librum de *Copernici* hypothesibus (qui jam diu mihi intactus jacuerat) rursum in manus sumpsissem, ut eum recenserem & pręlo subjicerem, aliam motus latitudinis Saturni, Iovis, Martis, Veneris, Mercurii cognitionem sum adeptus, ut motus illi perperam pro ignoratis habeantur. atq; eam ob causam 7 Distinctionis usus evanuit: Nã quaslibet humani ingenii conjecturas in planetarũ motu anxiè & nimis

mis follicitè inquirere, est tempus male collocare, utilius enim rerum non dubiarum cognitioni impenditur. Cum itaque latitudinis motum ob eam causam in tertium librum transtulerim ad Terrę motę hypothesin, hanc inquam etiam ob causam 7 Distinctionem omisi. Cæterum 6 Distinctionem in Motuum Cœlestium appendicem rejicere consultius judicavi: quæ vero rationes eò me impullerint illic dicetur.

Si fortè uspiam in his Hypomnematis Mathematicis occurrat locus aliquis in quo dicti latitudinis motus, quem hîc cognitum judico, ignotus vocabitur, scito hunc tertium sequentem librum omnium novissimum typis subjectum, meque cum eum typis jam jam mandandum perlustrarem, hæc tum primum invenisse, & planius pervidisse. atque ideò quamvis ordine reliquis sit prior, tempore tamen postremum esse.

ATQVE HIC SECVNDI LIBRI

FINIS ESTO.

TERTIVS
LIBER
MOTVVM COELESTIVM,
DE
INVESTIGATIONE MOTVS
PLANETARVM, EX RATIOCINIO MATHEMATICO, AD VERAM, & naturæ rerum conſentaneam motæ Terræ hypotheſin derivatâ.

LIBRI TERTII
BREVIARIVM.

VT hujus libri argumentum summatim & breviter complectar, ita habe: Planetarum duplicem esse motum, longitudinis & latitudinis. Longitudinis motu etiam secundum Terræ motæ hypothesin eadem omnia præstari, quæ Terra immota & in mundi centro librata, mathematicis rationibus demonstrabimus, sed hoc uno differre, quod ea quæ stante Terra mathematicos in sui admirationem rapiebant, ea hic nihil παράδοξου habere videantur: idque quia nitantur hypothesi, quæ non opinione, sed naturâ constituta sit. Ob unicam igitur istam demonstrationem, quod utrâque hypothesi idem utrobique in logistarum abacis concludatur, Liber hic in haud magnam molem excrescet: nam in hâc motus Terrestris hypothesi nulla de cœlestium motuum investigatione nova afferam problemata: Quin id generaliter statuo, omnia quæ in motu longitudinis supputanda nobis occurrẽt, ea per problemata stantis Terræ subductum iri, quæ duobus superioribus libris complexi sumus. Veruntamen peculiari propositione rationem privatim reddam, cur abacum istum ad commentitiam hypothesin subductum commodiorem & parabiliorem ducam eo, qui ex vera hypothesi derivetur. Longitudinis motui deinde latitudo succedet, quam utrâq; hypothesi eandem præstari ostendam.

Hujus igitur libri argumentum cum tale sit, in quinque partes, quas Distinctiones dicimus, secernemus. Vt prima explicet qualitatem orbium planetarum, quantum motuum legibus secundũ motæ Terræ hypothesin necessarium videbitur. Huic tres alteræ distinctiones de motu lõgitudinis planetarum motâ Terrâ succedent, videlicet Secunda de Terra; Tertia de Luna; Quarta de Saturno, Iove, Marte, Venere & Mercurio. Quorum agmen claudet novissima Distinctio de motu latitudinis Terra mota.

DISTIN-

DISTINCTIO PRIMA TERTII LIBRI, DE ORBIVM PLANETARVM QVALITATE,

quantum ipsorum motuum legibus, secundum motæ Terræ hypothesin necessarium videbitur.

BREVIARIVM 1 DISTINCTIONIS.

CVm Planetarum motus ad motæ Terræ hypothesin describere instituerim, huic suscepto negotio haud videtur disconducere, si de mundi forma & situ, tanquam fundamento cui illa inædificantur, hæc quædam in medium afferam, quæ vel certò scimus, vel conjecturis ducti suspicamur, quæque instituto serviant. Hinc igitur primam hanc Distinctionem in sex propositiones tribuam, quarum

Prima, quis ordo sit Planetarum orbibus, secundum motæ Terræ hypothesin.

Secunda, de Terræ δινήσει, ejusque magnetica quiete.* * μαγνητικῇ ἠρεμίᾳ.

Tertia, de magnetica quiete deferentium & orbium planetarum.

Quarta, de loco cui insita sit illa qualitas, quæ Terram & planetarum orbes in illa magnetica quiete conservet.

Quinta, nulla necessitate cogi Solem in centro Orbis affixarum stellarum consistere; sed probabili ratione hunc ei locum attribui.


Sexta, de admiratione haud παραδόξων eorum qui Terram mundi centro affigunt.

1 PROPOSITIO.

Quis planetarum orbibus ordo & situs Tellure motâ.

CVm veteres ex stantis Terræ hypothesi quibusdam planetis epicyclos affinxissent, in quibus eorum motus ad amussim congrueret excessui, quo Sol singulorum * centri epicycli motum superat, ut Saturno, Iovi, Marti: * μόνον κίνησιν. deinde aliis ut centri epicycli motus motui Solis congrueret, quæ 1 libro nobis pertractata sunt. Hæc tamen aliis probari non potuerunt ut ista naturæ rerum consentanea crederent. Quamobrem cum in illam curam incumberent, utrum epicyclorum commentitii motus tolli possent Telluris motu usurpato, viderunt hanc hypothesin commodissimè usurpari. Nam veteres non uno loco

loco testantur Terræ etiam olim motũ à quibusdam assignatum, cujus tamen vera idea & ratio post *Eruditi seculi* occasum nec ad *Ptolomai*, neque cujusquam reliquorum manus deinceps (cujus quidem memoria extet) devenit, sed eum plurimis iisque pulcherrimis inventis intercidit. Donec tandem patrum nostrorum memoria *Nicolaus Copernicus* extitit, qui eandem illam hypothesin, aut aliam ipsi simillimam suscitavit, quam ut hac propositione descriptam oculis subjiciam, ita exordior. Intra Cœlum affixarum, quod *Copernico* fixum immotumque statuitur, ordine orbes Saturni, Iovis, Martis, & deinde Terræ sibi mutuò succedunt, quæ in orbe magno revolutionem an-



nuam faciat, cum gemina *δινήσει*, quas a capite planius explicabimus; ratio autem semidiametri hujus orbis ad magnitudinem diametri orbis affixarum plane evanescit. Circa Terram Luna fertur in suo eccentriro; ad extremum Venus & Mercurius in eccentricis circa Solem delati sequuntur. Horum omnium planetarum, ut & Terræ, motus secundum successionem signorum ab occasu aguntur in Ortum.

Sed diagrammate fiet illustrius. A punctum Solis fixam sedem designet circa quod eccentrici figurentur circuli, primus Mercurii B, hinc Veneris C, tertius annuæ revolutionis Terræ D, & circa hunc eccentricus Lunæ E; quarto, quinto, sexto locis hoc ordine sequuntur Mars, Iuppiter, Saturnus F, G, H, omnes

omnes nullo epicyclo affecti. Atque I cœlum stellarum affixarum, ex A centro, qui Sol est, tornatum & descriptum.

Iste ordo summatim & nudè tantum absque ullis demonstrationum rationibus ita propositus, paulò pleniorem descriptionem postulare videtur. Nam Venerem & Mercurium intra magnum Telluris orbem conversiones suas facere inde animadversum est, quod Soli nunquam ad diametrum opponantur: Mercurium autem interiore orbe currere, inde evidés est, quod ejus maximæ * ἀποστάσεις à Sole minores sint, quam Veneris, id enim primo libro docuimus. * distantiæ

Si quis tamen ambigat, utrum Veneris & Mercurii orbes intra magnum Telluris orbem constituti Solem tamen non ambiant; id falsum esse inde arguitur, quia ipsorum remotissima à Terris distantia major multò deprehenditur, quàm magni illius orbis semidiameter, quemadmodum postea subductis rationibus demonstrabitur. Cæteri verò ideò Terram orbium suorum ambitu cóplectuntur, ut Saturnus, Iuppiter, Mars, quod Soli ad diametrũ quandoque opponantur; secus enim id nequiquam fieri posset. Atque orbis Saturni summus, ei proximus Iovis, citimus Martis geminis ferè rationibus probatur. Prior ista est, Planetam cui officitur esse remotissimum; id tamen nimis rarò contingit, & qui oculos suos ad cœlestium observationem convertant longe rarissimi sunt. Secunda, quod hæc Tellure motâ (longe certius quam immotâ, ubi totum hoc in ambiguo versatur) reipsa dimensionibus explicari possit, quemadmodum in patenti campo duarum turrium à nobis distantias, atque adeò utra distantior sit mensuramus: Interstitiũ enim duarum stationum, quas Terra in diversis sui orbis locis obtinet, est basis trianguli cujus cum lateribus comparatione facta ratio facile in sensus incurrat. quæ suo loco pressius dicentur. Porrò autem Lunæ motum talem esse qualem in diagrammate expressimus, ita edocemur. Si enim motum aliquem reliquis planetis haberet similem, is necessariò vel extra orbem magnum Telluris perageretur, non secus ac in Saturno, Iove, Marte; vel intra ut in Venere & Mercurio expressimus. Sed extra totus versari non potest, quia ita nunquam Soli officeret; deinde neq; intra; nam ita nunquam Soli ad diametrum opposita (quemadmodum Venus & Mercurius) consisteret. quinetiam post Solem ipsa aliquando se adderet, atque adeò quamvis Solis, Lunæ, oculi centra in eadem recta consisterent, nunquam tamen Sol nobis deficeret, cui tot seculorum experientiæ refragantur.

Causæ verò ob quas motæ Telluris hypothesis, non autem immotæ naturæ rerum consentanea videatur, hujusmodi sunt. Primò, quia hinc (quemadmodum in sequentibus perspicitur) planetæ tantũ in deferentibus, repudiatis epicyclis eorumque commentitiis motibus, conversiones suas peragere demonstrantur. Secundò, cum in rerum natura ita comparatum sit, ut planetæ qui in majoribus orbibus versantur tardius moveantur, planè huic ordini contrarium fuerit maximum orbem seu affixarum stellarum sphæram citissimè, hoc est diurna conversione circumagi: Atque ideò naturę & veritati magis consentaneum velocissimum illum motum minimæ sphæræ esse proprium, hoc est Terræ ἴδιον. Tertiò, cum in rerum natura ita constitutum sit, ut Planetarum motus ab occasu ferantur in ortum, huic generali notioni pugnant, qui motum contrarium ab ortu in occasum inducunt: Atque ideò naturæ & rationi cõvenientius est hunc motum Terræ tribui & proprium credi, eundemque reliquis omnibus similem ab occasu in ortum.

X Quod

Quod autem Terra ob gravitatem suam immobilis ima semper sede hærere credatur, ei hoc modo occurri poterit. Cum manifestum sit Terram esse luminosum cœli corpus, quæ claritatem suam à Sole non secus ac Luna mutuatur, non videtur à ratione alienum Lunam, Terramque, cæteraque sydera ingenerata & insita quadam vi & affectione naturali ne dilabantur contineri. atque ut materia terrena Terræ centrum affectat, illucq; semper quoad potest inclinat, & obstantia pondere suo pressat; ita quoque cæterorum syderum materiam quamlibet suum centrum affectare, quod planè rationibus physicis etiam necessarium videtur, secus enim arena, aqua cæteræque terrestres materiæ dissiparentur, neque in unam sphæram conglobata continerentur, haud aliter quam [illegible] cumulus à ventis dissipatus evanescit. Quamobrem cum ipsa ratio nobis hoc quasi dictet, & concedi sibi postulet, similia sidera, similes habere affectiones & qualitates. Sitq; in confesso omnibus planetarum pondus & gravitatem ipsorum motui non obstare, aut ideò immobiles non hærere, conveniens quoque est de Terræ pondere simile judicium ferre. cui sententiæ *Copernicus* quoque libri 1 capite 9 adstipulari videtur. Verùm age exemplo proposito hæc illustremus: Si animo atque cogitationes concipiamus quosdam hominum in aliqua ætheris regione, tanquam theatro aliquo constitutos Terram, utpote planetam, inter cætera sidera fulgentem (cujus splendor iis maximè locis clarissimus est, qui ab aqua occupantur) eminus contueri, atque ex eorum numero aliquem affirmare stellam istam præ cæteris ponderosam & gravem: non dubium est istam sententiam (si nec rationibus probetur, neque argumentum ullum extet unde hoc sidus cæteris ponderosius arguatur) à reliquis explosum iri: Eodem modo nos, qui in hoc Terrarum orbe ætatem degimus, neq; illi, neque ullis qui ista absque demonstrationum momentis asseverant fidem habere debemus.

Argumenta autem, quibus *Ptolemaus* Telluris motum oppugnatum venit, quod eo motu quo aëri it obviam structuras, & ædificia quassata dilabi necesse sit, neque subsultantem eadem iterum vestigia pressurum, sed inde tanto intervallo disjunctum in terram relabi, quantum terra interea sua vertigine promovisset. hæc inquam omnia nullius momenti sunt, quia eadem illa contingerent etiam quiescente Terra. Cum enim supponant aërem, hoc est illam sphæram, quæ Terram ambit non simul cum Terra in gyrum rotari, sed utraque separatim moveri, aër eâdem contentione & violentia in structuras & ædificia impinget, quâ motâ Terrâ ipsa ædificia in circumfusum & quasi stagnantem aërem. Si enim bacillus erectus in aquam profluentem defigatur, & alter in aqua stagnante tanta velocitate commoveatur, quantâ profluens illa defluit, res ipsa dictare videtur bacillum utrobique impressionem parem facere: Similiter non alia est pressus ratio, structurarum in aërem immotum, aut moti aëris in stantes structuras. Hinc etiam illud porrò suppullulat, si quis stante Terra subsultet nec eum rursum in eadem vestigia relapsurum, sed aëris motu correptum inde tanto intervallo summotum iri, quantum interea ipse aër promovisset. Atqui cum contrarium ipsa experientia testetur, consequens est aëris regionem simul cum terræ globo intra eum clauso, secundū stantis Terræ hyptohesin simul stare, aut motæ, moveri. Contra eos verò, qui stante Terrâ aërem quoque stare concedunt, at eâdem motâ non simul commoveri, tanquam sibi ipsis contraria statuentes, non nostrum est differere. Quare ut concludamus, is quem descripsimus ordo erit planetarum orbibus secundum motæ Telluris hypothesin.

2 PRO

2 PROPOSITIO.

De Terræ * δινήσεως, ejusque * μαγνητοςηρεμισμῶ.

* vertigine.
* magnetica quiete.

Præter motum Terræ localem annuum, quo orbem magnum percurrit ab occasu in ortum, quem 1 capite descripsimus, duos præterea ab eo diversos habet. primam δίνησιν, cujus vortigine singulis diebus circa suum axem ab occasu in ortum versatur. verùm comparatione instituta hoc ipsum clarius elucescet; ut si cogitatione concipias rotam in navi circa suum centrum & axem versari, quæ tamen simul cum navi de loco in locum transferatur, cum nihilominus rotæ circa suos cardines motus [illegible] in navi non mutet. ita inquam huic omnino similis est illa Terræ in orbe magno annua conversio; & circa suum axem peculiaris vortigo. Alter motus, & quasi species δινήσεως ex *Copernici* sententia libri 1 capite 11 est hujusmodi. Terra dum annuo centri motu per orbem magnum (de quo primo capite dictum est) ab occasu circumducitur in ortũ, interea quoq; pari temporis spatio huic motui it obviam ab ortu in occasum, contra illum centri motum reflectens, ut hanc ob causam axis Terræ ad eandem semper mundi plagam conversa spectet. Sed ut hunc *reflexionis seu tertium declinationis motum*, & axis situm sibi perpetuò similem, commodissimo, quod quidem nunc occurrat exemplo, declaremus, animum oculosque ad pyxidem nauticam cõvertito. si enim in centro orbis papyracei, qui acum magnete tinctam sibi affixam habet, stipulam aut straminis calamum contra terræ axem parallelum constituas, & simul arcis aut urbis fossam navi circumveharis, cum tu eum locum obieris, acum quoque cõtrario motu nisam integram conversionem fecisse evidens est, & peripherias tuo cursui ubique similes emensam, calamo interim statum contra Terræ axem parallelum semper conservante. Huic inquam simillimus est Terræ motus annuus, dum enim in orbe magno centri motus ad eundem unde discesserat locum restituitur, etiam ipsa interim Terra in sua sede reflectens convertitur (qui *tertius declinationis motus Copernico* dicitur) ut ob hos motus mutuò sibi obvios axis Terrę eandem ubique cœli plagam spectet. Hanc esse genuinam & veram *Copernici* de Terræ motu sententiam arbitror, quam 11 capite 1 libri posito diagrammate explicavit. Sed cum neque demonstrationibus ullis, neque rationibus hunc Terræ motum probarit aut confirmarit, diu multumque ea res me habuit sollicitum; neque enim quælibet orbium conversiones, quas inter se restitutionum temporibus congruas tanquam αὐτομάτων tympana cudunt finguntque, mihi statim probantur, cum à veritate & rerum natura alienissimæ videantur. Et tamen iste *declinationis seu reflexionis motus* nobis hoc loco non erat repudiandus, ut reliquæ restitutiones, & motuum legitimi ac naturales consensus, qui ex Terræ motu dependent, certa lege derivarentur. Tandem verò in lucem prodiit *Guilielmi Gilberti* liber *De magno magnete Tellure*, ubi quantum quidem ego judico, genuina & naturalis hujus motus causa inventa ac deteæta est, cujus ideò argumentum universum summatim & breviter comprehendam. In Terræ visceribus ac venis (ut ferrifodinis, quæ ubiq; frequentes sunt) magnetes, aliaque id genus magneticam qualitatem & efficientiam in se continentia inveniuntur, ut Terra universa tanquam major lapis magneticus eandem sibi insitam habeat qualitatem, quę minoribus sphęrulis magneticis ingenerata deprehenditur; si enim sphærula aliqua suberi sphærico illigata aquæ innatet, quemadmodum Terra in aëre circumfuso pendet, non jam secundum horizontem solum (ut acus magnete tincta) axem

suum versus Boream diriget, sed ipsum contra Terræ axem parallelum statuet polorum simili responsu, ut Boreus, Boreum, Notius Notium spectet. Porrò etiam si in hac sphærula acum aliquam magnete tinctam (quales in solariis, quæ nobiscum circumferimus, esse solent) colloces, easdem elevationes, declinationes, & motus affectiones observabis, quibus in ipsius Terræ globo obnoxia est. Eadem hæc mutua qualitatum communio ac societas inordinatæ χαλυβοκλίσεως causam nobis retexit, quæ una maximè haud paucos mortalium cum stupore simul & admiratione huc usque sollicitos habuit. Si enim sphæram è magnete uspiam tamen cavam facias, deinde acum magnete tinctam non planè supra, sive cavi medium, ubi possit * ὀρθοβορειοδεικνύειν, sed à lateribus propiùs constituas, si is locus in Orientem vergat acus * ἀνατολίζει; sin in Occidentem acus * δυσιεῖ. Atqui cum Terra multis locis, quæ mari concessit, cavata sit, in cujus fluctuantibus undis magnetica vis & qualitas subsistere non possit; acus magnetica in medio quidem spatiosissimi maris campo ὀρθοβορειοδείξει, ut in Oceano Atlantico, qui nostra littora ab oppositis Americæ littoribus dividit: at cum inde ad Europam cursum deflectes ἀνατολίζει; sin verò Americæ vicinior eris δυσιεῖ. eadem affectio est ubi maximæ regiones tanquam acroteria in mare procurrunt, ut è regione promontorii, quod bonæ spei vocant, & plurimis aliis, quorum exempla *Gilbertus* 4 libri ultimo capite in medium profert.

* rectà Boream monstrare.
* declinabit in ortum.
* declinabit in occasum.

Cum igitur Terræ globus hanc magneticæ qualitatis affectionem sibi insitam habeat, hinc efficitur illum annuum declinationis seu reflexionis motum ab ortu in occasum, talem esse necessariò, ut axis Terræ ubique ad eandem cœli plagam spectet.

Hactenus magnetica illa Terræ natura & qualitas, motus *reflexionis*, seu ut *convertibilis inclinatio* dicta est, ut ita animi mei conceptus planius explicarem; sed cum quid mihi deinceps dicendum sit considero, commodius & significantius *quies magnetica*, seu voce Græca μαγνητοστηριγμὸς appellari videtur, atque eam appellationem ideo ipsi magis quadrare judico, quod supra dixerim quoslibet cœlestium orbium motus, quos æquabiles & inter se tantum congruos confingunt mihi minus placere, cum à rerum natura alienæ & abhorrentes videantur. At occurret hîc statim aliquis id ipsum tamen in duobus his Terræ contrariis & inter se congruis motibus mihi probari. Cui objectioni respondeo, hos duos motus restitutionum temporibus æquales & congruos vocari posse, quia ita (ut paullò ante notavi) res ipsa commodissimè explicari posse videatur, sed naturæ suæ congruentius μαγνητοστηριγμοῦ nomen & appellationem sortiri, quia motu centri à suo situ se abduci non sinit. Vt si pyxidem acus magneticæ in suo loco verses dextrorsum, atque acum interim sinistrorsum motam dicas, res non tam significanter neque propriè effertur, quam si ipsam acum dicas quiescere neque pyxidis cõversione è suo situ quoquam dimoveri. Similis est reflexionis ad annuam centri conversionem ratio. Atque adeò quam Terrestris δινήσεως quasi alteram speciem feceram, eam nunc, ut ipsi propositioni inscripsimus μαγνητοστηριγμὸν vocamus. quæ appellatio, notionem sibi subjectam planè & significanter satis exprimere videtur. Notato tamen cum hunc μαγνητοστηριγμὸν motum putabis, aut dices, eum contra signorum successionem cõcipiendum, qualem tamen absolutè & simpliciter nullis orbibus concessum video. Sed hæc hactenus de Terræ δινήσει, ejusque μαγνητοστηριγμῷ dicta sunto.

3 PRO-

3 PROPOSITIO.

De μαγνητοστηριγμῷ in planetarum deferentibus, & orbibus.

Neque verò hæc magneticæ quietis, seu μαγνητοστηριγμοῦ affectio Terræ solum insita, sed etiam (quod ad certiorem πίστωσιν reliquorum facit) suo annuæ revolutionis orbi est ingenerata; quod ex deferentis ejus apogæo non obscuris indiciis perspicitur: id enim ob Martis orbem a quo ambitur singulis bienniis semel unam conversionem peragere deberet, contrarium probante experientia, nam longa annorum serie vix unum gradum perreptat, & immoto similis permanet: quo argumento effici videtur non Terræ globum solum sed & ejus annuæ conversionis orbem, insitam habere sibi hanc magneticæ affectionis qualitatem. Imò verò & in reliquorum omnium planetarum orbibus similem analogiam valere, quorum apogæa ab orbibus ipsos ambientibus non cómoveantur, in Mercurio clarissimè perspicitur, cujus apogæũ ob motum deferẽtis Veneris singulis 225 diebus peracta restitutione velocissime moveri debuisset. atque adeo tanto velocius quantũ ab omnium superiorum orbium motibus, qui inferiores complexu suo continent, adjiceretur. Id tamen neutiquam fieri experientia magistra erudimur, quia apogæum Mercurii tam lento motu quam reliquorum proreptare videmus.

Neque vero μαγνητοστηριγμοῦ affectio planetarum deferentibus duntaxat est ingenerata, sed utique ipsorum sphæris & orbibus quoque (ut supra 2 propositione de axe Terræ tetigimus) siquidem axes sphærarum in eandem plagam semper spectant. Si enim hoc μαγνητοστηριγμῷ destituerentur, poli orbis annuæ revolutionis Telluris non in eadem sede fixi & immoti hærerent; sed singulis biennis tantum circulum describerent, quantum declinatio deferentis Martis ab ecliptica induceret; vel ut idem aliter efferam Terra non semper expers latitudinis, in ipsius eclipticæ plano permaneret: sed nonnunquam inde tantundem, quantum deferens Martis declinaret. similis in reliquorum planetarum orbibus analogia & ratio intelligatur. è quorum numero hic μαγνητοστηριγμὸς in Lunæ orbe valde illustris est & notabilis. Quia apogæũ ejus à motu centri Terræ, quem illa sequitur, non afficitur. prætcrea considerandum hîc est in orbes infimos tantam varietatem & inæqualitatem induci debuisse quanta ab omnium superiorũ orbium declinatione conflaretur: Quod cum non contingat (quemadmodum infra, ubi simplicem latitudinis singulorum affectionem describemus, clarius patescet) efficitur hunc μαγνητοστηριγμὸν non deferentibus duntaxat, sed ipsorum orbibus quoque inditum.

Quin & hoc notato, Si planetarum orbibus describendis eundem ordinem sequi velis, quem *Copernicus* 11 capite 1 libri instituit, quem eundem nos 2 propositione expressimus; hæc ita tibi concipienda & enuntianda esse. Dum Iovis sphæra à tricennali Saturni motu ab occasu rapitur in ortum, proprio interim motu ab ortu in occasum contra reflectit, ut hâc de causa axis ejus semper in eandem plagam spectet. Sed planius & intelligentius videtur si pro isto motu hunc μαγνητοστηριγμὸν usurpem. maxime quia in orbe Mercurii plures motus nominandi essent, quam qui ab orbe Veneris existat, siquidem eò omnium superiorum orbium motus concurrere, & misceri deberet.

Illud quoque hoc loco monebo, me in hanc cogitationem aliquando incidisse, & utrimque quasi in lancem impositis rationum momentis expendisse;

primò, cum omne quod ab alio continetur eò rapiatur & concedat, quò ab eo quod continet defertur, consequens esse singulos planetas motum habere mixtum ex omnium orbium motibus à quibus continentur. Cæterum cum contra evenire altrinsecus viderem, ea res mihi suspicionem movebat, utrum planetæ quoque non orbibus suis infixi, sed ipsi nullis alligati sedibus liberè vagarentur, cursumque in gyrum flecterent eodem modo quo aves turrim in sublimi stantem circumvolant, quæ mutuum motum non arguunt, & quamvis contrariæ rationes non leviores viderētur, hærebam tamen in ambiguo, donec istius, quam paulò ante exposui, affectionis seu μαγνητοστρεφισμῦ proprietatem agnovissem, quo tunc hujus ambiguitatis nodus facilè dissolvebatur. Quamobrem μαγνητοστρεφισμῦ in Terra, planetarum deferentibus, & orbibus qualitas ita nobis exposita esto.

4 PROPOSITIO.

Cui loco vis & qualitas illa quæ Terram, deferentes, & orbes planetarum in μαγνητοστρεφισμῷ conservet, insita sit.

Vis & qualitas illa μαγνητοστρεφισμῦ, quâ Terræ globus, deferentes & orbes planetarum illo quem supra expressimus situ, & statu conservantur (quæ significanter & plana similitudine singulorum magneticus lapis vocari possit) omnino, si Lunæ deferentem excipias, supra planetarum orbes consistere videtur. Nam, ut similitudine hanc rem illustrem, si in pyxide nautica quæ acum magnete tinctam habeat, simul magneticum lapidem (cujus vi utique acus illa versatur & trahitur) quoque injicias, jam pyxide in hanc vel illam partem conversa, acus non se versus eandem mundi plagam diriget, sed motum & situm magnetis sequetur, quia vis ipsam movens nunc simul quoque movetur. Eâdem plane ratione & similitudine, si efficientia & qualitas illa, quæ Terræ globum, ejusq; annuæ conversionis orbem, eodem statu tuetur ac conservat, intra pyxidem suam clausa, hoc est Martis orbi insita ab ejus motu quoque corriperetur, apogæum annuæ revolutionis Terræ, motum Martis sequeretur, bienniis singulis cursu emenso. Quæ cum non eveniant, consentaneum est, vim & qualitatem istam non Martis orbi, neque reliquorum planetarum orbibus paribus de causis, ingeneratam: sed cum experientia testetur apogæum ejus eundem inter sidera affixa locum obtinere, & lentum illorum motum sequi, non videtur à ratione alienum, si moventem illam vim & qualitatem stellarum affixarum orbi insitam credamus; neque hoc solum de Terra, aut ejusdem annuæ revolutionis orbe, sed omninò de omnium planetarum orbibus, præterquam Lunæ, cujus deferētis apogæum singulis proximè novenniis emenso curriculo, ad eundem unde decesserat, locum restituitur, atq; ideo vis à quo ipsum ducitur alteri cœlo & quasi pyxidi intra Iovis & Martis orbes insita videtur. Cæterum cum locus ipse Lunaris apogæi mentionem injecerit, illud quoque quod jam dicam, silentio transmittere non potui. Cum motum apogæi diurnum non 6 ① 42 ②, quæ ex stantis Terræ hypothesi derivantur, sed quemadmodū ex Terræ motu deducitur, 52 ① 27 ② deprehendissem, idque contra successionem signorum, quod suo loco clarius demonstrabitur, per mihi mirum videbatur veram & genuinam Terræ moræ hypothesin, ullum motum contra signorū successionem ferre: Sed cum deinde diligentius considerarem, vim & qualitatem à qua moveatur in alio quodam


dam orbe secundum successionem signorum nono quoque anno proximè circumagi, nihil hîc à positâ analogiâ alienum evenire, sed omnia ab occasu in ortum converti, atque istam apparentiam à causis cognitis dependere, visum est. Atque hæc de loco μαγνητοσηριγμῶ unde Terra, deferentes & orbes planetarum dicto situ conserventur.

5 PROPOSITIO.

Solem non necessariò, sed tantum probabili ratione pro affixarum stellarum sphæræ centrum usurpari.

Quemadmodum in Geographia utile est meridianum aliquem, tanquam initium unde omnes numerationem suam auspicentur, constitui, quod pressius 4 definitione 1 libri Geographiæ nobis dictum est: sic in Astronomia quoque ex re fuerit punctum aliquod unum idemque seligi quod omnes, qui istam materiam tractabunt pro centro habeant. Ita secundum stantis Terræ hypothesin Terra ipsa centrum convenienter statuitur: cum enim probatur stellarum affixarum diurna conversio, necesse est Terram propter centrū consistere, secus enim non ubique orbis stellati semissis supra, altet infra horizontem videretur, cum contrarium quotidiana experientia testetur, quemadmodum *Ptolomæus* 1 libri capite 5 demonstrat.

Cæterum secundū motæ Terræ hypothesin Sol ipse meritò pro centro habetur, quia centrum sit illorum orbium qui ab apogæis planetarum describuntur: utrum verò quoque idem centrum sit affixarum stellarum, illud probabili ratione ducti suspicari quidem licet, sed argumentis certis (ut quidem arbitror) demonstrari non potest. Exponatur enim cœlum affixarū ABCD,



cujus centrum E, & diametrū B E D secet perpendicularis adiametros in F, unde tanquam centro Terræ annuus orbis describatur G H I K; his consti-

 tutis,

tutis, non est obscurum arcum A B C minorem esse quam C D A, & tamen cum circulus G H I K in eadem sede fixus hæreat, neque A B C D moveatur, utrumque arcum ex centro F spectatum semicirculum videri, quemadmodum A B, seu angulus A F B quadrans esse semper videtur. Atque idem quoque è quolibet peripheriæ G H I K puncto videbitur, quia ratio diametri H K ad semidiametrum B E, sive B H, sensum omnem effugiat, & quasi evanescat. Quin etiam hoc dicam, quandoquidem totus annuæ revolutionis Terræ orbis, ad stellarum affixarum sphæram comparatus, puncti vicem obtineat, non alia aut certiore ratione demonstrabimus Solem ejus centrum esse, quam apogæum eclipticæ in qua Terra defertur, aut aliud quodvis ejus orbis punctum. Imò verò ipsius Saturni orbem ad affixarum sphæram comparatum in punctum evanescere verisimile est; idque hanc ob causam, quod diameter ejus tantum noncupla sit diametri orbis annuæ revolutionis Terræ, quemadmodum 15 propositione demonstrabimus. unde efficitur, sidera cœlo infixa ex Saturni deferente spectata, affici parallaxi noncupla, ejus quam habent ex Terræ deferente visa, hoc est rei quæ in sensum non cadat noncupla, quæque ideo vel prorsus sensus omnes effugiat, vel saltem quam minima sit. quamobrem cum universus Saturni orbis fixarum comparatione centri instar sit, consequens est quodlibet ejus orbis punctum pro centro usurpari, neque hujus à vero centro distantiam notari posse. Atque adeò non magis videtur demonstrationibus probari Solem, quam Saturni apogæum, aut aliud ejus punctum quodlibet in affixarum sphæræ centro consistere.

Quod verò 10 capite 1 libri *Copernicus* quærat. Quis in hoc pulcherrimo templo lampadem hanc in alio vel meliori loco poneret, quàm unde totum simul possit illuminare? est quidem id physicis rationibus consentaneum, sed mathematicis demonstrationibus haud innixum. Quin imò si aliud quodcunque punctum à Sole diversum hujus universi centrum statuas, dicis gratiâ centrum orbis annuæ revolutionis Terræ & Solem circa id rotari in circello cujus semidiameter æqualis sit Terræ eccentricitati, hypothesium descriptio veris usquequaque respondens institui posset, sed commodius est aptiusque Solem ipsi centro affigere, nam ita illustrior erit mutua convenientia utriusque hypothesis motæ & immotæ Telluris, & hac via alia haud pauca facilius & planius intelligentur. Patet igitur haud necessariò Solem mundi centro affigi, sed probabili ratione hunc ei locum assignari.

6 PROPOSITIO.


De admiratione haud παραδόξων, eorum qui Terram mundi centro affigunt.

Nonnulli eorum, qui *Ptolomæi* hypotheses & planetarum motus probant, non leviter hîc quasdam eorum proprietates admirantur & suspiciunt. Primò Saturnum, Iovem, Martem ἀκρονύχους seu Soli ad diametrũ oppositos Terræ proximos; at eidem conjunctos, remotissimos esse. Secundò motum ipsorum in epicyclo æquari excessui quo Sol centri epicycli motum superat. Tertiò, in Venere & Mercurio contrariũ superioribus evenire, horum enim motuum leges Solis motui non ut illi respondent; sed in his centri epicycli motus Solis motui æquantur. Atque his indiciis Solem præstantissimum planetam argui arbitrantur, quem reliqui tanquam Regem venerentur, & ad cujus mo-

tum

rum se suosque motus componant. Sed ista tanta (ut videntur) naturæ arcana è falsis fictisque stantis Terræ hypothesibus exstitere; multumque similes sunt navis motui, cujus insueti non se; sed alias naves moveri arbitrantur, cum enim illis occurrunt & infra illos à vento dejecti sinisteriores currant, si nec aquam neque terram spectent mirantur eorum velocitatem præ suo; vel etiam si vento obluctante cursum obliquent, alteram, quam modò à dextris modò à lævis navem conspicantur, quæ fortè immota jacet, circum se ferri, & ambire arbitrantur.

Sunto A, B, C, D, E, F, G septem naves in patenti æquore, A navis prætoria quiescat, reliquæ verò omnes cursum suum nullâ certâ lege circa illam in gyrum flectant. ac jam accuratius considerato motu aliquis admirabundus exclamet. hem! quam stupendum, quã παράδοξον! tres naves E, F, G cum recta ab ipsis ad nos, deinde producta ad navem prætoriã pertinget, tum à nobis proximè abesse; longissime autem distare, cum ultra navem prætoriam altrinsecus à nobis discesserint. huc adde tam inæquabilem illorum motum; atque hinc concludat singulas istarum navium in epicyclo quoque propterea moveri, cujus conversione propius accedant, aut longius recedant; mireturque cur hujus motus restitutio certo responsu prætoriæ navis motui congruat. Neque minus insolens & admirandum ipsi videatur, duas naves C B motum navis prætoriæ sequi, contra tamen quam priores; videlicet, ut (quemadmodum ipse arbitratur) motus maximi circuli in quo circa navem D cursum flectunt, tempore par sit restitutioni motus navis prætoriæ, atque his tam variis & dissimillimis motibus prætoriam navem ab ipsis honorari & quasi coli credat.



Quibus positis, fingamus navis magistrum rei ipsius & veritatis gnarum, hunc ita affari. Ehem mi homo, cur tibi ipsi tantum negocii facessis, atque ea quæ planè nihil admirationis habent, tanquam insolita & παράδοξα suspicis, nam hæc navis quam tu eodem loco quasi infixam hærere censes, motu continuò circum naves A B C ipsa fertur, unde efficitur quoties inter prætoriam navem A & aliquam è tribus E, F, G consistat, ipsas à nobis proximè abesse; contra verò longissimo intervallo disjunctas, cum A navis prætoria inter ipsas & nos media consistet. Falleris sanè & longè à veritate abis diversus, si credas istas naves in circulis atque ita ficto motu rotari, cujus ductu propius longiusve accedant, aut recedant: neque adeò B C naves sequuntur leges & restitutionem motus navis prætoriæ A. Quin potius à rei natura alienum & abhorrens esset nisi hæc ipsa, quæ imperitis, & rerum ignaris ita videntur, re ipsa & veritate longe aliter essent constituta,

Eodem planè modo peritus Astronomus imperitum affari & compellare posset. Hem, quid est, quod te tantum maceres, & obstupescas ea, quæ nihil insolens aut admiratione dignum habeant, hoc enim ipsum luminosum

mundi

mundi corpus, ſeu hæc ipſa Terra, quam tu eidem ſemper loco affixam cenſes, jugi motu circum planetas Solem, Venerem, Mercurium in gyrum fertur. cui adeò motui cōſentaneum eſt, quoties inter Solem & Saturnū, Iovem, vel Martem conſtiterimus, ipſos Terræ proximos, contra verò nos ab iiſdem longiſſimè disjunctos eſſe cum Sol inter ipſos & nos cadet intermedius; atque adeò planetæ illi non feruntur circulari iſto, & commentitio motu, à quo modò adducantur, modò abducantur; neque etiam Venus & Mercurius in iſtis circulis, quorum motus Solis motui ad amiſſim reſpondeat, quemadmodum tu credis: Quin potius à natura abhorrens & alienum videretur, niſi hæc quæ imperitorum oculis ita videntur, ſecundum rei naturam & veritatem aliter ſe habeant.

Denique etiam latitudinis motus in Saturno, Iove, Marte, Venere & Mercurio multis & alieniſſimis difficultatibus obſtructus eſt ſecundū ſtantis Terræ hypotheſin, quod multi non leviter admirantur: quæ res tamen ſecundum motæ Terrę hypotheſin inſolitum aut mirandum nihil habet, ſunt enim deferentes ab ecliptica declinātes, ut Lunę circulus, unde latitudinis calculus certa propriaque ſcientia deducitur, ut infra clarius patebit. Quamobrem hæc de haud παρὰ δόξαν admiratione in ſtantis Terrę hypotheſi dicta ſufficiant.

Atque hactenus de qualitate orbium planetarum: ſequitur eorundem motus; & primum quidem longitudinis.

DE LON-

DE LONGITVDINIS MOTV.

DISTINCTIO SECVNDA TERTII LIBRI, DE PROPRIO TERRÆ ET SOLIS APPARENTI MOTV.

BREVIARIVM 2 DISTINCTIONIS.

PRamissis quatuor definitionibus, quatuor propositiones succedent: harum prima, quæ est ordine 7 erit de Terræ motu in deferente suo, quam eclipticam vocant.

Secunda, quæ ordine 8 erit, Solem secundum Terræ motæ hypothesin eandem apparentem longitudinem in ecliptica, distantiam à Terrâ, & prostaphæresin habere, quam Terra quiescente & immotâ.

Tertia, quæ ordine 9 erit, perigæum deferentis Terræ eam habere longitudinem in ecliptica, quam Solis apogæum secundum Terræ quiescentis hypothesin.

Quarta, seu ordine 10. Terram secundum motus sui hypothesin in apogæo, seu priore sui deferentis semicirculo, eodem tempore versari, quo Solem secundum stantis Terræ hypothesin: Terramque motam eandem longitudinem & prostaphæresin habere, quam Solem Terra immotâ.

1 DEFINITIO.

Si ponamus Terram circa Solem mundi centro affixum in isto orbe & motu commoveri, quo Sol secundum stantis Terræ hypothesin conversionem suam peragit, ea dicitur hypothesis Telluris motæ.

2 DEFINITIO.

Si Lunam circa Terram motam, quemadmodum alia hypo-

hypotheſi, circa immotam converti ponamus, is Lunæ motus ſecundum motæ Terræ hypotheſin dicitur.

3 DEFINITIO.

Si circulum qui Terram deferat æqualem ponamus, epicyclo Saturni, Iovis, Martis, planetas autem ipſos non in epicyclis ſed in deferentibus à quibus epicycli deferebantur moveri, is dicitur ſingulorum motus ſecundum motæ Terræ hypotheſin.

4 DEFINITIO.

Si circulum qui Terram deferat æqualem ponamus deferentibus Veneris aut Mercurii, ipſoſque planetas in epicyclis ſuis intra magnum Terræ orbem, hic dicetur motus ipſorum, ſecundum motæ Terræ hypotheſin.

7 PROPOSITIO.

Terræ motum in ſuo deferente ad datum tempus conſignare.

Monumenta veterum quæ uſque ad *Ptolomæi* tempora perdurarunt, diſertè teſtantur hunc morem illis receptum fuiſſe, ut ſingulorum planetarum motus à diurno motu auſpicarentur, vel quod eodem recidit, à motu ipſorum in dato temporis intervallo, quem ex obſervationibus derivarant; cumque is modus rationi valdè conſentaneus videatur, eundem quoque hoc tertio libro ſequar ſecundum motæ Terræ hypotheſin, quemadmodum eum primo libro ſtante Terra expreſſimus. Maxime autem id hîc notandum venit, ſingulos planetas longè alio motu commoveri, quàm qui ipſis ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin attribuitur. Porrò in Terræ ipſius motu non ignorandum eſt, ipſam eodem illo motu affici, qui altera hypotheſi Soli aſſcribitur, quem 3 propoſitione 1 libri per epilogiſmum invenimus ſingulis diebus eſſe 59 ☉ 8. 17. 13. 12. 31. atque anno naturali conficere periodum ſuam. Is igitur eſt Terræ motus in ſuo deferente, qui poſtulatur.


THEOREMA. 8 PROPOSITIO.

Sol motu Terræ eâdem longitudine ſecundum eclipticam, diſtantiâ, & proſtaphæreſi afficitur, quâ Terrâ ſtante.

DATUM. Secundum priorem hypotheſin A punctum Terram fixam ſignificet, A B Solis eccentricitatem, quæ ſecundum *Ptolomæi* abacos eſt 417, qualium ſemidiameter B C 10000: intervallo B C centro B decircinetur deferens Solis C D E; continuata igitur C A, deſignabit perigæum in E, apogæum in C. hinc Solem ſtatuamus à C progreſſum ad D.

At ſe-

At secundum alteram hypothesin Terra moveatur ab A, & Sol quiescat in



C; atque eccentricitati A B ponatur æqualis C F, centroque F, intervallo F A (quæ ipsi B C æquatur) describatur circulus A G H Terræ deferens, cujus apogæum H, perigæum A, unde Terra commota sit ad G, ut A G C D peripheriæ æquales sint. denique connectantur sex rectæ A D, G C, C D, G A, B D, F G. QVÆSITVM. Demonstrandum est Solem fixum in C, spectatũ è Terra mota G, eadem longitudine secundum eclipticam videri; quâ Sol motus in D, ex Terra immota A.

DEMONSTRATIO. Principiò hoc, quod extra omnem controversiam est, assumo A Terram; & C Solem illo temporis momento cum in suo apogæo consistent (sive Terram stare & Solem moveri; seu Solem stare & Terram quiescere concipias) eodem & loco & distantia Solem à Terrâ videri: Sed cæteris quoque locis ista evenire ita demonstro. Cum arcus A G arcui C D æqualis sit, erit triangulum æquicrurum B C D, simile & æquale æquicruro triangulo F A G; & propterea angulus B C D angulo F A G, hoc est A C D ipsi C A G æqualis; quare duæ æquales rectæ D C A G parallelæ, & rectæ A D G C, quæ illas conterminant æquales erunt & parallelæ. Sed cum A D G C parallelæ sint, Sol fixus C è Terra mota G, eodem loco videbitur quo Sol motus D ex Terra immota A, quia linea A G, imò tota orbis magni diameter ad affixarũ sphæræ diametrum comparata evanescat, neq; illius ad hanc ratio in sensus nostros incurrat. neque obscurum est distantias G C A D æquales esse, quia parallelæ A D, G C, conterminant parallelas A G, D C. Tertia autem pars de æqualitate prosthaphæresis in utraque hypothesi ita demonstratur. Sol motus in D ex Terra stante A, tanto minus promovisse videtur in ecliptica, quam * Sol medius (cujus motus definitur à linea ex centro deferentis B per Solem D versus eclipticam ejecta) quantum ei derogabitur ab angulo A D B, sed & tanto minus Sol fixus, secundum motæ Terræ hypothesin ex G progressus videtur, quàm Sol medius, (qui designatur recta à Terra G per annuæ revolutionis, seu magni orbis centrum F versus eclipticam educta) quia A D & G C, D B & F G parallelæ sint, & hanc ob causam ipsi anguli A D B, C G F æquales, unde prosthaphæresis (quę hic subductitia est) utrâque hypothesi existit eadem. CONCLVSIO. Quamobrem Sol secundum Telluris motæ hypothesin apparentem longitudinem in ecliptica, distantiam à Terra, & prosthaphęresin habet eandem, quam Terra immota. quod demonstrandũ fuit.

* linea medii motus Solis.

9 PROPOSITIO.

Perigæum * deferentis Terræ eandem longitudinem in ecliptica obtinere, quam Solis apogæum Terrâ immotâ.

* annuæ revolutionis.

DATUM. Oculos animumque ad antecedens diagramma convertito, ubi plane videtur H deferentis Terrę perigæum sub eadem longitudine in ecliptica consistere, in qua Solis apogęum C secundum stantis Terræ hypothesin. recta enim à Sole C (quod mundi centrum est secundum motæ Terrę hypothesin) acta per perigæum suum H in idem eclipticę punctum incurret, eandemque ejus longitudinem designabit, quam recta ab A Terra (quod mundi centrum est secundum stantis & immotę Terræ hypothesin) per C Solaris deferentis apogæum educta. CONCLUSIO. Quamobrem perigæum annuę revolutionis Terræ eandem habet longitudinem in eclipticâ, quam Solis apogęum secundum stantis Terrę hypothesin.

THEOREMA. 10 PROPOSITIO.

Cum Sol secundum stantis Terræ hypothesin in apogæo, sive priore deferentis semicirculo versabitur, Terra quoque secum motus sui hypothesin in apogæo sive priore semicirculo consistet, eandemque quam Sol longitudinem & prostaphæresin in deferente suo habebit.

Accersatur huc octavę propositionis diagramma, cujus deformatio ipsa dictat Terram secundum motus sui hypothesin eodem tempore versari in sui deferentis A G H apogęo A, quo Solem in apogęo C deferentis sui C D E.

Porrò etiam manifestum est ibidem Terram in deferentis sui priore semicirculo A G H versari eodem tempore, cum Sol in deferentis sui priore semicirculo C D E consistet.

Præterea quam longitudinem Sol D obtinebit in deferente suo C D E, cujus mensura est arcus C D, eandem quoque obtinebit Terra G in deferente suo A G H, quam mensurat arcus A G, is enim per hypothesin ipsi C D æqualis est.

Denique quantam prostaphęresin subductitiam A D B hîc Sol D habet in suo deferente C D E, tantam & similem quoq; habet Terra ad G in deferente suo A G H, angulus enim aphæreticus, sive subductitius A D B, angulo C G F æqualis est.

CONCLUSIO. Quamobrem cum Sol secundum Terrę stantis hypothesin in apogęo seu priore deferentis semicirculo consistet; Terra quoque secundum motus sui hypothesin in apogęo, sive priore semicirculo consistet, eandemque longitudinem & prostaphęresin habebit quam Sol in deferente suo. Quod demonstrandum fuit.

CONSECTARIA.

Cum igitur Terra secundum motus sui hypothesin similem sempet locum in suo deferente obtineat, qualem Sol Terrâ immotâ in deferente suo, consequens est cujusmodi tria loca Soli in deferente suo assignamus, ut inde ejus

eccen-

eccentricitatem eruamus, similia planè Terram reverà in suo deferente obtinere; Atque adeò secundum motæ Terrę hypothesin eandem inveniemus eccentricitatem, dierum æquationem, cæteraque id genus omnia, quæcunque secundo libro secundum stantis Terræ hypothesin per calculum explicantur. quamvis hujus abaci conceptus ad stantis Terræ hypothesin animo & cogitatione complecti commodius sit, ob causas postea suo loco dicendas.

DISTINCTIO TERTIA LIBRI TERTII DE MOTV LVNÆ IN LONGITVDINEM

secundum motæ Terræ hypothesin.

BREVIARIVM 3 DISTINCTIONIS.

Tertia hæc distinctio duabus propositionibus absolvitur. Prior, quæ est ordine 11, Quomodo ad datum tempus apogæi deferentis Lunæ & nodorum motus mathematico ratiocinio ad motæ Terræ hypothesin inveniantur.

Secunda, quæ est ordine 12, Lunam secundum motæ Terræ hypothesin eandem habere apparentem longitudinem secundum eclipticam, & à terris distantiam, quam Terrâ stante & immotâ.

11 PROPOSITIO.

Ad datum Tempus apogæi deferentis Lunæ & nodi motum secundum motæ Terrę hypothesin invenire.

1 *Paradigma de investigatione medii motus apogæi deferentis Lunæ.*

DATVM. Esto tempus diurnum. QVÆRITVR. Quantus sit hoc intervallo medius motus apogæi Lunæ secundum apparentem eclipticæ longitudinem, ad motæ Telluris hypothesin.

CONSTRVCTIO.

Medius Terræ motus diurnus per 3 propositionem 1 libri (nam illum Solaris motus abacum, ob cognitas jam causas, pro medio Terrę motu hic usurpamus) est 0 gr. 59. 8. 17. 13. 12. 31.

Hinc ſubducatur medius apogæi deferentis motus, quo ad ſtantis Terræ hypotheſin in conſequentia ſecundū eclipticam apparenter ſingulis diebus 11 propoſitione 1 libri commoveri oſtendimus — 0 gr. 6. 41. 2. 15. 38. 31.

Reliquus erit deferentis apogæi Lunæ motus medius diurnus contra ſignorum ſucceſſionem — 0 gr. 52. 27. 14. 57. 34. 8.


Iſtud exemplum fuit motus diurni, unde veri & genuini hujus motus differentia à com... ſtantis Terræ hypotheſi clarius eluceſcit, quam in longioribus temporum intervallis ubi integri circuli incidunt, qui propterea eximendi ſunt: ſed tamen quia ... arcus nimis quàm exigui ſunt, ut hinc ſequens demonſtratio vix intelligi poſſit, ideo majus intervallum uſurpabo, ut puta 90 dierum

Hoc intervallo medius Terræ motus per 3 propoſitionem 1 libri erit — 88 gr. 42.

Inde medius apogæi deferentis motus (quo ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin in antecedentia ſecundum eclipticam commoveri deprehenditur) ſubductus, qui intervallo 90 dierum per 11 propoſitionem 1 libri eſt — 10 gr. 2.

Relinquet apogæi deferentis Lunæ medium motum contra ſucceſſionem ad datum tempus 90 dierum — 78 gr. 40.

PRAEPARATIO DEMONSTRATIONIS. Priuſquam ad ſpecialem motus demonſtrationem deſcendam, id universè in hoc genere notandum, motum apogæi deferentis Lunæ, quemadmodum is apparenter à nobis in ecliptica obſervatur, compoſitum eſſe ex ſuo, & centri Terræ motu, cujus ductum illa ſequitur, qui ſegregandi ſunt in ſuos ſimplices & genuinos motus, ut motuum leges theoricè planius explicemus. Si enim ſimpliciter Lunæ apogæo etiam ſecundū Terræ motæ hypotheſin aſſignemus diurnū motum 6 ① 41 ② in antecedētia, nec figuratio nec calculus veritati congrueret. His perceptis exponatur circulus Terræ centrū deferēs ABC, centrum D, Sol E, recta per D E producta ſignet apogæum in A, perigæum in C. Iam Terram ſtatuamus primò in A, & continuetur D A in F, ſignatoque puncto G in ipſa A F, deſcribatur ſuper diametrum F H circulus Lunam deferens, hujus apogæum ſit F. Deinde jam ſpatio 90 dierum proceſſerit Terræ centrū ex A in B, quo tempo-



tempore per constructionem ejus medius motus est 88 gr. 42 ① pro angulo A D B. inde B I parallela sit contra D A, hinc B K inclinetur ut I B K angulus sit æqualis medio motui apogæi deferentis Lunæ in antecedentia suprascriptis 90 diebus, quantum promovit secundum apparentem eclipticæ longitudinem, hoc est per constructionem 10 grad. 2 ①. Hinc in B K assumatur L punctum, ut B L eccentricitatem definiat, centroque L deferens scribatur K M, cujus apogæum K, perigæum M; denique continuetur D B in N. DEMONSTRATIO. Si apogæum F proprio non afficeretur motu, ipsum in recta D B N necessariò consisteret, verum inde retro sese commovit in K, nam istum in ecliptica locum obtinere per constructionem astruximus, atque ideo demonstrandum est angulum N B K valere suprascriptos 78 gr. 40 ①, cujus hæc est ratio. Cum B I parallela sit contra D A, ut ex B per I idem punctum eclipticæ videatur, quod ex D per A (nam ratio orbis magni ad sphæram affixarum penitus evanescit) efficitur angulum I B N æquari angulo A D B, hoc est 88 grad. 42 ①, unde deductus angulus K B I, qui per constructionem est 10 gr. 2 ①, relinquetur N B K 78 grad. 40 ①. Quare 90 dierum intervallo, quo Terra promovit ab A ad B in consequentia, interim apogæum proprio motu commovit amplitudinem anguli N B K in antecedentia, hoc est 78 grad. 40 ①, quod demonstrandum fuit.

2 *Paradigma de motu nodi ecliptici.*

DATUR tempus diurnum. QUAERITUR medius motus Nodis ecliptici secundum apparentem eclipticæ longitudinem, ad motæ Terræ hypothesin.

CONSTRUCTIO.

Medius Terræ motus diurnus est per 3 prop. 1 lib. 0 gr. 59. 8. 17. 13. 12. 31.
Huc addatur medius motus nodi ecliptici, quoad stantis Terræ hypothesin in * antecedentia secundum eclipticam singulis diebus commoveri deprehenditur, hoc est per 11 propositionem 1 libri 0 gr. 3. 10. 41. 15. 26. 7.
Summa erit optatus nodi ecliptici medius motus diurnus contra successionem signorum 1 gr. 2. 18. 58. 28. 38. 38.

* *contra successionem & ordinem graduum.*

Cujus demonstratio ex 1 paradigmatis demonstratione (cui simillima est) clare perspicitur. CONCLUSIO. Quare apogæi deferentis Lunæ & nodi ecliptici motum ad datum tempus mathematico ratiocinio invenimus secundum stantis Terræ hypothesin, ut decuit.


CONSECTARIUM.

Cum per 11 propositionem 2 libri apparens apogæi deferentis in ecliptica longitudo ad datam epocham cognoscatur, in promptu est eandem quoq; ad datum quodlibet tempus invenire; si enim ad epocham addas motum dati temporis secundum hujus propositionis præcepta, atque insuper in eodem isto intervallo Terræ motum, quod hinc nascetur erit optatum. Eadem ratio sese quoque ad nodi ecliptici motum didit.

THEOREMA. 12 PROPOSITIO.

Luna motu Terræ eandem habet in ecliptica longitudinem & à Terris distantiam, quam Terrâ immotâ.

DATUM. Primò sit A Terra immota, deferentis Solis eccentricitas sit AB, hinc centro B, intervallo BC describatur Solis deferens CDE, con-



tinuata igitur CA in E, designabit perigæum E, apogæum C, jam inter A Terram fixam, & B, assumatur F centrum deferentis Lunæ, unde intervallo FG de-

F G descriptus deferens G H, occurrens A E in H faciat perigæum, & in G apogæum, atque hoc loco Lunam primò statuamus: commoverit se deinde centrum deferentis Lunæ ab F in I, unde intervallo I K æquali ipsi F G decircinabo deferentem K L, cujus apogæum K, ut eodem tempore apogęū G se cōmoverit ad K, Lunaque interim ab apogæo discesserit per intervallum K M (si fortè Luna interim integras periodos absolverit illæ hîc ob cognitas causas in rationem non veniunt) denique cōnexa A M, Luna ex A secundū visum distabit à C (quod sub 65 gr. 30 ① eclipticæ cōsistit) amplitudine C A M.

Hæc prima est figuratio motus Lunæ Terrâ mundi centro affixâ; sequitur altera Terrâ motâ. Assumatur itaque in C A punctum N, ut C N eccentricitas Terræ æqualis sit ipsi A B. Et centro N intervallo A N scribatur circulus A O P Terram deferens, hujus perigæum P, apogæum A; Terra igitur cujus motum Lunæ orbis sequitur percurrerit arcum A O, seu angulum A N O. Si apogæum deferentis Lunæ interim dum Terra commoveretur ab A ad O proprio motu è loco suo se non commovisset, sed semper in recta ab N centro per Terram educta constitisset, evidens est illud isto Terræ situ consistere debuisse in Q, ut O Q, A G æquales essent. Atqui cum per 11 propositionem 3 libri proprio motu contra successionem graduum commoveatur, qui ęqualis sit Terræ motui A N O minus isto arcu quem apparenter secundum eclipticam promovet, hoc est angulo G A K; ducam igitur O R æqualem & parallelam ipsi A G, atque adeò apogæum R contra gradūum successionem percurrisset angulum Q O R, nisi hinc nobis deducendus esset angulus æqualis apparenti motui apogæi G A K, ei igitur æqualis ponatur R O S, assumaturque T punctum in recta O S, ut O T & A F æquales sint, centroque T intervallo T S figuretur deferens Lunæ S V R, cujus apogæum S. Verum cum eodem tempore quod supra certum definitumque assumpsimus Luna secundum stantis Terræ hypothesin ab apogæo & se commoverit ad M, signabo S V arcum seu angulum S T V in deferente S V R æqualem K I M, ipsamque Lunam in puncto V. His ita constituris, Ajo Lunam V ex Terra mota O eâdem apparenti longitudine in ecliptica videri, quâ Luna M ex A Terra immota, Lunæque distantiam A M æquari distantiæ O V.

DEMONSTRATIO. Nam cum O R parallela sit contra A G, & angulus R O S æqualis angulo G A K, erit quoque O S parallela contra A K: Cumque S T V angulo K I M æqualis sit, erunt T V I M parallelæ: prętereà triangulum T O V duo latera habet T O, T V ęqualia & parallela lateribus I A, A M trianguli I A M; ideoque & tertium latus O V tertio lateri A M quoque parallelum erit: Quare Luna V ex motâ Terrâ O sub eâdem eclipticę longitudine videbitur, quâ Luna M ex Terra immota A; & utroque casu Lunę à Terris distantia O V, A M ęqualis erit.

CONCLUSIO. Quamobrem Luna utrâque hypothesi tam motæ, quàm immotæ Telluris eâdem lōgitudine ab ecliptica & à Terris distantia videtur, quod demonstrasse oportuit.

CONSECTARIUM.

Manifestum igitur est, ut ad datum tempus Lunæ apparens in ecliptica longitudo secundum motæ Terræ hypothesin inveniatur, inquirendam esse apogæi deferentis apparētem in ecliptica longitudinem secundū 11 propositionis consectarium, & reliquum calculū ut in stantis Terrę hypothesi subducēdum: Attamen cōmodius & parabilius fuerit si universum hujus calculi abacum ad stantis Terrę hypothesin deducas, cujus causam infra suo loco explicabimus.

DISTINCTIO QVARTA LIBRI TERTII, DE SATVRNI, IOVIS, MARTIS, VENERIS & Mercurii longitudinis motu, secundum motæ Terræ hypothesin.

BREVIARIVM DISTINCTIONIS.

Quartæ hujus distinctiones propositiones sunt quatuor.

*Prima, quæ est ordine 13, de inveniendis deferentium semidiametris, eccentricitate, * maxima & * minima planetarum distantia in partibus semidiametri * deferentis Terræ 10000, idque mathematico ratiocinio secundum motæ Terræ hypothesin.*

* ἀπογειοτάτη.
* περιγειοτάτη.
* seu orbis annuæ revolutionis terræ.

Secundę, quę est ordine 14, de motu trium superiorum Saturni, Iovis, Martis in suis deferentibus ad datum quolibet tempus, secundum motæ Terræ hypothesin.

Tertia, quæ est ordine 15, tres superiores planetas Saturnum, Iovem, Martem, secundum motæ Terræ hypothesin eandem habere in ecliptica apparentem longitudinem, à Terra distantiam, quam Terrâ immotâ.

Quarta, quæ est ordine 16, de inferiorum planetarum Veneris & Mercurii in suis deferentibus motu in dato tempore, secundum Terræ motæ hypothesin.

Quinta, quæ est ordine 17, duos inferiores planetas Venerem & Mercurium secundũ motæ Terræ hypothesin habere eandem apparentem in ecliptica longitudinem, & à Terra distantiam, quam Terrâ immotâ.

Sexta, quæ est ordine 18, cur 8, 12, 15 & 17 propositione demonstrarim planetas etiam secundum Terrę motæ hypothesin eodem loco videri, eodemq́; intervallo inter se distare, quo Terrâ immotâ, & cæteris ejusdem circumstantiis.

Septima, quæ est ordine 19, utrâ hypothesi, commentitiâne Terræ fixæ & immotæ, an verò genuina & verâ hypothesi Terræ motæ, abacus longitudinis planetarum parabilior videatur.

11 PRO-

13 PROPOSITIO.

Deferentium semidiametros, eccentricitatem maximas minimasque planetarum distantias in partibus semidiametri *deferentis Terræ 10000 mathematico ratiocinio secundum motæ Terræ hypothesin invenire. * *seu orbis annua revolutionis.*

Statui hoc loco numeros à *Ptolemæo* inventos usurpare, quamvis autem apogæa interim multum promoverint, exemplaque hujus temporis plus forsan utilitatis habitura sint, quia tamen in *Ptolemæi* libris multa eaque ad propositum apta inveniantur planetarum paradigmata cum in longitudinis, tum etiam latitudinis motu, ut inde propositiones motæ Terræ comprobarem, illa præ cæteris elegi.

Notandum verò hîc est eos, qui hypothesin stantis Terræ usurparunt, cum ignorarent epicyclos superiorum planetarum quos illis assignarant omninò eosdem esse qui Terrę deferens, ideò ipsis non easdem, sed diversas diametros assignasse, contra quàm ii quibus hujus motus leges cognitæ & perspectæ sint. Sed cum huic quoq; consequens sit numeros semidiametrorum & eccentricitatum diversorum planetarum, genuinæ ipsorum magnitudini non esse proportionales; quod tamen res ipsa postulat, ut calculum motæ Terræ hypothesi congruenter subducamus, & motuum theoricas per instrumenta explicemus, quorum partes similibus mundi partibus symmetria respondeant; Ideo nunc unam omnibus & communem mensuram attribuam, posita semidiametro deferentis Terræ 10000; qui numerus meritissimò hîc à nobis usurpatur, nam & ipse logistarum abacis levamen suppeditat, & in reliquorum planetarum calculo ubique adhibitus est.

SYLLABVS

Semidiametrorum & eccentricitatum, quas ex Ptolomæi *numeris ad motæ Terrę hypothesin revocavimus.*

Semidiameter deferentis Solis	60 partium.
Eccentricitas deferentis Solis	2 part. 30 ①.
Semidiameter deferentis Lunæ	60 part.
Eccentricitas deferentis Lunæ (quæ *Ptolemæo* est semidiameter epicycli)	5 part. 14 ①.
Ptolemæus pro istis 60 part. & 5 part. 14 ① usurpavit 13 capite 5 libri duos alios in eadem ratione, videlicet 59 part. & 5 part. 10 ①, idque cum semediameter deferentis Solis taxatur 1210 semidiametris Terræ.	
Semidiameter deferentis Saturni	60 part.
Semidiameter epicycli Saturni	6 part. 30 ①.
Eccentricitas Saturni	3 part. 25 ①.
Semidiameter deferentis Iovis	60 part.
Semidiameter epicycli Iovis	11 part. 30 ①.
Eccentricitas Iovis	5 part. 45 ①.
Semidiameter deferentis Martis	60 part.
Semidiameter epicycli Martis	39 part. 30 ①.

Eccen-

Eccentricitas Martis	6 part.
Semidiameter deferentis Veneris	60 part.
Semidiameter epicycli Veneris	43 part. 10 ①.
Eccentricitas Veneris	1 part. 15 ①.
Semidiameter deferentis Mercurii	60 part.
Semidiameter epicycli Mercurii	21 part. 26 ①.
Eccentticitas Mercurii	5 part. 41 ①.

Vt istos numeros ex immotæ Terræ hypothesi derivatos ad Terræ motum in partibus deferentis sui 10000 æstimatos revocemus, initium à Terra faciam, quæ ab eodem illo circulo defertur, qui secundum alteram hypothesin Soli tribuitur, cujus semidiameter ad eccentricitatem suam ex antecedente Syllabo habet, quam 60 partes ad 2 part. 30 ①. Vt igitur hanc in partibus diametri deferentis Terræ invenias, per proportionem explicabis hoc modo, ut 60 partes ad 2 part. 30 ①, sic 10000 ad 417. Atque adeò qualium ponetur semidiameter deferentis Terræ 10000.

Talium erit eccentricitas 417.

Cumque *Ptolomaus* 4 capite 3 libri epocham apogæi deferentis Solis constituerit sub 65 gr. 30 ① eclipticæ, inque ejus locum nunc Tellure motâ subrogetur perigæum* annuæ revolutionis Terræ, incidet hujus apogæum in eclipticæ 245 gr. 30.

* *deferentis terræ.*

Cæterum semidiameter deferentis Lunæ ad semidiametrum deferentis Terræ ex Syllabo rationem habet datam quam 1210 ad 59: Ideoq; per proportionem, ut 1210 ad 59, sic 10000 ad quem? concludes semidiametrum deferentis Lunæ 488.

Porrò ad Lunæ eccentricitatem hæc via est. Vt semidiameter deferentis Lunæ 59 part. ad eccentricitatem 5 part. 10 ① quod ex Syllabo præmisso patet, sic Lunaris deferentis semidiameter 488 numerus ordine quartus, ad optatam eccentricitatem 43.

Quæ addita ad semidiametrum deferentis 488, numerum ordine quartum, dabit maximam Lunæ à Terris distantiam 531.


Et rursum subductis 43 quinto, de semidiametro 488 numero ordinis quarto, reliqua erit minima Lunæ à Terris distantia 445.

Apparens apogæi deferentis Lunæ in ecliptica locus in horum numerum referri non potest, quia exiguo temporis spatio nimium variat.

Semidiameter deferentis Saturni invenitur hoc modo. ut semidiameter epicycli Saturni 6 part. 30 ①, ad semidiametrum deferentis 60 part. quod ex Syllabi numeris patet, sic 10000 ad semidiametrum deferentis Saturni 92308.


Ejusdem eccentricitas invenietur hoc modo, per antecedentem Syllabū semidiameter epicycli 6 part. 30 ① dat 3 part. 25 ①, ergo 10000 dabunt eccentricitatem Saturni 5256.

Vt maximæ minimæque Satutni à Terris distantiæ investigatio clarior sit, utramque hypothesin motæ & immotæ Telluris figurabo, prius diagramma esto immotæ, ubi deferens Saturni sit A B, ejus centrum C, semidiameter C A 92308, qui numerus ordine octavus, D Terra mundi centro affixa,



affixa, eccentricitas CD 5256 numerus nonus, B perigæum deferentis, A apogæum, unde describatur epicyclus EF, cujus semidiameter AE 10000 per thesin, apogæum epicycli F, perigæum E. similiter è perigæo deferētis B describatur epicyclus HG ipsi EF æqualis, cujus perigæū sit G. His ita cōstitutis, ut inveniam maximā distantiam DE, cōponam semidiametrūCA 92308 numerū octavum, cum eccētricitate DC 5256 numero nono, & cum AF 10000 semidiametro epicycli, cōflabitur tota DF 107564.

Contra ut assequar DG distantiam minimam, subducam DC 5256 & GB 10000 hoc est 15256 de CD 92308, relinquitur minima distantia DG 77052.



Cæterum ut easdem mensuras & cōgruentiam etiam secundum morę Terræ hypothesin explicem, sit deferens Saturni IK, cujus centrum L, & semidiameter IL æqualis semidiametro CA sit 92358. dehinc centrum deferentis (seu annuę revolutionis) Terrę sit M, eccentricitas LM, æqualis ipsi CD 5256, apogeum deferentis Saturni I, perigæum K; hinc centro M figuretur deferens Terræ NO, cujus semidiameter MN æqualis ipsi AE sit 10000. Quibus positis, cōsequens est maximam distantiam OI æqualem esse suprascriptæ DF; & minimam OK minimę DG, si enim ad IL 92308 addas LM 5256 & MO 10000 summa OI (ut prius DF) erit maxima Saturni distantia 107564.

Et contra, LM & 5256 MO 10000 hoc est 15256 subductis de LK 92308, relinquetur OK (æqualis ipsi DG in priore diagraphâ) pro minima Saturni distantia 77052.


Et Saturni apogæum, quemadmodum *Ptolomæus* 5 capite 1 libri testatur, sua ætate constiterat sub eclipticæ 233 gr.

Simili

Simili calculo in Ioue & Marte usurpato invenies istos quos subjecimus numeros. ut sit


Semidiameter deferentis Iovis	52174.
Eccentricitas Iovis	2391.
Iovis maxima distantia à terris	64565.
Iovis minima distantia	39783.
Apogęum deferentis Iovis, quemadmodum *Ptolomæus* 1 capite 11 libri testatur constiterat sub eclipticæ	161 gr.
Semidiameter deferentis Martis	15190.
Eccentricitas Martis	1519.
Maxima Martis distantia à terris	26709.
Minima Martis distantia.	3671.
Apogæum deferentis Martis, quemadmodum *Ptolomæus* 7 capite 10 libri testatur, sua ætate constiterat sub eclipticæ	115 gr. 30

Porrò ut quoque Veneris deferentis semidiametrum secundum motæ Terræ hypothesin inveniamus, notandum hic venit ejus epicyclum esse partium 7194, qualium semidiameter deferentis Terræ 10000, nam ut in Syllabo præmisso semidiameter deferentis 60 partium ad semidiametrum epicycli 43 part. 10 ①, sic 10000 ad 7194. Sed ille circulus, qui secundum stantis Terræ hypothesin Veneris deferens putatur, is Terra mota revera ipsius Terræ deferens est. Quamobrem secundum Terræ motę hypothesin semidiameter deferentis Veneris erit 7194.



Eccentricitas Veneris invenietur hoc modo, Vt semidiameter deferētis 60 partiū ad eccentricitatem 1 part. 15 ① in antecedenti Syllabo, sic 10000 ad eccentricitatis optatā mensuram 208. Vt maximę minimæq; à Terris distantia investigatio clarior sit utriusque hypothesis diagramma figurabo, primū esto Terræ mundi centro affixæ, alterum motæ. Sit deferens Veneris eccētricus A B, centrum ejus C, semidiameter C A 10000 per thesin, D Terra immobilis, C D eccentricitas 208 numerus ordine quartus & vigesimus, A deferentis apogæum, B perigæum, hinc centro A decircinetur epicyclus E F, cujus semidiameter A E 7194 numerus ordine tertius & vigesimus, apogæum epicycli F, peri-

perigæum E, jam centro B scribatur epicyclus G H æqualis ipsi E F, cujus perigæum G; His ita constitutis, ut assequamur maximam distantiam D F, addam ad C A 10000, eccentricitatem D C 208 numerum quartum & vigesimum, ad semidiametrum A F 7194 tertium & vigesimum, existet maxima distantia D F 17402. Contra ut invenias distantiam minimam D C, subduces D C 208 & G B 7194, hoc est 7402 de C B 10000, reliqua erit minima distantia D G 2598.



Cæterum ut utriusque hypothesis congruentia appareat, sit I K circulus Veneris deferēs, ejus centrum L, semidiameter I L ipsi A F æqualis sit 7194, centrum deferentis Terræ M, eccentricitas L M æqualis ipsi C D 208, deferentis Veneris apogæum I, perigæum K. Deinde centro M scribatur Terræ deferenns N O, cujus semidiameter M N æqualis sit ipsi C A 10000. Quibus positis, remotissima distantia O I æqualis erit remotissimæ distantiæ D F in priore diagraphâ; & minima N I minimæ D G, Si enim cum I L 7194 componas L M 208 & M O 10000, conflabitur O I (eâdem quantitate, quâ supra D F) distantia Veneris, quâ longissimè à Terris abit 17402.

Eadem hæc deducta de diametro N O 20000, relinquet Veneris distantiam, qua proximè à Terris abest	2598.
Apogeum deferentis Veneris, quemadmodum *Ptolomæus* 2 capite 10 libri testatur, suâ ætate constiterat sub eclipticæ	55 gr.
Abacus Mercurii, Veneri similiter instituendus est, atque inde dabitur.	
Semidiameter deferentis Mercurii	3572.
Eccentricitas Mercurii	947.
Maxima Mercurii à Terris distantia	14519.
Minima Mercurii distantia	5481.
Apogæi deferentis Mercurii, quemadmodum *Ptolomæus* 7 capite 9 libri testatur, sua ætate constiterat sub eclipticæ	190 gr.

NOTA.

Istas quas invenimus semidiametros, eccentricitates, distantias, locaque apparentia in ecliptica hic in unum locum & aspectum breviter concentramus, ut inde numeri cum opus erit suo loco facilius repetantur.

SYLLABVS SECVNDVS

In quo deferentium semidiametri, eccentricitates, maxime minimæque à Terris distantiæ in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000, & apparens longitudo quam apogæa deferentium ætate Ptolomæi *exhibentur.*

	Mercur.	*Veneris.*	*Terræ.*	*Lunæ.*	*Martis.*	*Iovis.*	*Saturni.*
Semidiameter deferẽtis	357[illegible]	7194	10000	488	15190	52174	92308
Eccentricitas	[illegible]	208	417	43	1519	2391	5256
Maxima distantia	[illegible]	[illegible]	10417	531	26709	64565	107564
Minima distantia	[illegible]	[illegible]	9583	445	3671	39783	77502
Apparens apogæi longitudo in ecliptica.	[illegible]	[illegible]gr.	245 gr. 30	- -	115 gr. 30	161 gr.	233 gr.

Conclusio. Quamobrem deferentium semidiametros, eccentricitates, maximas minimasq; planetarum à Terris distantias in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000 mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenimus.

Consectarium.

Cum itaque istæ lineæ, quæ ad deferentes planetarum eorumque epicyclos pertinent sint cognitæ in iisdem partibus, quibus semidiameter deferentis Terræ (seu annuæ revolutionis) taxatur 10000; cumque semidiameter deferentis Terræ definiatur 1210 semidiametris Terræ, haud obscurum est, quomodo propositiones similes describi possint, iis quorum mentionem fecimus 2 annotatiuncula 49 propositionis 2 libri in stantis Terræ hypothesi, videlicet quæ 23 & 24 in Solis, aut 39 & 40 propos. in Lunæ theorica respondeant. Et quemadmodum omnes lineæ quarum illic usus est inveniantur in partibus deferentis Terræ 10000.

14 PROPOSITIO.

Trium superiorum Saturni, Iovis, Martis motus ad datum tempus in deferente suo ad motæ Terræ hypothesin describere.

Datum. Vt à Saturno auspicemur, tempus detur diurnum.

Quæsitum. Saturni in deferente motus secundum Terræ motum inveniendus est.

CONSTRVCTIO.

Scito Saturnum ipsum deferentem decurrere, quem motum autores hypothesium stantis Terræ centro epicycli assignarunt: motus igitur Saturni diurnus erit 0 gr. 2. 0. 33. 31. 28. 51. Porrò autem prostaphæresis ejus nō ab epicyclo, quem illi stante Terra attribuunt; sed à Terræ ipsius motu existit, atq; adeo Saturnus ipse simplicissimo isto motu in deferente suo versatur. Similis ratio est in Iove & Marte. Quare tale de trium superiorum Saturni, Iovis, Martis motu judicium esto.

THEO-

THEOREMA. 15 PROPOSITIO.

Tres superiores planetæ Saturnus, Iuppiter & Mars secundum motæ Terræ hypothesin eandem habent apparentem in ecliptica longitudinem & à Terris distantiam quam Terrâ immotâ.

Quò expressius & signatius hujus propositionis argumentum ab oculos versetur, in sex membra totum hoc partiar, quorum primum erit figuratio motus alicujus trium superiorum, ut puta Martis secundum stantis Terræ hypothesin.

Secundum, figuratio motus Martis ad motæ Terræ hypothesin.

Tertium, Martem utrâque hypothesi eâdem longitudine in ecliptica videri, eodemque intervallo à Terris abesse, cum & ipse in apogæo epicycli, & simul centrum epicycli in apogæo eccentrici consistet.

Dehinc ut hujus veritatem ubique catholicam demonstremus, quarto membro, quæ præparationis instar erit, ostendam semidiametrum deferentis Martis quæ ad centrum epicycli pertinet, semper parallelam esse semidiametro à centro epicycli ad centrum deferentis epicycli eductæ: & semidiametrum deferentis Terræ quæ ad Terram pertinet semper parallelam esse semidiametro epicycli quæ ad Martem porrigitur.

Quintum, Martem utrâque hypothesi eâdem longitudine in ecliptica videri, eodemque à Terris intervallo esse.


Sextum, quænam differentiâ in abaco longitudinis planetarum in utrâque hypothesi intersit.

1 MEMBRVM, *de figuratione motus Martis secundum stantis Terræ hypothesin.*

Sit primò A punctum Terra immobilis, & A B eccentricitas Solis, quæ ex abacis *Ptolomæi* ejus ætate per 13 propositionem hujus libri datur 417, qualium B C semidiameter deferentis Solis 10000: Intervallo igitur B C centroque B decircinetur Solis deferens C D, ubi cum produxeris C A in D designabit perigæum, in C apogæum, quod ætate *Ptolomæi* constiterat sub eclipticæ 65 grad. 30 ①. Vt jam deinceps alicujus è tribus superioribus motum designem, Martem exempli loco usurpabo, cujus apogæum *Ptolomæus* sua ætate consignavit sub eclipticæ 115 grad. 30 ①, ut 1 propositione hujus libri annotavimus. quamobrem ejiciatur recta E F per A Terram fixam usque F eclipticæ locum supra scriptum 115 grad 30 ①, ut angulus C A F sit 50 grad. tantum enim abest C punctum 65 grad. 30 ① à 115 grad. 30 ① ipsius F. Iam in A F recta sumatur punctum G, ut A G Martis eccentricitati æqualis sit, hoc est 1519 partium, qualium Solis deferens taxatur 10000; hinc in G F signetur H, ut G H semidiameter epicycli sit 15190, tantam enim ipsam in partibus semidiametri eccentrici B C 10000 13 prop. deprehendimus. centro igitur G intervallo G H decircinetur deferens H E, se-

 cetque

cetque AF in H apogæo, & E perigæo. Iam Martis epicyclus ſtatuatur loco quocunque, qui primum ſumatur in apogæo, atque ibi centro H in-



tervallo HF, quod æquale ſit ipſi BC (ut enim BC, ſeu HI 10000 ad GH, ita ratio *Ptolemaica* ſemidiametri epicycli, ad ſemidiametrum eccentrici, hoc eſt per 11 propoſitionem, ita 39 part. 30 ① ad 60 partes) ſcribatur epicyclus FI, cujus apogæum F, perigæum I. Atque ita motus Martis deformatus eſto, ſtante Terrâ.

2 MEMBRVM, *de figuratione motus Martis ſecundum motæ Terræ hypotheſin.*

Vt eundem motum ad motę Telluris hypotheſin conſignem, Terra A moveatur & C Sol eidem ſedi affixus hæreat, & in CA ſumatur K punctum, ut ec-

centricitas C K ipsi A B æqualis sit, centroque K intervallo K A, quod æquale sit ipsi B C decircinetur Terræ deferens A L, cujus perigæum L, apogæum A: Vt igitur deinceps Martis motum ad motæ Telluris hypothesin figuremus, sit per K linea M N parallela contra E F, quare K N non secus ac A H verget in 115 grad. 30 ♋ eclipticæ: Deinde in K N sit Q punctum, ut K Q linea æqualis sit eccentricitati A G, deinde N punctum constituatur ut Q N æqualis sit semidiametro deferentis Martis G H, atque isto intervallo decircinatus Martis deferens M N secet rectam K N in N puncto ut apogæo, & in M perigæo.

3 MEMBRVM, *Martem utraque hypothesi eâdem longitudine in ecliptica videri, eodemque à Terris intervallo abesse, cum & ipse in apogæo epicycli, centrumque epicycli in apogæo eccentrici consistet.*

Si statuamus centrum epicycli Martis H Terrâ stante & immotâ in A, cõsistere in apogæo eccentrici H, Martemque in apogæo epicycli F; erit A F Martis remotissima à Terris distantia; Eademque analogiâ secundum motæ Terræ hypothesin Mars nobis erit constituendus in deferentis sui apogæo N, & Terra mobilis in P, istic enim Mars N tantundem abest à Terrâ mobili P, quantum A Terra immobilis, à Marte in epicyclo F, quia semidiameter deferentis Martis Q N ejusque eccentricitas Q K, æquantur semidiametro deferentis G H, ejusque eccentricitati G A, & præterea K P semidiameter deferentis Terræ, ipsi H F epicycli semidiametro æqualis sit. Porrò autem cum P N, A F parallelæ sint Mars utraque hypothesi eodem loco in eclipticâ nobis videbitur. Simili planè ratione etiã minimam distantiam utrobiq; eandem concludes, nam P M quæ minima est distantia secundum motæ Terræ hypothesin, æqualis debet esse ei, quæ stante Terra ad epicycli perigæum pertingeret, si ex E centro decircinatus esset, cujus delineationem omisimus, ne confusio linearum errorem pareret.

4 MEMBRVM, *semidiametrum deferentis Martis, quæ ad centrum epicycli pertinet, semper esse parallelam contra semidiametrum deferentis epicycli, quæ ad centrum epicycli pertinet: Et semidiametrum deferentis Terræ quæ ad ipsam Terram pertinet, semper parallelam esse contra semidiametrum epicycli quæ ad Martem pertineat.*

Centrum epicycli Martis se commoverit ab H usque in R, perq; id educta recta G R S designet apogæum medium in S, unde Mars secundum stantis Terræ hypothesin processerit ad T: Quare secundum motæ Telluris hypothesin consequens est Martem eo tempore processisse ab N in V, ut N V arcus arcui H R æqualis sit, ductaque Q V æqualis erit & parallela contra G R.

Eodem etiam tempore Terra, quæ tum constiterat in P decurret arcum P L X, qui æquatur duobus suprascriptis, utpute P L ipsi S T, & L X ipsi N V, seu angulus L K X angulo N Q N, cujus causa è 33 propositione 1 libri perspicitur, illic enim demonstravimus Martis motum in epicyclo cum

* intellige apogæum medium, seu centri epicycli motum.

*motu apogæi simul æquari Solis motui, qui idem est cum Terræ motu.

Terra itaque, si fingamus eam spectari ex K, tantum arcum in ecliptica secundū apparentiam promoverit, quantus à P I X definitur: ei similem arcum peragraverit Mars secundum stantis Terræ hypothesin. Quibus positis Terra mobilis spectata ex deferentis sui centro K tantundem in ecliptica secundum apparentiam processerit, quantum Mars Terra stante ex epicycli sui centro spectatus, atque ideo semidiametri KX RT paralleli erunt, quemadmodum HF, KP in motus sui initio constituebantur, & quemadmodum recta à centro K ad [illegible] oppositam partem porrigitur rectæ à centro A ad Martem T, [illegible] planè recta [illegible] ad X in oppositam partem vergit ei, quæ à centro R ad Martem T educitur.

5 M[illegible], *Martem eandem in ecliptica longitudi-* *[illegible] distantiam utrâque hypothesi obtinere.*

Ad cujus demonstrationem jungantur quatuor lineæ AR, AT, KV, VX. Iam erit KQ, latus trianguli KVQ, æquale & parallelum lateri AG trianguli ARG: item QV æquale & parallelum ipsi GR per 4 membrum; quare tertium latus KV æquale erit & parallelum lateri tertio AR: cum autem latus KV, trianguli KVX ipsi AR æquale sit & parallelum; & KX ipsi RT per 4 membrum; etiam tertium latus XV tertio lateri AT parallelū erit, atq; inde patet Martem V ex Terra mota X eodem loco in ecliptica videri, quo Mars T ex Terra immota A, atq; distantias XV, AT æquales esse.

6 Membrum, *de differentia abaci apparentis planetarum longitudinis in ecliptica, in utrâque hypothesi.*

Secundum stantis Terræ hypothesin in longitudine Martis apparenti inquirenda occurrit quadrangulum AGRT, cujus quinque termini sint cogniti, videlicet latera tria AG, GR, RT, ejusdem usque longitudinis; & angulus AGR differentia cogniti anguli HGR à semicirculo, hic enim medium centri epicycli motum definit; denique etiam angulus GRT cum sit cogniti anguli SRT (qui est Martis medius motus in epicyclo) differentia à semicirculo: Quare ex istis terminis per 6 propositionem additamenti planorum multangulorum invenietur angulus GAT, qui aggregatus ad longitudinem eclipticæ in quam AG recta porrigitur, hoc est ad 115 grad. 30 ① dabit optatum planetæ locum.

At verò secundum motæ Terræ hypothesin dabitur nobis quadrangulum decussatum KQVX, cujus item quinque termini cogniti dantur, videlicet latera tria KQ, QV, KX ejusdem semper & cognitę longitudinis; & angulus KQV differentia cogniti anguli NQV (qui est Martis medius motus in suo deferente) à semicirculo; item angulus QKX, qui est Terræ motus medius LKX, minutus angulo LKO 50 gr. Ex quibus terminis per 6 propositionem additamenti planorum multangulorum invenietur angulus ignoratus KXV, qui deductus de cognita longitudine, quo XK se in eclipticam porrigit, quæ est medii Solis K apparens longitudo in ecliptica, habebis locum quæsitum. qui necessariò superioris abaci epilogismo respondebit.

Demonstratio hæc quam dicis gratiâ in solo Marte expressimus, eadem Saturno & Iovi quoque congruet.

Conclv-

CONCLVSIO. Quamobrem tres superiores planetæ Saturnus, Iuppiter & Mars eandem apparentem in ecliptica lógitudinem, & à Terris distantiam utrâque hypothesi & motæ & immotę Telluris obtinent.

1 NOTA.


Hinc igitur causa in promptu est cur ad commentitiam stantis Terræ hypothesin motus centri epicycli in deferente & planetæ in epicyclo simul Solis motui æquales sint; neque planetas illos re verâ ad Solem tanquam ductorem & regem suum respicere, quod ipsum multos mirari & stupere 6 propositione hujus libri monuimus, nam reapse præter Terræ & planetæ nudum simpliceḿque motum in suis deferentibus aliud nihil est, unde commentitia Terræ motæ hypothesis istum in motuum legibus responsum accipiat.


2 NOTA.

Vt in isto paradigmate etiam planior sit in utrâque hypothesi congruentia Solis cum Terrâ & Marte, agam rectam X C à Terra mobili X ad Solem stabilem & fixum C: sed cum secundũ istam hypothesin Terra mobilis ab A per P & L devoluta sit in X: eodem tempore secundum Terræ stantis hypothesin Sol à C per D devolutus erit in Y, ut C D Y arcus æqualis sit arcui A P L X: Quæ cum ita sint consequens est A Y æqualem esse & parallelam cõtra X C, atq; adeò etiam Solem fixum C ex Terrâ mota X sub eâdem eclipticæ longitudine videri, quâ Sol mobilis Y à Terra immobili A. Porrò autem cum X C parallela sit contra A Y, & X V contra A T, erit angulus V X C æqualis angulo T A Y; quamobrem apparens distantia Martis V à Sole fixo C spectata è Terra mobili X, æquabitur apparẽti distantię Martis T à moto Sole Y, æstimatæ ex Terra immobili A.

3 NOTA.

Cum utraque hypothesis primo secundoque membro altera Terræ motæ, altera immotæ simul in eodem diagrammate clausa & consignata sit, quia demonstratio ita postularet; cum tamen fortè evidentius & expressius fuerit ista sigillatim exhiberi, hoc secundo diagrammate utramque separare placuit.


N
L
O
Q
C
E
P
M
V


F
H
C
I
G
B
A
D
E
R
T
S

16 PROPOSITIO.

Duorum inferiorum Planetarum Veneris & Mercurii in deferentibus ſuis motum ad datum tempus ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin conſignare.

DATVM. Vt ſpecimen hujus motus in Venere exhibeamus detur tempus diurnum.

QVAESITVM. Quantũ iſto temporis intervallo promoveatur inveniendum eſt, ſecundum motæ Terræ hypotheſin.

CONSTRVCTIO

Ad motum centri epicycli, qui per 36 propoſitionem 1 libri ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin ſingulis diebus eſt	0 gr. 59. 8. 17. 13. 12. 31.
Addatur ipſius Veneris motus in epicyclo diurnus, qui per 41 propoſitionem 1 libri eſt	0 gr. 36. 59. 25. 53. 11. 28.
Summa erit optatus Veneris motus diurnus ad ſtantis Terræ hypotheſin	1 gr. 36. 7. 43. 6. 23. 59.

Verùm quia ſequens Theorema, quæ propoſitio eſt 17, hujus problematis demonſtrationi ſubſervit ad eam lectorem ablegamus. Similis ratio & abacus in Mercurio quoque valet. CONCLUSIO. Quamobrem duorum inferiorum planetarum Veneris & Mercurii in deferentibus ſuis motum in dato tempore ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin deſcripſimus. Quod petebatur.


THEOREMA. 17 PROPOSITIO.

Duo inferiores planetæ Venus & Mercurius eandem apparentem in ecliptica longitudinem & à Terris diſtantiam utrâque hypotheſi motæ & immotæ Telluris obtinent.

Vt propoſitionem hanc ordine ac ſigillatim explicem ſex membra, qualia 15 propoſitione in tribus ſuperioribus conſtituimus, hic quoque in Veneris exemplo uſurpabo.

1 MEMBRVM, *de figuratione motus Veneris ad ſtantis Terræ hypotheſin.*

Secundum priorem hypotheſin A punctum ſit Terra immobilis, & A B Solis eccentricitas, quæ per 13 propoſitionem hujus libri, ſecundum *Ptolomai* abacos datur 417, qualium ſemidiameter deferentis Solis B C ſit 10000: jam intervallo B C centroque B decircinetur Solis deferens C D, cõtinuataque C A in D, erit D perigeum, C apogæum, quod *Ptolomai* ætate conſtiterat ſub eclipticæ 65 gr. 30 ☉. Vt igitur deinceps in inferioribus planetis motuum leges deſignem, uſurpabo Venerem exempli loco, cujus apogæum epicycli ætate *Ptolomæi* per 13 propoſitionem hujus libri conſtiterat ſub eclipticæ 55 grad. quamobrem ejiciatur per Terram immobilem A recta E F ut A F ver-



A F vergat versus suprascripti 55um grad. eclipticę; videlicet ut angulus C A F sit 10 grad. 30 ♊, tantum enim distant 55 grad. sub quo loco F cõsistit, à 65 gr. 30 ♊ quo loco C statuitur. hinc in A F signetur G punctum, ut A G eccentricitatem Veneris designet, quæ per 13 propositionem est 208 partium, qualium semidiameter deferẽtis Solis B G sit 10000. Cum autem deferẽs epicycli Veneris æqualis sit deferenti Terrę, quemadmodum 13 propositione monui; porrò etiam Terræ deferens sit æqualis illi qui Solis credebatur deferens, describatur centro G, semidiametro G A (quæ semidiametro deferentis Solis B C ęqualis sit) deferens epicycli H F, qui A F rectam secans in H faciat apogæum, perigęum in E: deinde centrum epicycli Veneris quocunque placebit loco constituas, ut primum in apogæo H, & magnitudine semidiametri F H, quę est per 13 propotionem 7194, scribas epicyclum F I, quo ita decircinato, Veneris deformatio ad stantis Terræ hypothesin A absoluta erit.

2 Membrum, *de figuratione motus Veneris ad mobilis Terræ hypothesin.*

Vt deinceps has motus leges ad mobilis Terræ hypothesin delineemus, mente concipiamus A Terram moveri, contraque C Solem stare, & in C A notetur K punctum, ut C K eccentricitas ipsi A B æqualis sit; centroque K intervallo K A (quæ ipsi A B æqualis est decircinetur epicyclus A L qui Terræ deferens sit, cujus perigæum L, apogæum A. Quamobrem, ut ista motæ Terræ hypothesi Veneris motum deformem, per K punctum M N recta ejiciatur parallela contra E F, secetque Terræ deferentem in O & P; atque eam ob causam K N, non secus atque A H, verget in 55 gr. eclipticæ; dehinc in K N statuatur punctum Q, ut K Q eccentricitati A G æqualis sit, & ipsa Q N semidiametro epicycli Veneris, tantoque intervallo describatur Veneris deferens M N, secetque K N in apogæo N, & in perigæo M.

3 Mem-

3 MEMBRVM, *Venerem utrâque hypothesi eâdem longitudine in eclyptica videri, & à Terris distare, cum & ipsa in apogæo epicycli, centrumque epicycli in apogæo eccentrici consistet.*

Hoc posito centrum epicycli Veneris H (Terra ad A affixa) in deferentis apogæo H versari atque Venerem ipsam in apogæo epicycli F, recta A F Veneris maximam à Terris distantiam determinabit: Atque eâdem similitudine secundum motę Terrę hypothesin Venus consistet in deferentis sui apogęo N, ac Terra mobilis in P, inde enim Venus N à Terrâ mobili P tantundem distat, quantum Venus in epicyclo F à Terrâ immobili A, quia semidiameter deferentis Terræ K P cum eccentricitate Q K ęquentur semidiametro epicycli G H cum eccentricitate G A; & præterea Q N semidiameter deferentis Veneris, semidiametro epicycli H F: cumque P N, A F parallelę sint, Venus utrâque hypothesi sub eodem eclipticę loco videbitur. Simili planè ratione & demonstratione evinces minimam distantiam N O secundum mobilis Telluris hypothesin, æquari minimæ distantiæ Tellure in motâ; id est rectæ quæ ab A ad perigæum epicycli pertinget, si ipse ex E centro decitcinatus esset: quem tamen hoc loco non descripsimus, ne lineamentorum frequentia demonstrationi caliginem offenderet.

4 MEMBRVM, *Semidiametrum deferentis Terræ, quæ ad ipsam Terram pertinet, semper parallelam esse semidiametro deferentis epicycli, quæ ad centrum epicycli porrigitur; & semidiametrum à centro deferentis Veneris ad Venerem, parallelam esse semidiametro epicycli quæ ad Venerem pertinet.*

Centrum epicycli Veneris devolutum sit ab H ad R, perque id punctum educta recta G R S, signabit in S apogæum medium, unde Venus interea secundum stantis Terræ hypothesin processerit ad T: Cumque motus Veneris in deferente suo, duobus motibus æqualis sit, videlicet motui centri epicycli, qui ab angulo H G R definitur; & ipsius Veneris in epicyclo, qui est angulus S R T, consequens est Venerem ab F interea motum istis duobus angulis æqualem peragrasse, qui sit angulus inversus N Q V; & cônexa Q V æqualis erit ac parallela rectę R T, cujus demonstrationem supra 15 propositionis 4 membro simili casu in Marte usurpavimus: Interea verò Terra mobilis, quæ tum constiterat in P peragrabit arcum P X, æqualem motui centri epicycli H R, quam ob causam semidiametri istorum circulorũ K X G R æquales erunt & parallelæ.

5 MEMBRVM, *Venerem eandem semper in eclipticâ longitudinem, & à Terris distantiam utrâque hypothesi obtinere.*

Demonstrationis ergô jungantur quatuor rectæ A R, A T, K V, V X. Iam erit K Q, latus trianguli K Q X, æquale & parallelum lateri A G trianguli A R G. item Q X ęquale & parallelum contra A R: quare & tertium latus K X tertio G R æquale erit & parallelum: cum igitur Q X latus trianguli

guli QVX æquale ſit & parallelum ipſi AR, & QV (ob ſimilem demonſtrationem in Marte 4 Membro uſurpatam) æquale ac parallelũ ipſi RT, etiam tertium latus XV æquale erit ac parallelum tertio lateri AT: Atque eam ob cauſam Venus V ex Terra mobili X eodem in ecliptica loco apparet, quo Venus T ex Terra immobili A, diſtantiæque XV, TA æquales ſunt.

6 MEMBRUM, *de differentia quæ inter utriuſque hypotheſis abacos in calculo apparentiis planetarum longitudinis intercedit*

In abaco apparentis longitudinis Veneris in ecliptica ſecundũ ſtantis Terræ hypotheſin occurrit nobis in expoſito paradigmate quadrangulũ AGRT, cujus quinque termini cogniti dantur, ut ſunt latera tria AG, GR, RT, ejuſdem ſemper longitudinis; deinde angulus AGK, quippe cogniti anguli HGR (qui medium epicycli motum definit) differentia à ſemicirculo; denique etiam angulus GRT, utpote cogniti anguli SRT (qui eſt medius Veneris in epicyclo motus) differentia à ſemicirculo: Quorum ope per 6 propoſitionem additamenti planorum multangulorũ inventus angulus ignoratus GAT, atque ad cognitam longitudinem 55 grad. quam obtinet ſitus AG in ecliptica aggregatus dabit locum optatum.

At verò ſecundum motæ Terræ hypotheſin dabitur nobis quadrangulum decuſſatum KQVX, cujus item quinque termini cogniti dantur, videlicet latera tria KQ, QV, KX ejuſdem ſemper & cognitæ longitudinis; & angulus KQV differentia cogniti anguli NQV (qui eſt Veneris medius motus in ſuo deferente) differentia à ſemicirculo; item angulus QKX, qui eſt medii motus Terræ differentia à ſemicirculo. Ex quibus terminis per 6 propoſitionem additamenti de planis multangulis inventus angulus ignotatus KXV, atque ad cognitam longitudinem quâ XK in eclipticam porrigitur (quæ eſt apparens medii Solis K longitudo in ecliptica) aggregatus, habebis locum optatum, qui neceſſario ſuperioris abaci epilogiſmo reſpondebit.

Demonſtratio hæc quam dicis gratia in ſola Venere expreſſimus, eadem Mercurio quoque congruet.

CONCLUSIO. Quamobrem duo inferiores planetæ Venus & Mercurius ſecundum motæ Terræ hypotheſin eadem lõgitudine in ecliptica videntur, & à Terris diſtant, quâ Terrâ immotâ. Quod demonſtrandum fuit.

NOTA.

Nõ obſcurum eſt utramque hypotheſin primi ſecundiq; membri, quam hic in Venere uno eodemq; diagrammate concluſimus, duobus diagrammatis ſigillatim deformari potuiſſe, quemadmodum in Marte 3 Nota 15 propoſitionis uſurpavimus.

18 PROPOSITIO.

Cur 8, 12, 15, & 17 propoſitione demonſtrarim planetas ſecundum motæ Terræ hypotheſin eâdem in ecliptica longitudine & inter ſe diſtantia videri, quâ Terrâ immotâ, cæterisque ejuſdem circumſtantiis.

Coperni-


Copernicus quidem ſtatuit, utráque hypotheſi tam motæ quam immotæ Telluris (cum nempe è priorę tolleſ, *Ptolemæi* ignorati motus additamenta, atque ex poſteriore ſuas) eadem planetarū loca deſignari, neq; hoc ullius demonſtrationis tanquam per ſe ſatis clarum eſſet indigere arbitratur; cum tamen mihi ad planiorem cauſarū cognitionem accuratiore demonſtratione ob diverſos ſcrupulos, qui me ſollicitū habebant opus eſſe videatur. Initio enim id mihi perſuaſeram (à quâ ſententiâ etiam plures eſſe video, qui ſe ipſos in motæ Terræ hypotheſi exercent) ſi Terra in Solis deferentem & contra Sol in Terræ locum immigraret, iſto modo conſtitui initia Terreſtris motus: Sed cum propoſitiones iſtinc derivatæ vitio laborarent, animadverti Terram non in Solis eccentricum transferandam, ſed circa Solem fixum alium circulum qui Terram deferat decircinandū. Cum igitur hæc ratio non ita plana & illuſtris mihi viſa eſſet, ut nullâ demonſtratione indigeret, eam 8 propoſitione hujus libri poſito diagrammate complexus demōſtravi: Animadvertebam prçterea Saturnum cæteroſque planetas è Sole fixo ſpectatos non ſub eâdem eclipticę longitudine videri, quâ centrum epicycli ex Terrà immobili: Dicîs gratiâ rectam A R in 15 propoſitionis diagrammate neq; æqualem neque parallelam eſſe rectæ quæ C V puncta connectat; ſed ipſi K V. videbam etiam ſecundum motę Telluris hypotheſin deferentis ſui apogæum in oppoſitam plagam cadere ab apogæo deferentis Solis Terra ſtante, quod ipſum quoque mihi ita illuſtre non videbatur ut ſtatim unico intuitu perſpicium eſſet, atque ideo 9 propoſitione hoc ipſum pulvere & radio explicandum cenſui.

Præterea cum apparens Solis longitudo in ecliptica ex Terra æſtimata oppoſitum locū deſignet ei, in quem apparens Terræ locus cadat ſi ex Sole ſpectetur, facilè aliquis in eam ſententiam incideret, ut eredat, cum ſecundum alteruttam hypotheſin Sol *apbæreticus in priote ſui deferētis ſemicirculo verſabitur, eodem tempore ſecundū reliquam hypotheſin Terram poſteriorem ſemicitculum decurrere, ſed ita ut hujus proſtheſis ſit inæqualis Solis aphæræſi: cum tamen contra Sol, & Terra ſecundū motus ſui hypotheſin uterque eodem momento priorem deferentis ſemicirculum *aphærerici decurrant, vel poſteriorem * proſthetici, & quidem proſtaphæreſi æquali, & quia iſta demonſtrationis luce indigere viderentur, 10 propoſitionem ſuper his conſtitui.

* *ablatitiam.*
* *ablatitii.*
* *additit ii.*

Secundò in motu Lunæ iſte ſcrupulus mihi objectus eſt. Non dubium eſt Terram in eccentrico ſuo rotatam eâdem eccentricitate, & proſtaphæreſi affici, quâ Sol ſtante Terra: ſed cum Lunæ orbis Terram ambiat, magnoque Terræ orbe contineatur, conſequens eſt majorem illum Lunæ orbem eandem habere anomaliam, quam ipſa Terra, unde non alienū videtur illius apogæū eâdem quoque affici anomalia, quę res mihi cogitationem injecit utrum hæc cauſa eſſet ſecundæ & ignotę anomaliæ, quam *Ptolemæus* à ſe animadverſam & notatam putat. Quod ipſum ut clarius certiuſque perviderem, penitius rem inſpexi, & diagramma hujuſmodi deformavi. Eſto A B C Terrę deferens, centrū D, Sol E, perque hæc duo puncta ejiciatur diameter A D E C, hic A apogæum, & in A Terra ſit, B perigæum. Continuetur jam D A in F, interque A & F ſumatur punctum G, iſtoque centro decircinetur Lunę deferens F H, cujus apogæum F: cæterum cum hujus apogęi motus propoſito noſtro nihil varietatis aut impedimenti objiciat, quia omnis anomalię expers ſit, ſumam Lunæ deferentem motu proprio nullo commoveri, ſed apogęum medium F ſemper conſiſtere in recta à centro D ad Terram inclinata. Quibus poſitis Terra cum Lunę deferente devoluta ſit ab A in B; erit igitur apogęum

Aa medium



medium per exposita, in cōtinuata DB, hoc est in I; jungatur jam EB & continueтur in K, ut K apogæum designet, angulusque EBD, seu IBK aphæresin Terræ B, atque adeò etiam totius deferentis Lunæ, & consequēter apogęi medii I, quod in alium locum cadit ex E, quàm ex D spectatum. In eo igitur versatur quęstionis nodus, utrum apogęum medium I motu Terræ ex A in B aliquam anomaliam acceperit ob Terrę motum eccentricum. Verum argumētis omnibus accuratè expensis, locus & statio observantis distinguendus est. Si enim oculum constituas in centro eclipticæ E, qui Sol est, apogęum medium I ex isto loco æstimatum anomaliæ obnoxium erit: verum cum observatio ipsa, de quâ nobis sermo est, non instituatur ex E, sed ex Terra B, illinc quoque usurpanda, atque adeò K punctum hîc designabit apparentem Terræ longitudinem in ecliptica, quia EBK recta ad E centrum Zodiaci inclinatur. Quare si apogæum medium in hac linea consisteret, motu Terræ ex A ad B acciperet anomaliam anguli IBK: sed medium apogæum videtur in I, tanto intervallo antrorsum, quantum ab angulo KBI adjicitur: ideoque motu Terræ AB, tantundem quoque secundum apparentiam in ecliptica commovit, quantum ab arcu AB, seu angulo ADB definitur, hoc est æquali cum Terra passu processit, ut nulli motus anomaliæ obnoxium sit. Vt inde demum animadverterim, Lunaris deferentis apogæum ex Terra æstimatum non affici dicta motus anomalia, quamvis & Terra & universus Lunæ deferens eandem accipiat anomaliam, quæ ad stantis Terræ hypothesin Soli tribuitur; atque ita scrupulus ille mihi exemptus est: deinde alterum hoc inde quoque suppullulabat, nullam hallucinationem aut errorem hîc creari si motus apogæi proprius diurnus (quemadmodum 11 propositione hujus libri videre est) usurpetur 52 ① 27 ② contra successionem graduum, pro quo stante Terra per 11 propositionem 1 libri inveneramus 6 ① 41 ② secundum successionem graduum. Itemque nullam existere differentiam, sive hic statuas diurnum ecliptici nodi motum proprium 1 grad. 2. 19. conrra successionem graduum, ut fecimus propos. 11, sive usurpes stante Terra 3 ① 11 ② contra successionem graduum per 11 propositionem 1 libri.

Et quamvis ista omnia ita certa ac perspecta haberem, non ideò tamen hæc tam plana & manifesta mihi erant, ut propterea leges motus Lunę mota & Immota Terra usquequaque congruas esse, nulla explicatione opus habere videretur; quare ista nobis 12 propositionis materia fuit.

Tertiò in reliquorum omnium planetarum Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii motu scrupulus talis occurrit. Cum in planetarum abacis subducendis secundum stantis Terrę hypothesin variæ rectę è Terra seu puncto in Solis

Solis deferente non centro plurimas rectas ad reliquos terminos logistarum abacis necessarios educi, cujusmodi sunt 15 propositione AR, AT, ex A Terra fixa eductæ. Quam analogiam secuti facilè crediderint in epilogismo planetarum secundum motæ Terræ hypothesin lineas KX KV nō ad Terram K, sed ad C terminum eccentricitatis deferentis Terrestris, hoc est ad ipsum Solem inclinandas: quia locus iste secundum motæ Terrę hypothesin, similitudine quadam respondet Terræ fixæ Sole moto. Vt hoc quoque ἀναπόδεικτον absque demonstratione transmitti non debuisse videatur.

Denique huc etiam quartum illud accedit, quod maxima novatio incidat sublato epicyclo, planetaque in locum centri epicycli immigrante, cumque iste, quem ostendimus, motus Terræ assignatur.

Ista inquā non videbantur mihi ita plana, ita expedita, ut cōstaret etiā absq; demonstratione hęc eodem recidere eundemq; eventū ubique sortiti. Nec dubito, quin illi qui hunc consensum primi investigarunt certa quædam principia, & quasi isagogen constituerint, unde horum veritatem cognoscerent & erudirentur. Cum autem eam *Copernicus* nō descripserit, & nihilominus quidquid hujus scripsit arctissimè cum veritate cōsentiat (Nam dicis gratia Lunæ abacus Tellure motâ tam solidus vetusq; est, quam immotâ; & in cæteris planetis illa linearum, non ad Solem mundi centrum, sed ad centrum deferentis Terræ inclinatio, ne tantillum quidem ob Terræ motum diversitatis habet) meritò hoc suspicionem movet, vel ut hujus consensus causa illi alio faciliore modo investigata & perspecta sit, quàm mihi, ut ne explicatione aliqua opus habuisse videatur: vel libros quosdam manuscriptos de motu Terræ alicunde eruisse, ubi hujus demōstrationem nullam invenerit, ut hâc ob causam ista ita simpliciter & nudè ab ipso edita & publicata sint.

Sed dicet aliquis, esto utrum libet quid utilitatis hinc existet? Hæc; si iste utriusque hypothesis consensus *Copernico* tam planus tamque expeditus fuerit, ut nullæ explicationis eguisse videatur, alii hoc ipso movebuntur ut ad ista accuratius animum adjiciant, hæcq; ipsa brevius tractent ne longiore circuitu fiat quod compendiosè absolvi possit. Quin verò si ex priscis libris hæc eruerit, aliquid spei erit reliqui etiam eruditi seculi aliquas reliquias neglectim habitas & in Bibliothecis jactatas ex eruditi seculi naufragio superesse, ut in istas studiosius deinceps inquiratur quam hactenus factum sit. Atque ita causa nobis exposita esto, cum 8.12.15. & 17 propos. demōstrationibus comprobarim planetas secundum motæ Terræ hypothesin eodem in ecliptica loco videri, eodemque intervallo à se mutuò distare, quo Terrâ immotâ, cæterisque ejusdem circumstantiis.

19 PROPOSITIO.

Vtrâ hypothesi, commentitiâne Terræ immobilis, an propriâ Terræ mobilis abacus longitudinis planetarum parabilior videatur.

Cum primo libro ex observationū ephemeridibus, secundo autem ex mathematico ratiocinio abacum motus planetarum derivaverimus, utrumq; tamen ex fictâ stantis Terræ hypothesi, atque his tertio libro eosdem motus ad veram motæ Terræ hypothesin expressos substituerim, id forsan alicui scrupulum movebit, ut dubitet an non consultius fuerit, (cum jam ab initio scirem illam hypothesin commentitiam, hanc veram esse) illâ omissâ, ab hac statim initium facere. Cui objectioni respondeo, me valde necessarium arbitrari neutram ignorari, cujus rationem ut planius explicem, sic inquam:

Quandoquidem utriusque hujus hypotheseos tam arctus (qualem supra demonstravimus) consensus sit, supervacaneum arbitror nova problemata de investigatione motus longitudinis planetarum, dierum æquatione, cõjunctionibus, oppositionibus, eclipsibus, aliisque quæ ad motæ Telluris hypothesin expressa sunt, cõstituere: quin imò id planè statuo, epilogismum commodius institui & absolvi, si animum & cogitationem dirigas ad commentitiam immotæ Telluris hypothesin quam si ad propriam motę, etsi quamvis etiam hęc omnibus numeris absoluta haberetur.

Quod posita similitudine illustrius erit: Cogita aliquem in navi velificante & motâ imperare sarcinam decem pedes retrorsum collocari. cui id imperatur de navis motu non est sollicitus, sed decem pedum mensuram instituit, non secus ac si ipsa navis in eodem loco immota consisteret; nam si secus hoc mandatum intelligas, prius quam id exequaris interim navis 1000 pedum intervallo processisse possit, ut sic non 1000, sed 1010 pedes intelligendi & mensurandi forent, sarcinaque tanto intervallo è loco dimovenda, is autem terminus ultra puppim in aquam forte cadet: quod alienum est à voluntate imperantis. atq; ideò significantius est voce & cogitatione sequi internam ipsius navis & rerum quæ iis continentur quietem, quam proprium verumque navis motum. Si tamen alia foret quæstio, non de movenda aut collocanda sarcina; sed, dicis gratiâ de palo in aquam defigendo decem pedum intervallo ab aliquo definito navis loco, hîc propriè intelligendum est decem pedum intervallum ab isto loco qui imperantis verbis designabatur: navis interim mota sit an immota nihil interest. Vt in hominum commerciis duplex loquendi & faciendi sit modus, alter secundum apparentiam & visum, alter secundum verum, è quibus ille semper eligendus, unde propositum planissime intelligitur, & facillime expeditur.

Quibus concessis, etiam in cœli motus descriptione utile videtur animo & cogitatione geminam hypothesin complecti, apparentem & veram, utramque prout planior rerum intellectus postulabit. Videlicet apparentem ad isagoges doctrinam, & dicti calculi explicationem, quia istius materiæ voces in hoc Terræ motu ita usurpantur tanquam omninò eidem sedi affixa hæreret. ut cum de siderum supra horizontem exortu, occasu, culminatione, cæterisq; similibus sermo instituitur, quorum enuntiatio propria nimis obscura foret: imò quam ne *Copernicus* quidem usurpavit, quamvis præcipuus ejus scopus fuerit Terræ motus. Porrò autem quemadmodum in navis motu utilius erat ejus motus nullam plane rationem habere tanquam eidem semper vestigio infixa hæreret; atque apparentem pro vero usurpare, ita hoc quoque casu doctrinæ convenientius, Terræ motũ omninò ex animo abjicere, tanquam immota staret, atque id quod videtur pro ipso vero usurpare. Cõtra autem cum quæstio erit de motu latitudinis planetarum, Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii, de quibus deinceps dicendum est, illic res ipsa exigit (quemadmodum in palo in aquam adigendo fistucandoq;) calculum institui ad propriam motæ Telluris diagrapham, quia ita planius causa motus latitudinis eruatur & innotescat, quodque motus commentitiæ hypotheseos fixæ Telluris inde derivetur, eo quem post paulò aperiam modo.

Atque hæc mea sententia est, quam in hujus scripti liniamentis secutus expressi: si tamen alius ponderosiores afferat rationes (quas ignoro) quibus alia via expeditior videatur, æquum est ut eam sequatur.

Atque hactenus de motu longitudinis planetarum: superest ut dicam de latitudine.

DE

DE LATITVDINIS MOTV.

DISTINCTIO QVINTA LIBRI TERTII, DE MOTV LATITVDINIS QVINQVE PLAnetarum, Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii, secundum motæ Telluris hypothesin.

BREVIARIVM 5 DISTINCTIONIS.

QVia Terra mobilis, & Sol eidem loco infixus semper in ecliptica plano consistunt, neque inde quoquam in latitudinem declinant; cumque Lunæ etiam latitudo, quam 2 libri 34 & deinceps aliquot sequẽtibus propositionibus descripsimus stante Terrâ nihil planè diversi habeat, quod explicationis indigeat in motu latitudinis Terrâ motâ; utramque hanc latitudinem intactam transmisimus; quare ad reliquos quinque transibimus.

Quemadmodum veteres in longitudinis motu explicando jure merito ab observatis singulorum motibus in dato tempore initium ducunt, ut inde generalia præcepta ad singulorum motus investigationem in futura tempora deducant, idem quoque in latitudinis motu ordo naturæ hîc exigit, quam viam ideo in singulorum planetarum descriptione persequar: Cumque unius exemplum omnibus sufficiat, de supremo Planetarum Saturno propositiones concipiam & enuntiabo, de reliquis autem cum planiorem explicationem desiderabunt in annotatiunculis monebimus. Universum autem hoc negotium 6 propositiones expedient.

Prima, quæ & ordine 20 erit, de apparenti Saturni latitudine ab ecliptica, qualem eam Ptolomæus *ex observationibus indagavit; ut inde proprietates motus latitudinis eruamus.*

Secunda, quæ erit 21, de longitudine, quam obtinent termini maximæ inclinationis in deferente suo, quantumque Terræ deferens, quâ proximè abest, ab illis distet: & quanta sit maximarum inclinationum inter se di-

stantia in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000, idque mathematico ratiocinio Tellure motâ.

Tertia, quæ est ordine 22, de investiganda deferentis Saturni inclinatione ad eclipticam: Quantumque ejus & eclipticæ communis sectio à deferẽtis Terrestris centro cadat; idq; in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000 æstimatum, mathematico ratiocinio secundum motæ Telluris hypothesin.

Quarta, quæ est ordine 23, de investiganda nodorum Saturni longitudine in deferente, deque maximis duabus Saturni inclinationibus, & quantitate lineæ quæ ex centro deferentis Saturni in communem eclipticæ sectionem perpendicularis cadit, in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000 secundum ejus motus hypothesin æstimata.

Quinta, quæ ordine est 24, de invenienda quantitate rectæ quæ ex dato in Saturni deferente puncto ad planum eclipticę perpendicularis cadit, in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000 ad ejus motus hypothesin ex mathematico ratiocinio.

Sexta, quæ est ordine 25, de invenienda apparente Saturni latitudine in ecliptica ad datum tempus, mathematico ratiocinio Terrâ motâ.

Quibus subdidi annotatiunculam suprascriptam, de reliquis planetis, de quibus tamen nullas propositiones nominatim concepi aut enuntiavi.

PRIMUM DE MOTU LATITUDINIS SATURNI.

20 PROPOSITIO.

De apparente Saturni latitudine à *Ptolomæo* observata, unde generalia theoremata de affectionibus motus latitudinis deriventur.

I MEMBRUM.

Cum credam priscis motum longitudinis planetarum ad hypothesin Terræ mobilis penitissimè ab ipsis observationibus investigatam & perspectam; videtur cõsentaneum etiam latitudinis motũ ipsos non latuisse, quia se ipsam, si aliquantulũ animum attendas, facilè prodat, ut mihi non fiat verisimile hunc à *Ptolomæo* primum notatum, aut animadversum; quin potius jam olim à vetustioribus diligentissimè observatum, & theoricas ejus constitutas esse credo; atqui cum ista neque ad ejus, neque ad cujusquam manus quod quidem sciatur devenerint, grata recordatione studium & laborem ejus amplexabimur, sine quibus istorum cognitio hoc seculo indagatu difficilis & intricata foret: nam ii qui oculos animumque ad siderum loca notanda & observanda convertant, hac tempestate nimis quàm rari sunt. Sed ut ad propositum accedam illud moneo. Quemadmodum in Solis ab æquinoctiali, & Lunæ ab eclipti-

ecliptica apparentibus latitudinibus investigandis primo quæri solet maxima ipsorum in Boream & Austrum declinatio, ut inde locus nodi in quo ecliptica secatur inveniri possit, cæteraque huc spectantia: Ita quoque *Ptolemæum*, ad investigandam affectionem latitudinis Saturni primò maximam ejus latitudinem observando indagasse. Quam invenit Boream 3 grad. 2 ① (tantam enim in canonio suo annotavit) atque hanc semper in id tempus incidere cum centrum epicycli 50 grad. processisset à deferentis sui apogæo, hoc est, sub 183 gr. eclipticę, & cum Saturnus epicycli perigæum adesset. At si Saturnus ipse in perigæo non consisteret, borea inclinatio eo casu minor erat, quæ tamen semper hîc minima esset cum centrum epicycli in apogæo eccentrici versaretur, quamvis enim istud reapse observari non potuerit, quia is locus in Solis & Saturni conjunctionem incurrebat, id tamen conjectura assequebatur ex decremento quod circa extremam fulsionem notarat.

2 MEMBRVM.

Boream inclinationem maximam semper deprehendebat 3 grad. 5 ①, eamque incurrere in id temporis momentum, cum centrum epicycli integro semicirculo à loco suprascripto 183 grad. abesset, hoc est sub 3 grad eclipticę consisteret, & Saturnus ipse in perigæo epicycli versaretur: cum autem alibi quam in perigęo constitisset, eo casu inclinationem austrinam minorem esse, & quidem minimam si in apogæo epicycli.

3 MEMBRVM.

Hæc igitur inclinationis affectio valebit cum centrum epicycli in maxima deferentis inclinatione consistet; sed cum in nodis versaretur, Saturnus erat omnis latitudinis expers, qualemcunque tunc denique in epicyclo locum obtinuisset.


4 MEMBRVM.

Quam potuit speciosissimam tam insolentis motus causam comminisci *Ptolomæus*, qui abaco latitudinis ad datum quodvis tempus congruat, hanc 3 capite 13 libri prodidit, cujus argumentum tale est.

Esto A B planum eclipticæ spectatum in cultrum, cujus centrum, quæ Terra fixa est C, per quod penetret deferens D E, & quidem C D versus Boream in 183 grad. eclipticæ, ut 1 membro annotavimus, ut A C D, B C E deferentis inclinationem significent. & ex D maximæ latitudinis termino describatur epicyclus F G pene parallelus contra eclipticam A B, cujus perigæum G, apogæum F, unde ad C connectantur rectæ F C, G C, dico autem F G ut proximè parallelam esse contra eclipticam, quia differentia nimis quam exigua sit duntaxat 2 grad. 4 ①, nam angulum A C D invenit 2 grad. 26 ①, & C D G 4 grad. 30 ①, qui anguli tamen, ut parallelæ constituantur, æquales esse debuerant, omnes isti circuli (quod de ecliptica diximus) in cultrum spectari intelligantur. Cæterum, ut cœptum opus prosequar, Saturno epicycli perigæum G obtinente apparens ejus ab ecliptica declinatio maxima, qui est angulus A C G, inveniebatur 3 grad. 2 ①, quod 1 membro annotavimus; Si verò extra perigæum constitisset ut puta in D vel F, borea declinatio tunc minor erat, & minima quidem si in F apo-

Terræ 10000, mathematico ratiocinio secundum motæ Terræ hypothesin invenire.

DATVM. Sit deferens Saturni A B C D, centrum E, centrum deferentis Terræ F, & ipse deferens G H, jam per duo centra F E porrectâ semidiametro A C, erit A apogæum per 13 propositionem hujus libri sub 233 grad. eclipticæ, & quia maxima borea inclinatio Saturni per 1 membrum 20 pro-



positionis apogæum 50 graduum intervallo disjuncta sequitur, agatur recta B F D per punctum F, secans Terræ deferentem in I & K, ut A F D angulus dictos 50 gr. definiat, eruntque D B hi maximæ inclinationis termini quam ad eclipticam habere videatur, idque cum Terra appulerit ad puncta K & I.

QVAESITVM. Quanta sit longitudo punctorum B & D in deferente suo, hoc est amplitudo acuum A B & A B D, itemque qua proximè à Terræ deferente absunt K D, I B, ipsorumq; inter ipsas distantia D B invenienda est, in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000.

PRÆPARATIO. Connectantur E D E B.

CONSTRVCTIO.

Tres termini trianguli E F D sunt cogniti, eccentricitas E F 5256, semidiameter deferentis E D 92308 ex syllabo secundo 13 propositionis,

positionis, & angulus E F D 50 gr. per thesin: Vnde angulus E D F invenitur per 5 propositionem planorum triangulorum 2 gr. 30 ①

Qui additus ad angulum A F D 50 grad. per thesin, existet angulus A E D, seu arcus A D 52 gr. 30.

Sed initium deferentis usurpatur ab apogæo A, quare A D 52 grad. 30 ① deductis de integro circulo 360 grad. relinquetur optata lõgitudo seu distantia à maxima declinatione Borea D, id est arcus A B D 307 gr. 30.

Et latus F D invenitur 95610, unde deducta Terræ semidiameter F K 10000, relinquetur optata distantia K D quâ Borea maxima inclinatio D à Terra deferente abest 85610.

Eundem modum si usurpes in triangulo E F B, invenietur angulus E B F 2 gr. 30.

Qui de angulo A F D 50 gr. deductus relinquet C E B 47 gr. 30.

Et hic de semicirculo A B C subductus, relinquet maximæ inclinationis austrinæ B optatam in deferente longitudinem, hoc est arcum A B 132 gr. 30.

Porro etiam invenietur latus F B 88849, inde subducta semidiametro deferentis Terræ F I 10000 reliqua erit optata minima distantia I B, quâ Terræ deferens ab apparente maxima austrina inclinatione B absit 78849.


Iam tota quantitas rectæ B D conflabitur ex tribus partibus B I 78849, I K 20000, & K D 85610 quarum summa erit 184459.

Cujus demonstratio ex operis ductu & filo perspicitur. CONCLUSIO. Itaque longitudinem quam maximæ inclinationes deferentis Saturni ad eclipticam in ipso deferente obtineant, quantaque ipsorum à Terræ deferente, & inter se distantia sit, in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000, mathematico ratiocinio motâ Terrâ invenimus, ut decuit.

22 PROPOSITIO.

Quæ deferentis Saturni ad eclipticam inclinatio, quantumque deferentis & eclipticæ communis sectio à Terræ centro distet in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000 mathematico ratiocinio secundum motæ Terræ hypothesin invenire.

DATUM. Esto AB deferens Terræ in culirum spectatus, qui æqualis sit diametro I K in antecedentis propositionis diagraphâ, C centrum, hinc agatur D E æqualis ipsi D B antecedentis diagrammatis, hoc est 184459, & hæc C D illi F D, item hæc C E illi F B, secentque se mutuo vel in C puncto, vel propter ipsum, ut angulus inclinationis duorum planorum sit A C D, & recta ab Terra A ad deferentis Saturnini maximam inclinationem Boream per 21 propositionem sit 85610, quę illic per K D designatur: Similiter sit B E recta ab Terra B ad E terminum maximæ inclinationis austrinæ per eandem 21 propositionem 78849, quæ illic per rectam I B indicatur, continuataque A B utrimque in F & G erunt A F & B G in plano eclipticæ, maximaque Borea Saturni latitudo definietur ab angulo F A D, qui per



per 1 membrum 20 propositionis est 3 gr. 2 ①; & austrina latitudo definitur ab angulo G B E, quæ per 2 membrum 20 propositionis est 3 grad. 5 ①.

QUÆSITVM. Inclinatio deferentis Saturni ad eclipticam, hoc est angulus A C D inveniendus est, quantumque ejus & eclipticę communis sectio à deferentis Terræ A B centro C cadat.

CONSTRVCTIO.

Quadrangulum decussatum A B D E habet quinque cognitos terminos, ut sunt A B 20000 diameter deferentis Terræ per thesin; item AD per thesin 78849, & B E 95210, angulus D A B 176 grad. 58 ①, is enim numerus relinquitur si subducas F A D 3 gr. 2 ① de semicirculo, datur quoque angulus E B A 176 gr. 55 ①, nam is numerus relinquetur si tollas G B E 3 gr. 5 ① de semicirculo. Notato quoque insuper præter suprascriptos quinque terminos, etiam alios tres unde aliquid levaminis accedat, dari, videlicet D E recta maximas Saturni latitudines connectens, quæ per 21 propositionem datur 184459, & A E 98849, quæ proximè ipsis A B & BE hoc est 20000 & 85610 æquetur. Item recta B D, 105610, quæ ipsis A B & A D hoc est 20000 & 105610 proximè æqualis sit; Quorum terminorum ope angulus A C D invenitur, per 6 propositionem additamenti ad plana multangula, optata deferentis Saturni inclinatio ad eclipticam 2 grad. 43 ①, pro quâ *Ptolomæus* quasi per conjecturas 3 capite libri 13 invenit 2 gr. 26 ②.

Cæterum communis sectionis deferentis Saturni & eclipticæ distantia à terræ deferentis centro C nulla est, cum proximè per id incidere deprehendatur, è diversis enim terminis per quos hujus operis exegesis absolvi possit, ex ea quam secutus hic sum inveni angulum A D C 19 ①, unde trianguli D A C tres termini cogniti, videlicet duo anguli A D C, D C A & latus A D dant rectam A C 10294, ubi 294 redundant, debebat enim ut omnia ad amussim congruerent, fuisse 10000, differētia autem adeo exigua est ut si amplitudinem anguli A D C usurpes 18 ① pro istis 19 ①, existat A C 9732, ubi 268 à justa summa deficiunt, ut non ambiguum videatur communem istam eclipticæ & deferentis sectionem per deferentis Terrestris centrum C transire, quod abaco *Ptolemaico* ejusque theoricis in quibus ille hanc lineam per ipsam Terram porrigit, consentit. Est enim Terræ secundum illam hypothesin situs similis centro deferentis Terræ in hac, quod 18 propositione 3 libri obiter nobis annotatum est.

Notabis hîc aliam operis exegesin institui posse, inventa primò linea C D (hoc est à deferentis Terrestris centro ad Saturnum in dato sui deferentis loco) per 6 membrum 15 propositionis hujus libri, ita enim cognita habebit triangu-

triangulum A D C tres terminos cognitos, hoc est præter C D etiam lineam A D, & angulum A C D, inde reliqui ignorati termini innotescunt.

CONCLVSIO. Invenimus igitur, quæ sit deferentis Saturni ad eclipticam inclinatio, quantumque illorum communis sectio à Terræ centro distet, idque in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000 mathematico ratiocinio, secundum motæ Terræ hypothesin.

NOTA, *qua demonstratur motum latitudinis Saturni certa de motu Terræ argumenta suppeditare.*

Cum in [illegible] hypothesi [illegible] epicycli Saturni in nodo versari dicitur, etiam [illegible] eclipticæ, omnisque latitudinis expers semper deprehenditur, quemcunque tandem locum in epicyclo obtineat, quod 3 membro 20 propositionis [illegible], quæ res cum valde paradoxa habeatur, hinc [illegible] illam theoricam, quam 20 propositione expressimus, sed [illegible] omnia ista, & quidem necessario cōsequi [illegible] Saturni conversionem circa suum axem, ut nullis novis figmētis ad [illegible] opus sit; quin potius insolens videatur si hæc aliter eveniant, [illegible] dicis gratia, cum Saturnus ab E movebitur usque ad nodum C, necessario in eclipticæ plano consistet, cumque Terra extra eclipticæ planum nunquam exorbitet, consequens est Saturnum quemcunque tandem sui deferentis locum Terra obtineat illic in eclipticę plano videri: Atque adeo ut reliqua argumenta taceam, hoc uno adeò planus & manifestus est Telluris motus, ut qui istum inficias eant, propter observationum penuriam id facere credendum sit.

23 PROPOSITIO.

Nodorum Saturni longitudinem in deferente, ambasq; maximas inclinationes deferentis Saturni, & quantitatem rectæ quæ ex centro deferentis Saturni in communem sui & eclipticæ sectionem perpendicularis cadit, in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000 invenire Terrâ mobili.

DATVM. Quia figuratio diagraphæ 21 propositionis mihi hoc loco iteranda esset, atque eo addenda quæ hac propositione facienda imperantur, potius ipsum 21 propos. diagramma hic usurpabo, atq; in ista mentem meam explicabo. Cum communis sectio eclipticæ & deferentis per 22 propositionem per ipsius Terræ centrū porrigatur, agam in diagrammate 21 propositionis rectam L M communem sectionem per centrum deferentis Terrestris F, perpendicularem in rectam D B à cujus terminis L M agam duas rectas L E, M E: Deinde per E punctum educam diametrum deferentis Saturni N O parallelam contra D B, quæ secet L M in P. QVAESITVM. Quam longitudinem L, M nodi, seu extimi termini communi sectionis L M in deferente suo obtineant, quamque N, O termini maximarum inclinationum deferentis Saturni, & quantitas perpendicularis E P à centro deferentis Saturni E in communem sui & eclipticæ sectionem invenienda sint.

CON-

CONSTRUCTIO.

Si de angulo recto L F D 90 gr. subducas angulum A F D, qui per 1 membrum 20 propositionis est 50 gr. reliquus erit angulus L F E 40 gr.

Triangulum L F E tres habet terminos cognitos, utpote L E semidiametrum deferentis 92308, eccentricitatem E F 5256 per secundum syllabum 13 propositionis, & angulum L F E 40 gr. hoc ordine primum: Unde angulus F L E per 5 propositionem planorum triangulorum invenitur 2 gr. 6.

Qui additi ad 40 gr. anguli L F E, dabunt angulum A E L, seu arcum A L, optatam alterius nodi L longitudinem in deferente suo 42 gr. 6.

Sed ad reliqui nodi M longitudinem inveniendam, planum est angulum F M E aequari angulo F L E, ideoque esse 2 gr. 6 ①, qui deductus de angulo C F M, qui suo verticali L F E 40 gr. hoc ordine primo aequalis est, relinquet angulum F E M, seu C E M, seu arcum C M 37 grad. 54 ①. qui cum semicirculo A B C 180 gr. compositi dant optatam longitudinem puncti M in suo deferente 217 gr. 54.

Verum ut indagemus quam longitudinem duo maxime inclinationis termini in deferente Saturni C obtineant, (qui ob cognitas causas non sunt in punctis B & D, quamvis illic Saturnus in maxima apparenti latitudine ex Terra spectatus videri possit, sed in N & O) ita agam. Cum angulus E D F per 21 propositionem sit 2 gr. 30 ① angulusq; N E D aequalis sit ipsi E D F, qui E D inter parallelas E N F D interjacet, erit angulus E N D, seu arcus D N 2 gr. 30. qui additus ad puncti D longitudinem in ecliptica, hoc est per 21 propositionem ad 307 gr. 30 ①, dabit optatam longitudinem puncti N in suo deferente 310 gr.

Et O punctum ipsi oppositum cadet in deferentis 130 gr.

Iam ad inveniendam lineam E P suppeditantur nobis in triangulo E L P tres cogniti termini, ut sunt semidiameter E L 92308, per secundum syllabum 13 propositionis, angulus E L P 2 gr. 6 ① ordine secundus, & angulus E P L rectus: Quorum ope latus E P invenitur per 4 propositionem planorum triangulorum pro linea quaesita 3378.

Cujus demonstratio ex opere perspicitur. CONCLUSIO. Quamobrem Nodorum Saturni longitudinem in deferente, ambasque maximas deferentis inclinationes, & quantitatem rectae, quae ex centro deferentis Saturni in communem sui & eclipticae sectionem perpedicularis cadit, in partibus semidiametri deferentis Terrae 10000 invenimus secundum motae Terrae hypothesin. Ut petebatur.

CONSECTARIUM.


Evidens est Saturnum in deferente suo à 42 gr. 6 ①, hoc est in 21 propositionis diagrammate ab L per B usque M semper Notium esse, sed à 217 grad. 54 ① ordine quarto, ad 42 gr. 6 ①, hoc est ab M per A usque in L semper Boreum. Quod ut clarius perspiciatur, notato suprascriptum arcum ab L per

B usque M in 22 propositionis figuratione indicari per lineam rectam C E, qua segmentum circuli L B M in cultrum spectatum exprimitur. Quibus positis, Saturnus in recta C E in 22 propositionis diagraphâ non potest tali loco consistere, ut è Terra spectatus, quocunque loco ipsa in suo deferente A B versetur alio loco cōspiciatur, quam in austrina eclipticæ parte F G. Et similiter, in segmento C D in 22 propositionis diagrammate (qua segmentum circuli C A L 21 propositionis exprimitur) non potest tali loco versari ut ex Terra spectatus, quemcunque ipsius in suo deferente A B locum, alibi conspiciatur quam in eclipticæ F G parte Borea.

PROPOSITIO.

Quantitatem rectæ, quæ ex dato in Saturni deferente quolibet puncto ad eclipticæ planum perpendicularis cadit in partibus deferentis Terræ 10000 invenire ratiocinio mathematico.

DATUM. Exponatur orbis Saturni A B C D, ejus centrum E, per quod exigatur recta B E D (quæ ipsi N E O in 21 propositionis diagrammate re-



spondeat) qua Saturni deferens in cultrum spectatus designetur, ibique communis sectio secundum longitudinem oculo objectus adumbretur per punctum

ctum F, ut EF (cui in 21 propositionis diagrammate æqualis est EP) sit recta, quæ à centro deferentis Saturni, in communem sui & Eclipticæ sectionem perpẽdicularis cadit, cujus quantitas per 23 propositionem est 3378, hinc per F punctum agatur recta AFC, quod est eclipticæ planum spectatum in cultrum, & angulus BFA, qui inclinationem ejus ad eclipticam designat, fit per 21 propositionem 2 grad. 43 ①. CONSTRVCTIO.

1 PARADIGMA.

Invenienda sit primum quantitas rectæ BG, quæ à maxima deferentis inclinatione B in planum eclipticæ AC perpẽdicularis cadit: Vt eam assequar sic agam, semidiameter deferentis EB per 13 propositionis secundum syllabum valet 92308, & FE 3378 per thesin, quorum summa 95686 pro linea FB, inde triangulũ BFG tres habet terminos cognitos, videlicet latus FB 95686, & angulum BFG 2 gr. 43 ①, & BGF rectum per thesin, quorum ope latus BG optata linea per 4 planorum triangulorum propositionem invenitur 4535.

2 PARADIGMA.

Secundo fingamus inveniendam rectam HI, perpendicularem à 30^mo deferentis gradu, numerationis auspicio sumpto ex maximæ inclinationis termino B: sed cum ea linea æqualis sit isti quę ex deferẽtis semidiametro ab H puncto, tanquam termino BH sagittæ 30 graduum cadit, usurpemus igitur EB pro deferentis semidiametro, ubi EH sinus erit 60 gr. quæ est datorũ 30 graduum differentia à quadrante, qui est 8660, quæ cum ita sint per proportionem concludam, Cum semidiameter EB erit 10000, fit EH 8660, itaque EH quanta erit cum EB assumetur 92308? concludes pro EH 79939, quæ addita ad EF 3378 per thesin, dabit FH 83317, atque ita habebit triangulum HFI tres terminos cognitos, videlicet latus FH 83317, angulum HFI 2 gr. 43 ①, & HIF angulum rectum. Vnde latus HI, per 4 planorum triangulorum propositionem pro optata linea invenitur 3949. Et planum est HI ex deferentis Saturni 340 gr. demitti, hoc enim punctum B, in 21 propositionis diagrammate designatur per punctum N, quod per 23 propositionem consistit sub 310 gr. deferentis, huc si addas istos 30 grad. existet idem numerus qui prius 340 grad.

Notato eundem modum, quem hîc in linea HI inter E & B investiganda usurpavimus, eundem modum valere in quolibet loco semicirculi EB.

3 PARADIGMA.

Tertiò ponamus investigandam rectam EK, quæ ex 90 deferentis gradu, à maximo inclinationis termino D perpendicularis cadit. Ad cujus investigationem sic agam. Cum EF sit per thesin 3378, habebit triangulum EFK, tres cognitos terminos, ut sunt FE 3378, angulus EFK 2 gr. 43 ①, & FKF rectus: Quorum ope latus EK per 3 planorum triangulorum propositionem invenitur pro optata quãtitate 160. Hic igitur modus & via sit in semicirculo EB; superest ut similem rationem in reliquo semicirculo ED ostendamus.

4 PARADIGMA.

Esto jam quartò invenienda quantitas rectæ DL, quæ ex maximæ austrinæ inclinationis termino D perpendicularis in planum eclipticæ AC cadat,

Ad cujus investigationem sic agam; semidiameter deferentis E D per secundum syllabum 13 propositionis valet 92308, & F E 3378 per thesin, qui deducti de 92308, relinquunt 88930 pro recta F D, Vnde in triangulo D F L tres termini cogniti dantur, utpote latus F D 88930, & angulus D F L 2 gr. 43 ①; item D L F rectus per thesin. quorum ope latus D L optata linea per 4 planorum triangulorum propositionem invenitur 4215.

5 PARADIGMA.

Quinto jam invenienda sit linea M N, quæ ex 30mo deferentis gradu (ducto numerationis auspicio ex maximæ inclinationis termino) perpendicularis cadat. Sed cum ea æqualis sit rectæ è deferentis semidiametro ab termino D M sagittæ 30 gr. demissæ; cogitatione fingamus E D semidiametrum deferentis, ubi E M sinus erit 60 gr. quæ est dictorum 30 gr. differentia à quadrante, sinus verò iste valet 8660. Quibus positis proportionem instituam hoc modo. Posita semidiametro E D 100000, fit E M 8660; quanta igitur erit E M cum E D statuetur 92308? concludes ista thesi E M 79930: unde deducta E F 3378 per thesin, relinquetur F M 76561, unde in triangulo M F N tres cogniti termini dantur, videlicet latus F M 76561, & angulus M F N 2 gr. 43 ①, angulusque M N F rectus; Quorum ope latus M N optata linea per 4 planorum triangulorum propositionem invenitur 3629.

Notabis eundem modum quem invenienda linea M N usurpavimus omnibus locis inter F & D puncta intermediis locum habere.

6 PARADIGMA.

Sexto etiam invenienda sit recta O P, quæ ex deferentis 89 gr. (si initium putes à maxima inclinatione D) demissa sit. Cum autē hæc æqualis sit rectæ, ex E D semidiametri puncto O, tanquam termino sagittæ 89 grad. D O demissæ. Fingamus E D semidiametrum deferentis, ubi E O sinus sit 1 grad. (qui est dati arcus 89 grad. differentia à quadrante) id est partium 175. Quibus positis inquam; Posita semidiametro E D 10000 fit E O 175, quanta erit E O ad taxationem semidiametri E D 92308? Concludes E O 1615, qui numerus deductus de E F 3378 per thesin, dabitur O F 1763. quorum ope in triangulo O P F tres termini cogniti dantur, ut sunt latus F O 1763, angulus O F P 2 grad. 43 ①, & O P F angulus rectus. Vnde latus O P optata linea invenitur per 4 planorum triangulorum propositionem 84.

Notabis eundem modum quem hic in O F invenienda usurpavimus, ubique in locis inter E F interjectis locum habere.

CONCLUSIO. Invenimus igitur quantitatem rectæ ex quolibet Saturnini deferentis puncto in eclipticæ planum perpendiculariter demissæ idque in partibus semidiametri deferentis Terræ 10000, mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin, quod fecisse oportuit.

CONSECTARIUM.

Evidens est hinc quomodo tabella perpendicularium ex Saturni deferente ad singulos gradus, initio facto ab apogeo, institui & ordinari possit, ut inde cum opus erit ad usum accersantur. dicis gratiâ, ut invenias rectam, quæ à primo deferentis Saturni gradu cadat, in manus sumam diagramma 21 propositionis, ibique Q punctum signabo, ut ab apogæo deferentis A ad Q 1 gr. inter-


interſit; erit igitur N Q 51 grad. (nam N punctum per 23 propoſitionem 310um grum. obtinet; cujus differentiâ à circulo ſunt 50 gr. cum quibus compoſitus A Q 1 grad. dabit N Q 51 grad. ut prius adnotavimus.) Quare per hanc 24 propoſitionem inventa perpendiculari ex 51 gr. (auſpicio numerationis ducto à B) demiſſa; cujus modi exemplum in H B ab 30 grad. exhibuimus, habebis optatum: ea enim perpendicularis 1 gradus intervallo ab apogæo abeſt. eundem modum in cæteris omnibus ſequeris.

Notabis autẽ cum hæc non dicis tantum gratiâ, ſed ſerio, atq; iſta fini inſtituentur, ut ex hoc fundamẽto latitudines futuris deinceps temporibus derivẽtur, prius neceſſariũ fore obſervãdo inveniri, quem nunc locum apparẽs deferentis apogæum in ecliptica obtineat: deinde etiam quantum communis ejus & eclipticæ ſectio à *Ptolomæo* (cujus obſervationes, ob cauſas alibi dictas, exempli cauſa uſurpavi) uſque ad hæc tempora promoverit: nam ephemeridum autores communis hujus ſectionis & apogæi motum tanquam æquales uſurpant, hoc eſt ſemper 50 gr. intervallo disjungi. ſed hanc rem novis obſervationibus tentari cõſultius fuerit. ſi enim cõmunis hujus ſectionis & apogæi motus inæquales ſint, quod in Luna accidit, fortè ab hac cauſa fuerit, quod latitudo quam reapſe obtinet, ab ea quę in ephemeridibus exhibetur diverſa ſit.

25 PROPOSITIO.

Apparentem Saturni latitudinem in dato tempore, mathematico ratiocinio Tellure motâ invenire.

DATVM. Exponatur Saturni locus ad datum aliquod temporis momentum, ſub 340 gr. unde perpendicularis in eclipticæ planum demiſſa erit per 2 paradigma 24 propoſitionis 3949 partium. Ejus autem à Terra diſtantia, cujus inveniendæ rationem modumque 6 membro 15 propoſitionis expreſſimus, ſit illic X V, partium 80000.



QVAESITVM. Saturni apparens ab ecliptica latitudo ex iſtis eruenda eſt.

PRÆPARATIO. Figuretur triangulum rectangulum habens angulum rectum ad B, ubi A B latus aſſumatur datarum partium 3949, & A C 80000.

CONSTRVCTIO.

Triangulum A B C tres habet terminos cognitos, ut ſunt latus A B 3949, & A C 80000, & angulus ad B rectus; unde A C B angulus optatæ latitudinis, per 5 planorum triangulorum propoſitionem invenitur 2 grad. 50 ①. Vt verò ſciatur utrum iſta Borea ſit an Auſtrina, id ex loco ejus in deferente innoteſcet; evidens enim eſt è 23 propoſitionis conſectario illam inter 44 gr. 12 ① & 215 grad. 48 ① eſſe auſtrinam; & in reliqua deinceps deferentis parte (in quam hic 340us gr. incurrit) Boream. Cujus demonſtratio ex operis ſilo perſpicitur. CONCLVSIO. Quamobrem Saturni apparentem ab ecliptica longitudinem in dato tempore mathematico ratiocinio adſtantis Terræ hypotheſin invenimus. ut petebatur.

NOTA.

Cum problema istud de motu latitudinis Saturni reliquis quatuor planetis Iovi, Marti, Veneri & Mercurio commune sit, de istis nullas novas propositiones concipiam aut enuntiabo quemadmodū in breviario hujus quintæ distinctionis monui; sed si quis in illis clarioris explicationis indigeat, id annotatiunculæ nomine & specie complectar, sumpto à Iove exordio.

DE LATITUDINE IOVIS.

Ptolomæus observando motum latitudinis Iovis usquequaque similem invenit exposito motui Saturni; qui sigillatim hujusmodi fit.

Primò maxima Borea latitudo erat 2 grad. 4 ①, quæ in id temporis momentum incidebat, cum epicycli centrum secundum apparētiam 20 grad. ab apogæo distaret in antecedentia (hoc est in 141 grad. eclipticæ) Ioveque perigæum epicycli obtinente. cum verò à perigæo discessisset, latitudo Borea eo casu minor erat; & quidem minima cum in apogæo consisteret.

Secundò maximam latitudinem austrinam invenit 2 grad. 8 ①, quę id temporis momentum semper incurreret, cum centrum epicycli ad diametrū opponeretur suprascriptis 141 grad. id est sub eclipticæ 321 grad. Iove autem perigæum epicycli obtinente: cum verò alibi versaretur quam perigæo austrina ejus latitudo isto casu erat minor; & quidem minima si in apogæo constitisset.

Tertiò si centrum epicycli in nodis constitisset, Iovem (quemadmodum de Saturno diximus semper in plano eclipticæ omnis latitudinis expertem inveniebat, quemcunque tandem sui epicycli locum obtinuisset.

Theorica quam *Ptolomæus* secundum stantis Terræ hypothesin Iovi attribuit, eadem planè est cum theorica Saturni, atque adeò inutile esset illam hic iterato describere. Cumque hæ theoricæ in terræ motu usquaque consentiant, ex similitudine Saturni leges motus Iovis reperiri poterunt: atque adeo supervacuum fuerit ista sigillatim denuo hic iterare.

DE LATITUDINE MARTIS.

Martis motum latitudinis Saturno per omnia similem *Ptolomæus* observationibus edoctus est.

Primò enim maxima latitudo Borea erat 4 grad. 21 ①, quæ in id temporis momentum incurrebat cum centrum epicycli in deferentis apogæo constitisset (id est per syllabum 13 propositionis sub 115 grad. 30 ① eclipticæ) Marsq; ipse epicycli perigæum adiisset: sed si extra perigæum versaretur, latitudo Borea eo casu minor erat, & quidem minima cum illic in apogæo consisteret.

Secundo etiam austrinam maximam latitudinem deprehendebat 7 grad. 7 ①. quæ in id tempus incidebat, cum centrum epicycli addisset perigæum eccentrici suprascripto 115mo grad. 30 ① ad diametrum oppositus, id est sub 295 grad. 30 ① eclipticæ, & Mars in epicycli perigæo: si verò extra perigæum epicycli constitisset, austrina latitudo isto casu minor erat, & minima quidem si tunc in apogæo versaretur.

Tertiò verò si centrum epicycli in nodis constitisset tunc Martem (quemadmodum de Iove quoque diximus) in ipso eclipticæ plano omnis latitudinis expertem inveniebat.

Theori-


Theorica quam *Ptolemaus* motui latitudinis Martis attribuit eadem est, quæ Saturni,ut planè importunum videatur eandem hoc loco iterare: Atque adeo etiam cum theorica telluris motæ in Marte similis Saturno, atque inde illustris & perspicua sit, ista hic sigillatim iteranda non censeo. Tantum id moneo, hoc opus in Marte non nihil compendiosius absolvi & expediri, quia maximæ latitudines Martis cum apogæo & perigæo deferentis coincidant. Cum enim recta istos terminos connectens per 13 propositionis secundū syllabum cognita detur, ubi semidiameter Martis taxatur 15190 partibus, hujus duplum dabit dictæ lineæ magnitudinem 30380, ut in ista inquirenda 21 propositionem in consilium vocare opus non sit; neque 23 proposit.ad investigandas deferentis Martis maximarum inclinationum terminos, cum ii in apogæum & perigæum incidant.

DE LATITVDINE MERCVRII.

1 MEMBRVM.

De motu latitudinis Mercurii à *Ptolomæo* observando indigata.

Vt planius evidentiusque observatum à *Ptolomæo* latitudinis Saturni motum, ejusque theoricam ab eodem excogitatam explicemus, sit ABC deferens epicycli, cujus cētrum E, Terra eidem loco infixa & immobilis F, unde ad E inclinetur recta CFEA, ut A sit apogæum, C perigæum, perque F eductā rectā BFD ad ipsam AC normali, B, D puncta incurrent in 90 gr. & 270 gr. deferentis, & quamvis tantum illinc absint, quantum ab eccentricitate EF inde removetur, *Ptolomæum* tamen sequemur, qui hos terminos illis 90 & 270 graduū nominibus appellavit. Hinc ex puncto D ut centro scribatur epicyclus GHIK, cujus apogæum G, perigæum I, ejusque longitudines mediæ H, K, ut in quatuor istis punctis duæ diametri IG & HK terminentur.



Quibus positis, observando *Ptolomæus* invenit Mercurii maximam latitudinem austrinam 4 grad. 5 ①. quæ semper in id temporis punctum incurreret cum centrum epicycli 90 grad. à deferentis apogæo abesset, id est sive constitisset sub 270 grad. in D, seu in 90 grad. sub B (qui 90 grad in 280 grad. eclipticæ incurrunt, quia per Syllabum 13 propositionis apogæum incidat in 190 gr.) atque Mercurius ipse in epicycli perigæo sub I: At extra perigæum

F constitisset, austrina latitudo eo casu minor erat, & minima quidem, si tunc versaretur in apogæo G. Causa etiam cur dictæ latitudines æquales sint cum centrum epicycli in D aut in B consistet ex ipso diagrammate perspicitur, quia recta ab F pertinens ad D, æqualis sit ei quæ ab F porrigitur ad B. Inde enim sequitur apogæum & perigæum situm ex F Terra utrobique in D & B eodem modo & habitu spectari.

Secundo maximam Boream latitudinem inveniebat 1 grad. 45 ①, quæ semper in id tempus incideret cum centrū epicycli 90 gr. ab deferentis apogæo utrimlibet abesset, & Mercurius ipse in epicycli perigæo constitisset: cum verò extra perigæum versaretur, borea latitudo eo casu minor erat, & minima quidem si tum in apogæo consisteret.

2 MEMBRVM.

De theorica latitudinis *Ptolomæi*, quam ex observationibus 1 membri derivavit.

Cum istæ quas exposuimus observationes *Ptolomaicæ*, ex theoricis quas super his constituit etiam clarius elucescant. eas summatim comprehensas hoc loco subjiciam, ut sequitur.

Cum in deferente maximarum latitudinum puncta quæ ex terra mota spectantur sint B & D, consequens esset hujus & eclipticæ communem sectionem ad ipsam BD esse normalem, & cum *Ptolomæus* in motu latitudinis omnium planetarum eam conceperit transire per Terram F, isti instituto consequens foret rectam AFC esse communem deferentis & eclipticæ sectionem: ideoque etiam si centrum epicycli in punctis A aut C, & Mercurius in epicycli apogæo perigæové consisteret, cōsequens fuerit Mercurium tum ex Terra F spectatum necessariò in eclipticæ plano omnis latitudinis expertem videri. aliud tamen hic testabatur experientia, hic enim latitudinem austrinam semper deprehendebat 45 ①. ut hanc ob causam (ut reliquas de quibus in appendice motus latitudinis secundum stantis Terræ hypothesin dicetur) *Ptolomæus* Mercurio in motu latitudinis alias leges & à superioribus diversas assignarit. Statuit enim lineam BD per duos maximarum inclinationum terminos eductam esse communem sectionem deferentis & eclipticæ, quæ positio cum naturæ notionibus & regulis pugnat; contra verò epicyclo tres quasi fluctuantes motus attribuit, qui suis nominibus distinguuntur, suntque deviatio, declinatio, reflexio, atque hac ratione propositum sibi motum expressit eum ego sigillatim hic describam, à *Purbachio* hunc locum mutuatus, quem ille planè & intelligenter suis definitionibus exposuit & illustravit.

Primùm, ut à *deviatione* auspicium sumam, notato *Ptolomæum* deferenti attribuisse motum utrimque reciproce nutantem supra axem BD, non secus atque librile seu jugum bilancis ponderibus mutatis modò huc modò illuc propendet, qui motus deviatio hic dicitur. cujus leges hujusmodi sunt: Cum centrum epicycli in B aut D consistet, nulla erit deviatio, sed planum deferentis in eclipticæ plano jacebit: hinc centro epicycli ex B aut D digresso, deferens ipse deviabit & in austrum verget, usq; dum centrum epicycli ad apogæum A vel ad perigæum C appulerit, quo loco deviatio maxima erit 45 ①. inde jam deinceps minuetur & decrescet, donec centrum epicycli devenerit

ad nodos

ad nodos B vel D, ubi deviatio omnino evanescit. Ex quibus evidens est motum, quo centrum epicycli à deferente afficitur nunquam versus boream vergere.

Sequitur *inclinatio*, hîc planum epicycli à deferentis sui plano duobus modis quasi nutans declinat: primò super H K per longitudines medias H, K educta. isto motu apogæum G qui est terminus diametri I G in unam partem declinat, & perigæum I in alteram. dictæ inclinationis motus has sequitur leges. Cum centrum epicycli D consistet in apogæo deferentis A, suprascripta I G in deferentis plano porrecta jacebit: cum autem centrum epicycli discedet ab apogæo A, inde etiam centrum epicycli declinabit in Austrum, & perigæum in Boream, quæ declinatio deinceps augetur usque dum centrum epicycli devenerit ad longitudinem mediam B, in quem locum incidit maxima declinatio diametri I G, quæ inde deinceps cōtinuo minuitur & decrescit donec centrum epicycli devenerit ad deferentis perigæum C, ubi dicta diametros I G omnino nō declinat, sed dum centrū epicycli ab C ad D longitudinem mediam commovetur, tum simul apogæum G à deferentis plano in boream declinat, & perigæum I versus austrum, hæc declinatio deinceps continuo augetur, donec centrum epicycli ad nodum D devenerit, ubi rursum declinatio est maxima. Inde rursum decrescit, donec centrum epicycli restituatur suo apogæo in A, ubi dicta diameter, ut I G, in deferentis plano tota porrigitur; Indeq; rursum ad expositas leges denuo redit. Ex dictis planum est, epicyclum in maxima deferentis deviatione omnis inclinationis expertem esse; contraque maximam esse epicycli inclinationem ubi deferentis deviatio omnino nulla sit.


Superest denique tertia ratio in reflexione. planum epicycli præter istam vacillationem quā super axe H K nutat, etiam alteram habet inter apogæū & perigæum epicycli super axe I G (cōsimilem plane duabus illis nutationibus quas nautica pyxis habet duobus axibus inter se normalibus constitutis) quo motu efficitur ut diameter H K deferentis planum intersecet in I G cōmuni sectione, ut pars deferentis sinistra huc & dextra illuc à deferente reflectat. leges deflexionis diametri hujus tales sunt. cum centrum epicycli adierit longitudinem mediam D, suprascripta H K jacebit in plano deferentis A B C D neque quoquam deflectet: sed centro epicycli ab D discedente versus apogæum A, inde sinistra pars diametri H D reflectetur versus austrum, quæ reflexio inde continuo incrementum sumet, donec centrum epicycli adierit ad apogæum A, quo loco maxima sit. unde porro B versum discedens deinceps continuò minuitur donec illum ipsum nodum B adierit, ubi reflexio planè nulla sit. Inde autem centro epicycli digresso versus perigæum C, tum sinistra semidiametros (ut H D) rursum in Boream reflectitur, deincepsque continuo usque ad perigæum C augetur, quo loco etiam maxima est. Hinc vicissim decrescit donec centrum epicycli incurrat in longitudinem mediam D, ubi reflexio nulla sit; inde porro per expositas motuum leges omnia redeunt. Unde manifestum est maximam reflexionem cadere in eum deferentis locum, ubi epicycli declinatio nulla sit.


3 MEM-

3 MEMBRUM.

In quo motus latitudinis secundum motæ Terræ hypothesin explicatur.

Cum supra 1 membro omnes anomalias a Ptolomæo notatas & animadversas descripserimus (eique 2 membrum majoris claritatis ergo de theorica ejus subdiderimus) eæ ad motæ Telluris hypothesis secundum expositum generale theorema applicatæ, quænam motus leges absolvent: sed tamen quia inferiores planetæ interiore orbe currunt, & intra Terræ deferentem continentur, quædam varietas in ipsorum abacis inde inducitur, maximè verò cum deferens Mercurii se in Terræ deferentis centrum non induat, qui locus non-





nullis obscurior & lucis indigere videatur. Quamobrem Terræ deferens esto A B C D, cujus centrum E, & centrum deferentis Mercurii F, super quo decircinetur ejus deferens G H I K, hinc per E, F ejiciatur A C diameter, & recta B D per E punctum normalis ad A C, eritque tum I punctum ab E terræ centro remotissimum, & G eidem proximum: Porrò cum *Ptolomæus* deprehenderit maximas Mercurii latitudines incidere in illum temporis articulum

ticulum cum centrum epicycli medias longitudines adiffet, fequitur igitur fecundum motæ Telluris hypothefin, iftas maximas latitudines femper videri Mercurio in mediis deferentis fui longitudinibus H & K conftituto, & Terra ipfa in terminis B vel D. Quamobrem cum puncta H K termini fint in quibus Mercurii maximæ latitudines à Terræ deferente videantur, ftatuimus duorum planorum cõmunem fectionem neceffariò ipfi B D normalem effe, qualis fit G I vel alia aliqua contra ipfam parallela : non autem H K qualem *Ptolomæus* eam commentus eft. Sed ut deinceps jam inquiramus in quem locum illa communis deferentis & eclipticæ fectio cadat, quantumque ipfe Mercurii deferens ab ecliptice plano declinet, quemadmodum 21 & 22 propofitione in Saturno ufurpavimus, omnium primum quæram quantitatem lineæ H K, atque ifti fint ita inquam: Triangulum E K F tres habet terminos cognitos, femidiametrum deferentis Mercurii F K 574, eccentricitatem E F 947 per fyllabum fecundum 13 propofitionis, & angulum K E F rectum: Vnde latus E K per 5 planorum triangulorum propofitionem invenitur 3444.

Huc tantundem addas pro E H, conflabitur optata H K 6888.

Inde deducta E K 3444 numero ordine primo de E D 10000 reliqua erit recta K D, vel etiam H B 6556.

His cognitis, alteram diagrapham figurabo quemadmodum 22 propofitione in Saturno ufurpavimus: ducta quippe L M, quæ Terræ deferens fit in cultrum fpectatus, fitque ipfi B D 20000 æqualis, inque medio ipfius L M affignetur N centrum deferentis Terræ, tumq; agatur O P 6888 æqualis ipfi H K numero ordinis fecundo, quæ L M fecet in Q: & L O ponatur ipfi H B 6556 numero ordinis tertio æqualis, atque M P ipfi K D id eft iifdem 6556; jam quantitatem anguli O L Q definio 1 grad. 45 ①, & P M Q 4 grad. 5 ① per 1 membri obfervata: Quibus conceffis quadrangulum decuffatum L O M P quinque habet cognitos terminos, videlicet L M 20000, L O 6556, M P 6556, & angulum O L Q 1 grad. 45 ①, & P M Q 4 gr. 5 ① per thefin. Notabis tamen præter iftos quinque terminos, fubfidia quædam & operis levamina fubminiftrari à tribus aliis terminis cognitis O P 6888, P L 13444 quippe quæ ut proximè æqualis fit ipfis O P 6888 & O L 6556; denique O M quæ tantundem valeat. Vnde angulus O Q L optata deferentis Mercurii ad eclipticam inclinatio per 6 propofitionem additamenti de planis multangulis invenietur 5 gr. 32 ①.

Et recta Q M 11364, unde deducta M N 10000, reliqua erit recta à nodo Q ad centrum Terræ N 1364.

Ifta funt quæ fpeciatim in Mercurio annotanda duxi; reliqua enim illa latitudinis Saturni accidentia, quæ fex propofitionibus complexi fumus, tanquam generalia theoremata ad Mercurium quoque & reliquos planetas pertinere intelligantur.

Cæterum de convenientia & differentia hujus motus latitudinis Mercurii cum *Ptolemaica*, in fequenti additamento fecundum ftantis Terræ hypothefin dicetur.

DE LA-

DE LATITVDINE VENERIS.

Ptolomæus motum Veneris in latitudinem ex ipsis observationibus Mercurio usquequaque simillimam invenit, qui sigillatim talis sit.

Primò maxima latitudo Borea inveniebatur 6 gr. 22 ① quæ in illum temporis articulum incurrebat, cum centrum epicycli 90 gradibus ab apogæo deferentis utrimlibet abesset, hoc est sub 270 grad. seu sub 90 gr. (90^{mus} autem autem iste gradus in 145 eclipticæ gradum cadit, siquidem per 13 propositionis syllabum apogæum sub 55 gr. consistit) & Venus ipsa in epicycli perigæo: sed si extra perigæum epicycli versaretur Borea latitudo eo casu erat minor, & minima quidem, si cum apogæum adisset.

Secundo in parte Austrina latitudinem maximam inveniebat 1 gr. 2 ①, quæ in illud temporis momentum incidebat, cum centrum epicycli 90 gradibus ab apogæo deferentis utrimlibet abesse, Venusq; ipsa epicycli perigæum adisset: sed si extra perigæum versaretur, austrina latitudo eo casu minor erat, & quidem minima si cum in apogæo inveniretur.

Theorica quam *Ptolomæus* Veneri secundum stantis Terræ hypothesin assignavit, in deviatione, inclinatione, reflexione, cæterisque earum accidentibus Mercurio plane consimilis est, ut omnino alienum & supervacuum videatur istam hìc denuo iterare. Porrò autem, quia theorica ejusdem Tellure motâ, Saturno, Mercurioque simillima, indeque clara & illustris est, abs re esset eam hìc sigillatim pertractare.

De convenientia & differentia hypothesis istius in motu Veneris cum *Ptolemäicis* theoricis in sequenti additamento nobis plenius dicetur.

ADDITAMENTVM
MOTVS LATITVDINIS QVINQVE PLANETARVM,

Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii secundum ſtantis Terræ hypotheſin.

Cc

BREVIARIVM HVIVS ADDITAMENTI.

A*Bacum longitudinis planetarum ad commentitiam stantis Terræ hypothesin perceptibiliorem esse, quam ad genuinam Tellurem motam, 9 propositione tertii libri asseruimus: id m quoque in latitudinis motu locum habere non nemo facile suspicabitur, ut calculus ejusdem immota terra commodior sit expeditiorque, quam ipsa cõmota; atq; ideò ex legittimi ordinis legibus non hunc locum ipsi deberi, sed ad finem secundi libri subnecti debuisse videatur. Ut huic scrupulo occurramus notandum venit, planam hujus rei tractationem ex motu latitudinis Tellure motâ derivari, qui tum nondum expositus erat, neque ex instituto nostro antea pertractari debuit; ut eam ob causam illic commodè explicari haud quaquam potuerit. Jam verò quia motus latitudinis tertio libro à nobis descriptus est, licet nobis ista inde derivare quantum latitudinis ratio stante Terra opus habebit: atque eam ob causam hunc ei locum assignavi. Tractatum porrò hunc in sex propositiones partiti sumus, quarum prima duæ in Theorematum, postremæ duæ in problematum censum referantur. harum*

Prima erit, circulos illos qui in stantis Terræ hypothesi epicyclorum deferentes vocantur, epicyclos esse; & qui illic epicycli, hîc deferentes esse.

Secunda, planum epicycli quinque planetarum Saturni, Jovis, Martis, Venus & Mercurii stante Terra cõtra ecliptica planũ semper esse parallelum.

Tertia, positis duobus circulis æqualibus & parallelis rectam à centro infimi ad peripheriam summi æqualem & parallelam esse rectæ, quæ à puncto ipsi in peripheria inferioris similiter sito ad centrum superioris connectatur.

Quarta, Planetas secundum stantis Terræ hypothesin eandem in ecliptica longitudinem obtinere, quam Terrâ motâ.

Quinta, data planetæ maxima borea & austrina latitudine, deferentis sui inclinationem ad eclipticam invenire, quantoque intervallo communis utriusque sectio à terra cadat, idque mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin.

Sexta, de invenienda apparentis planetæ latitudine ad datum tempus mathematico ratiocinio, stante Terra.

THEO-

THEOREMA. I PROPOSITIO.

Circuli inferiorum planetarum Veneris & Mercurii, qui in stantis Terræ hypothesi epicyclorum deferentes vocantur, sunt epicycli; & contra qui epicycli, deferentes.

Ex antecedentis motæ Telluris hypothesi evidens est epicyclos trium superiorum planetarum non veros sed commentitios esse, & Terræ differenti æquales tantum fingi: secus autem inferioribus contingit, qui enim Veneris aut Mercurii epicyclus dicitur non fictus neque Terræ deferenti æqualis est, sed ut proprie loquamur deferens est, quem ipsi decurrunt, & qui in stantis Terræ hypothesi, juxta ordinem trium superiorum deferens epicycli vocari debeat: Atque ideo si præceptum motus longitudinis trium superiorum in stantis Terræ hypothesi duobus inferioribus communem velimus, idem loquendi genus nobis esset usurpandum, hoc est minor circulus qui & deferens est ita quoque appellandus foret; major autem, qui Terræ deferens sit, epicyclus nominandus; his ita constitutis, si usurpes superiorum planetarum analogiam præceptum erit omnibus commune. Sed ut de ista hypothesi etiam planius loquar, sic inquam: Cum cujusque planetæ epicyclus deferenti Terræ æqualis sit, consequens est illos inter se æquari, unde efficitur inferiorum planetarum deferentes cum epicyclis suis comparatos, minores esse deferentibus superiorum planetarum.


Exempli causa in proxima figura centro A decircinetur Saturni deferens B C, cujus semidiameter A B per syllabum secundum 13 propositionis libri 3 sit 92308, & centro B intervallo D B describatur epicyclus cujus semidiameter, semidiametro deferentis Terræ 10000 æqualis sit.


Secundo centro A describatur deferens Iovis E F, cujus semidiameter A F per secundum syllabum 13 propositionis sit 52174, centroque E semidiametro E G 10000 epicyclus decircinetur.

Tertio centro A Martis deferens H I decircinetur, cujus semidiameter A H per syllabum secundum 13 propositionis sit 15190, & centro H intervallo H K 10000 epicyclus describatur.

Quarto centro L describatur M N deferens Veneris cujus semidiameter per syllabum secundum 13 propositionis sit 7194, centroque M intervallo M O 10000 epicyclus qui ambitu suo complectatur centrum deferentis, contra quam in tribus antecedentibus figurationibus: Evidens autem nunc est præceptum de motu longitudinis omnibus istis quatuor esse commune.

Quinto centro P describatur Mercurii deferens Q R, cujus semidiameter P Q per 2 syllabum 13 propositionis valet 3572, centroque Q intervallo Q S 10000 epicyclus describatur, qui universum deferentem Q R ambitu suo complectatur, contra quam in quatuor præmissis figurationibus factum sit: nihilominus planum est theorema motus longitudinis omnibus istis quinque esse cõmune, neq; hanc viam adeo intricatam esse, quod contingit aliam sequentibus. Inveteratus iste abusus suas habet rationes & quidem planas, nam cum primi cœlestiũ motuum indagatores de motu Terræ nihil haberent compertum, haud potuerant commodiorem inire viam, quam ut ista sectarẽtur quæ ipsis probabilissima visa essent. Quin id quoque notandum





præcepta de motu latitudinis (quemadmodum & lõgitudinis) ad stantis Terræ hypothesin inde generalem & omnibus esse communem, ut in sequentibus perspicietur. CONCLVSIO. Quare illi circuli inferiorum planetarum Veneris & Mercurii, qui in stantis Terræ hypothesi epicyclorum deferentes vocantur, sunt epicycli: & qui illic epicycli deferentes erunt.

THEO-

THEOREMA. 2 PROPOSITIO.

Planum epicycli quinque planetarum Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii, in stantis Terræ hypothesi plano eclipticæ semper est parallelum.

Cum enim epicyclum concentricum aequalem deferenti Terræ, planetæq; motum in illo, Terræ motui in mobili deferente æqualem & similem statuerimus, consequens est horum circulorum parallelismum admitti: alias enim motus longitudinis neutiquam similis esse posset, veruntamen cum iste parallelismus ex antecedentibus facile demõstrati possit illam viam potius insistam, & usurpabo ad hanc rem 15 propositionem 3 libri. Nam per 22 propos. 3 lib. scitur quanta latitudo sit Martis in N, spectatus ex Terra mobili O, sed quanta ea hic est, tanta quoque ejusdem latitudo esse debet in I, cum secundum stantis Terræ hypothesin spectabitur ex A. Et quia A I, O N inter se æquales sunt, consequens est rectam ab I in planum eclipticæ perpendicularem, æquari rectæ ab N ad eclipticæ planum perpendiculari. Secundò, quanta ex Terra mobili P videtur recta ab N ad eclipticam cadens, tantam quoq; ajo ex Terra stante videri lineam ab F demissam, quia A F P N æquales sint.

Sed cum utraque ab F & ab N ad planum eclipticæ perpendicularis, æqualis sit rectæ quæ ab N perpendicularis ad eclipticam cadit, consequens est duas has rectas ab F & N perpendiculares inter se æquari, & consequenter tota semidiameter epicycli I F plano eclipticæ erit parallela. Eademque ratione manifestum est demonstrati posse diametrum per H ipsi F I perpendicularem (concipe illic eductam) plano eclipticæ quoque parallelam esse: si namque per K diameter ad O P perpendicularis agatur, Terramque mobilem in ejus termino constituas (quod brevitatis studio omissum est) demonstratio eadem esset quæ supra. Quamobrem cum diameter F I & altera diameter per H educenda, utraque contra eclipticam parallela sit, ipsum igitur epicycli F I planum eclipticæ plano erit parallelam. Eadem demonstratio in cæteris omnibus locis ubicunque epicycli centrum statuatur, valebit. Denique quemadmodum 15 propositionis diagramma superioribus, ita 16 propositionis diagrapha duobus inferioribus planetis serviet.

CONCLVSIO. Planum igitur epicycli quinque planetarum Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii, in stantis Terræ hypothesi eclipticæ plano semper est parallelum.

THEOREMA. 3 PROPOSITIO.

Si duo circuli æquales sint & paralleli, recta à centro imi ad peripheriam summi æqualis erit & parallela rectæ à puncto transversim similiter sito in peripheria imi ad centrum summi connexæ.

DATVM. Sit A B circulus supremus in cultrum spectatus, cujus centrum C, extrema A, B; circulus imus E D æqualis & parallelus ipsi A B,

 & cen-



& centrum sit F extrema autem E & D. Iam FB recta connectat centrum F inferioris circuli cum aliquo superioris puncto, quod hic statuimus, nunc autem infimum B: similiter DC recta connectat: D punctum ipsi B simili situ transversim respondens cum centro summi circuli C. Notabis autem D punctum ipsi B transversim simili situ respondens vocari, quia E proprie ipsi B eundem situm obtinet, nam B & D imas partes suorum circulorum designant.

QVAESITVM. FD & DC æquales & parallelas esse demonstrandum est.

DEMONSTRATIO. Cum CB & DF semidiametri per thesin sint æquales & parallelæ, etiam FB & DC quæ ab illis cõterminantur eoq; ęquales erunt & parallelę. Eadem demonstratio in omnibus terminis in quolibet peripheriæ loco simili situ respondentibus locum habet. CONCLVSIO. Itaque si duo circuli æquales sint & paralleli, recta à centro imi ad peripheriam summi æqualis erit & parallela rectæ connexæ à puncto transversim similiter sito in peripheria imi ad centrum summi.

THEOREMA. 4 PROPOSITIO.


Planetæ in stantis Terræ hypothesi eandem habent apparentem in ecliptica latitudinem, quam Terra mobili.

Sol vel Terra in hoc Theoremate locum non habent, quia nulla unquam latitudine afficiuntur. & Lunam quoque utraque hypothesi eandem obtinere latitudinem ex antecedentibus patuit, quare hujus theorematis veritas duntaxat in quinque reliquis demonstranda erit.

DATVM. Ecliptica A B spectetur in cultrum, & reliqui omnes circuli, ut CD Terræ deferens, cujus centrum E, perque id agatur deferens planetæ FG ut in primo diagrammate, quod tribus superioribus planetis commune est, vel extra ipsum ut in secundo diagrammate, quod Mercurio proprium est: hic jam planeta statuatur in summo termino F, & terra in sui deferentis supremo termino C. hæc est deformatio hypothesis Telluris motæ: sequitur hypothesis Terræ immobilis. atque isti fini usurpabo E centrum deferentis Terræ pro ipsa Terra, iste enim locus secundum hanc hypothesin ipsi debetur per 15 propos. 3 libri. & FG quæ prius deferẽs fuerat ipsius planetæ, hic deferat ejus epicyclum: Porrò quia statuimus planetam in summo deferentis puncto F, sequitur centrum epicycli consistere in puncto F ipsumque epicyclum æqualem esse & parallelum deferenti C D, per 2 additamenti hujus propositionem. Præterea cum Terra mota posita sit in C, planeta obtinebit locum I, punctum quippe ipsi C transversim similiter situm, cujus causa 15 propositione 3 libri perspicitur.

QVAESI-

1 FORM. 2 FORM.



QUÆSITUM. Planetam I Terra ad E affixa eadem ab ecliptica latitudine videri, quà planeta F Terra mobili devoluta ad C.

PRAEPARATIO. Agantur duæ rectę E I & C F.

DEMONSTRATIO. Cum enim C D & H I æquales & parallelæ sint, ipsorum semisses E C & F I quoque æquales erunt & parallelæ, rectæque duę E I C F ipsis conterminæ erunt parallelæ, atque ideo angulus A E I apparens planetæ latitudo spectata ex Terra E æquabitur angulo A C F, quæ apparens planetæ latitudo est spectata ex Tellure mobili C. Cæterum quæ demonstratio nobis hic in summo & imo illorum circulorum punctis usurpata est, eadem omnibus locis valebit; quemadmodum enim in hisce duobus parallelis circulis C D, H I, recta E I inter infimi centrum E, & I punctum in peripheria summi, æqualis est, & parallela contra C F à puncto C ipsi transversim similiter sito in imo, & centrum F in summo, ita rectæ istiusmodi per 3 hujus additamenti propositionem ubiq; parallelę sunt.

CONCLVSIO. Planetæ igitur in stantis Terræ hypothesi eandem obtinent apparentem in ecliptica longitudinem quam Terra immota. Quod demonstrandum fuit.


5 PROPOSITIO.

Data maxima planetæ borea & austrina latitudine declinationem deferentis ab ecliptica, quantumque communis ipsorum sectio à Terra absit mathematico ratiocinio ad stantis Terræ hypothesin invenire.

Trium superiorum planetarũ deferens per Terram diditur, vel saltem haud longule à Terrâ, inferiorum verò Terram non adit; quare duo hîc diagrammata deformanda nobis erunt.

1 Paradigm[illegible] ribus planetis.

DATUM. Exponatur A B [illegible] in cultrum, cujus centrum Terra eidem [illegible] fixa C, [illegible] Saturni deferens D E exporigatur [illegible] boream, C E in austrum ver[illegible] A C D, B C E deferentis [illegible] significent, atque ex remotissimo [illegible] termino tanquam centro, de[illegible] epicyclus F G parallelus contra ecli[illegible] A B, cujus apogæum F perigæum G, [illegible] jungatur G C, angulusque A C G sit 3 gr. [illegible] supra 20 propositione 3 libri ex ipsis ob[illegible] annotavimus. simili plane modo [illegible] remotissimo in austrum termino E tanquam centro scribatur epicyclus H I, parallelus contra eclipticam A B, cujus apogæum I, perigæum H, unde jungatur H C, angulusq; B C H sit 3 grad. 5 ①, qualem ex observatis in suprascripta 20 propos. proposuimus.



QVAESITVM. Declinatio deferentis D E ab ecliptica, hoc est angulus A C D inveniendus est.

CONSTRVCTIO.

Ttriangulum C D G tres habet terminos cognitos, ut sunt D G 10000 per thesin, & C G quantitas rectæ ipso observationis momento à Terra ad perigæũ epicycli pertingẽs, cujus investigatio per 13 prop. 3 libri in genere docetur, & speciatim 21 prop. invenitur 88718. vel etiam aliter, ut operatio expeditior sit, usurpato lineam C D, quæ 10000 major est, hoc est 98718, & angulum D G C 176 gr. 58 ①, utpote æqualem angulo G C B, quæ maxime latitudinis A G C 3 grad. 2 ①. differentia est à semicirculo: unde angulus C D G invenitur per planorum triangulorum 5 propos. 2 gr. 45 ①, quæ quantitatem anguli A C D optatam deferentis ab ecliptica declinationem definit, quæ planè consentiunt cum 2 gr. 43 ① numero supra in 22 propositione 3 libri invento. Iam porrò similem operis pragmatiam etiam altrinsecus instituo, investigando angulum B C E, atque ei fini sic agam. Triangulum C H E tres habet cognitos terminos, ut sunt E H 10000 per thesin, C H 75210 per consectarium 13 propositionis 3 libri, & angulum C H E 176 gr. 55 ①, qui æqualis est angulo A C H, quę est anguli maximæ latitudinis 3 gr. 5 ① differentia à semicirculo: quorum ope, per 5 propos. planorum triangulorum invenitur angulus H E C seu B C E 2 grad. 43 ①, qui æqualis deprehenditur

angulo

angulo A C D 2 gr. 43 ①. atque adeò secundum hujus calculi abacos G H per Terram fixam C exporrigatur. Atqui si hi anguli mutuo sibi non æquales inveniantur, quemadmodum in duobus inferioribus contingit, tum secundi paradigmatis vestigia tibi æmulanda erunt.

1 NOTA.

Animadvertito deferẽtis Saturni declinationem ab ecliptica in stantis Terræ hypothesi etiam alio inveniri modo, unde utriusque hypothesis communio motæ & immotæ Telluris clarius multò perspicitur, agatur enim præparationis ergô recta D K æqualis & parallela contra G C: nec non E L æqualis & parallela contra H C. quibus positis quadrangulũ decussatum K D E L, æquale erit & simile quadrangulo A D E B in 22 propositionis diagrammate 3 libri, si igitur inde acquiras declinationem deferentis D C ab ecliptica, secundum 22 propositionis rationem, quod hinc existet erit optatum, & numero per superiorem 1 paradigmatis viam invento necessario consentiet. atque hinc vel ipsis oculis perspicitur quomodo in diagrammate motæ Telluris quadrangulum decussatum K D E L cum Terræ deferente K L idem concludat, quod in hypothesi fixæ Telluris C, cum epicyclo G D F ab una parte, atque H E I altrinsecus. nam triangulum C D G æquale est & simile triangulo D C K, & C E H ipsi E C L: unde evidens est declinationem ipsius C D quæ ex cognitis trianguli D C K terminis invenitur, eandem esse cum ea quę ex terminis trianguli C D G invenietur, simile judicium in reliquis duobus triangulis esto. ac quale in Saturno paradigma fuit, idem in reliquis duobus Iove & Marte quoque obtineto.

2 PARADIGMA.

Licet quamvis characteres in hujus 2 paradigmatis diagrammate plane easdem sibi notiones habeant subjectas, quas prius, non est tamen cur quis istas hic iterari supervacaneum judicare debeat, primo ob variationem partium ipsius diagrammatis, nam hic deferens ipso epicyclo multò minor est, cum in 1 paradigmate longe major esset: secundo etiam hôc accedit quod deferens hîc per Terram nõ porrigatur, atq; ideo 2 hoc paradigma delineavi.


DATVM. Partes subjectæ figuræ A B C D E F G H I K L in Mercurii hypothesi easdem habeant notiones quales supra in Saturno obtinuere; hoc tamen unicum habeant diversum, quod hîc deferens D E (qui juxta primi paradigmatis lineamenta inventus esto) in Terram se non induat, sed à latere eclipticam secet in M. secundo cum Saturni epicyclus suo deferente longe minor esset, contrà hîc longè major est, quippe F G ad D E eam habet rationem, quam in prima hujus additamenti propositione P Q ad Q R, præterea angulus B C G valet 1 gr. 43 ①, & A C H 4 grad. 5 ①, quemadmodum ex observatis ad 25 propositionem 3 libri edocti sumus.

QVAESITVM. Deferentis D E declinatio ab ecliptica, hoc est angulus A M D inveniendus est.

CONSTRVCTIO.

Ex notis trianguli D C G terminis tribus, invenietur ut in 1 paradigmate angulus	C D G.
Et angulus	D C G.

Cum



Cum eo compositus angulus datus BCG.
Dabit angulum BCD.
Qui de 180 gr. deductus relinquet angulū DCK.
Ad eum additus angulus datus KCH.
Componit angulum DCH.
Ex tribus cognitis terminis triãguli ECH juxta primi paradigmatis modum invenietur angulus HCE.
Qui ad DCH terminum ordine septimum additus dabit angulum DCE.
In triangulo DCE tres dantur cogniti termini, angulus DCE ordine nonus, & duæ rectæ CD, CE à Terra ad centrum epicycli connexæ, quæ per 13 propositionem 3 libri cognoscuntur: Atque hinc datur angulus CDE.
Cum quo compositus CDG ordine primus, dat angulū EDG, hoc est MDG, qui æqualis est ipsi AMD, nam MD ad parallelas KM, DG pertingit. cognoscitur igitur optata declinatio AMD.
Neque obscurum est quomodo investiganda sit quantitas lineæ MC, hoc est quanto intervallo illa communis eclipticæ sectio à Terra disjungatur: Triangulum enim DCM habet tres cognitos terminos, ut sunt angulus CDM, qui idem est cum CDE hujus ordinis octavo; item MCD, qui idem est cum CDG, hujus ordinis primo, quia CD cadit inter parallelas KC, DG; denique tertio datur latus CD, ex istis tribus terminis dabitur recta MC.

Non ignorandum deferentis Mercurii declinationem ab ecliptica etiam alio modo secundū statutis Terræ hypothesin inveniri posse, unde utriusque hypotheseos motę & immotę Telluris cōsensus evidentius arguatur. Agatur enim præparationis ergô recta DK æqualis & parallela contra GC: & EL æqualis & parallela contra HC; quibus constitutis quadrangulum decussatum KDEL æquale & simile erit quadrangulo decussato LOMP tertii membri de latitudine Mercurii ad 25 propos. 3 libri, atque ideo quæsitã hinc deferentis MD declinatione ab ecliptica ad citati 3 membri similitudinem, quod hinc existet quæsito satisfaciet, eritque idem eum numero ex antecedente pragmatia invento. Atque hinc planissime perspicitur diagramma secundum motæ Telluris hypothesin eundem omnino præstare numerum, quem immoræ telluris deformatio produeit. qua de re ad finem primi paradigmatis plenius diximus.

Similis operis analogia & ratio in Venere quoque obtinebit.

CONCLVSIO. Data igitur maxima planetæ borea & austrina latitudine

ejus ab eclipticæ declinationem, quantumque communis sectio à Terra cadat mathematico ratiocinio ad ſtantis Terræ hypotheſin invenimus. ut petebatur.

6 PROPOSITIO.

Apparentem planetæ latitudinem ad datum tempus mathematico ratiocinio ſecundum ſtantis Terræ hypotheſin invenire.

Vt propoſitum aſſequamur inveſtiganda eſt primum recta à loco planetæ in epicyclo ad eclipticam perpẽdicularis. ut dicis gratiâ in diagraphâ 5 propoſitionis additamenti hujus, recta imaginaria ab F in A B planum eclipticæ demiſſa. Sed iſtiuſmodi linea in omnibus epicycli locis æqualis eſt rectæ à centro epicycli D in A B demiſſæ, nam D F, A B parallelæ ſunt, quare hæc tantum illius loco invenienda erit, atque iſto modo hujus inveſtigatio omnino haud diverſa erit ab illa, quam in motæ Telluris hypotheſi 24 propoſitione 3 libri uſurpavimus. Similitudinis hujus cauſa inde etiam planior eſt, quod planeta ipſe in motę Telluris hypotheſi, ſubeat locum centri epicycli in hypotheſi Terræ immobilis. Cum igitur illa linea ita in notitiam veniat, atque per 13 propoſitionem 3 libri inſuper detur recta à Terra immota ad planetam pertingens, erunt in triangulo rectangulo, quod ſub iſtis duabus rectis & tertia hypothenuſa comprehenditur, tres termini cogniti, unde optata latitudo non ſecus ac in 25 propoſ. 3 libri eruitur, ut planè abs re arbitrer pragmatiam iſtam univerſam iterare. CONCLVSIO. Invenimus igitur ad datum tempus apparentem planetæ ab ecliptica latitudinem, & quidem mathematico ratiocinio ad ſtantis Terræ hypotheſin, ut petebatur.

COMPARATIO

Quarundam ſimilitudinum & diſſimilitudinum latitudinis hujus noſtræ, cum *Ptolomæo*.

Cum in iſto latitudinis tractatu, nonnunquam diverſum aliquid, & à *Ptolomæi* latitudinis doctrina diſcrepans occurreret, convenientius credidi iſta hic in unum locum conjicere, quam ut antecedenti doctrinæ immiſcerem. Ideoque illa ſigillatim in ſua membra ita partitus ſum, ut ſequitur.

1 MEMBRVM.

Quamvis cauſæ motus latitudinis planetarum ex motæ Telluris hypotheſi derivandæ ſint, quæ *Ptolomæi* ætate omninò ignota & exploſa videbatur, tamen in trium ſuperiorum theorica proximè verum collimavit, dum epicyclum contra eclipticam quam proximè æquidiſtanter moveri ſtatuit proximè inquam, nam, ut 3 capite 13 libri apud ipſum perſpicitur, angulus ſub inclinatione epicycli & deferentis in Saturno ſummum duntaxat 2 grad. 4 ① major eſt angulo qui à deferente & ecliptica comprehenditur. In Iove differentia aſſurgebat tantum ad 1 grad. 16 ①, in Marte ad 1 gr. 15 ①; quinimo cum epicyclus eclipticam adiſſet, in ejus plano omnino porrectus jacebat: Quod ſi verò epicyclum uſquequaque contra eclipticam parallelum conſtituiſſet, quemadmodum hujus additamenti 2 propoſ. demonſtravimus, non neceſſe fuiſſet

ruisset ipsum tentando & palpando declinationem deferentium eodem 3 capite investigare, atque reliquus de latitudine planetarum epilogismus, tum usquequaque cum isto consensisset, neque in cæteris tanta diversitas extitisset, quantam sequenti a membro arguemus.

2 MEMBRUM.

Ptolomæi canonion 5 propos. 13 libri de motu latitudinis Saturni suæ theoricæ usquequaque respondere non videtur. quod ut clarius explicem, nobis ipsum 4 propositione 13 libri epicycli declinationem ab ecliptica, quæ in primo diagrammate 5 propositionis hujus additamenti per A C D designatur, assumere 2 gr. 26 ①.

Angulum C D G 4 gr. 30 ①.

Hujus à semicirculo differentia est pro angulo C D F 175 gr. 30 ①.

Si jam à Terra C, ad apogæum epicycli F, cum centrum epicycli adierit apogæum eccentrici D, acta esset recta C F, ejus quantitas per secundum syllabum 13 propositionis 3 libri inveniretur 108718.

Atque inde tale triangulum C D F tres cognitos haberet terminos, utpote angulum C D F 175 gr. 30 ① ordine tertium, D F 10000, & C F 108718 ordine quartum: Unde angulus D C F per 5 planorum triangulorum propositionem invenitur 25 ①.

Qui de angulo A C D 2 grad. 26 ① numero hoc ordine primo deductus, reliquum faciet angulum A C F 2 gr. 1 ①.

Ac tanta quidem fuerit latitudo Saturni secundum *Ptolomæi* theoricas, cum ipse apogæum epicycli F & epicyclus apogæum deferentis D adierit. Atqui secundum canonion *Ptolomæi* suprascriptum tum omnis latitudinis expers erit. quare illi canones tantum à sua theorica diversi abeunt.

Quod si simili modo altrinsecus periculum facias cum Saturnus adierit epicycli apogæum I, invenies ejus latitudinem 1 grad. 58 ①. quo tamen loco in tabulis latitudinem nullam habet. Vt, quod & initio demonstrare statueram *Ptolomæi* canonion latitudinis Saturni non usquequaque cum sua theoria consentire videatur. Idem judicium de abacis & theoria Iovis ac Martis intelligatur. Cæterum quantæ sint illorum latitudines in motæ Telluris hypothesi 25 propositione 3 libri perspicitur.

3 MEMBRUM.

Primo membro monuimus *Ptolomæum* haud longè diversum abiisse à veritate, dum epicyclos superiorum planetarum contra eclipticam proximæ parallelos cōstituit: veruntamen in duobus inferioribus non adeò propè verum collimavit, in quibus ex suis observationibus theoricam superioribus similem derivare non potuit: impedimentum autem hic geminum ipsi objectum videtur; primum, quem putabat & appellabat Mercurii epicyclum, is per 1 propositionem hujus additamēti epicyclus verè non erat, sed multò quam oportebat minor, ideoque dum ejus parallelismum cōtra eclipticam tentando exploraret, quemadmodum in superioribus fecerat, is experientiæ & observationibus neutiquam respondebat, nam alterum majorem circulum usurpare debuisset. Alterum autem impedimentum unde epicycli vacillationem usurpare & cōmunem eclipticæ sectionem alieno loco statuere cogebatur, istiusmodi

modi fuisse videtur. Animo conceperat omnes communes deferentium & eclipticæ sectiones per Terram transire: Verbi gratiâ putabat deferentem D F (qui in diagrapha 5 propositionis hujus additamenti eclipticam verè in M secat) transire per Terram fixam C, atque cum ita calculum subduceret, effectum est ut dum putat epicycli centrum ab D devenisse ad C, quo loco in ecliptica A B omnis latitudinis expers debuisset consistere, illic tamen reipsa extra inveniretur in M (intellige D N ipsi D C æqualem esse) tantæ latitudinis particeps, quantam causatur intervallum C N, quam hallucinationem ut emendaret ad epicycli vacillationem confugit, eam nos supra 2 membro de latitudine Mercurii ad 25 propos. 3 libri exposuimus.

4 MEMBRVM.

Quia verò *Ptolomæus* suprascriptam horum planetarum vacillationem ab C ad N, in Mercurio observationibus edoctū ait se deprehēdisse 45 ①, quam arcta horum consensio sit deinceps explorabimus. Ajo igitur distantiam ab C ad N definiri per rectam N R in diagrammate 3 membri de motu Mercurii ad 25 propos. 3 libri. ejus autem quantitatem invenies hoc modo. Triangulū Q N R tres habet cognitos terminos, angulum N Q R 5 grad. 32 ①, æqualis enim est ipsi O Q L 5 grad. 32 ① numero quarto 3 membri, Q N 1364 ejusdem membri ordine quintum, & angulum Q N R rectum. unde N R linea per 4 planorum triangulorum propositionem invenitur 132.

Si *Ptolomæus* Solis locum consignasset, quem obtinebat eo tempore cum Mercurii deviationem invenit 45 ①, hinc nobis ex motæ Telluris hypothesi ipsius Telluris locus inventu facilis esset, atq; inde de utriusque convenientia accuratius certiusq; judicaremus, jam verò hoc nobis restat ut duas extremas declinationes investigemus, atq; utrum eas inter 45 ① intercedant. hoc modo.

Posita N R 132 ut supra, huc ex præcepto 25 propos. 3 libri adjungas maximam Mercurii à Terris distantiam, ea autem per secundū syllabum 13 prop. 3 libri erit 14519, inde per generale ejusdem 25 propositionis præceptum invenietur latitudo Mercurii 31 ①: Atq; in minima distantia 5481, invenitur 1 gr. 21 ①; interque hos terminos 1 gr. 21 ① & 31 ① intercidunt suprascriptæ observationis 45 ①. Si igitur jam recta à Terra ad Mercurium tempore observationis pertingens cognosceretur, de hoc consensu congruentiaq; pressius tractare possemus.

Veneris etiam deviatio, quam *Ptolomæus* statuit 10 ①, hæc isto modo invenitur minima 20 ①: Cæterum quomodo hæc sese habeant, redintegratis renovatisque observationibus accuratius de illis demum pronuntiari posset.

CONCLVSIO MOTVS LATITVDINIS.

Hactenus de quinque planetarum Saturni, Iovis, Martis, Veneris & Mercurii motu latitudinis quæ scribere institueram, exposui. Atque adeò dehinc jam puto illum motum non amplius quemadmodū antea pro ignorato haberi debere; cum ex Terræ motu evidēs sit istam diversitatem ita necessariò sequi, singulorumq; planetarum orbes circa suum axem rotari; ut non sit necesse motum aliquem naturæ rerum contrariū confingere; deincepsq; intricatam illam & confusam theoriam bonarum horarum voraginem negligendam, majoreq; cum fructu & planiore causarum cognitione ista tractari posse judico.

Dd APPEN-

APPENDIX MOTVVM COELESTIVM

DE IGNORATO PLANETARVM

motu, ab *Ptolemæo notato* & animadverso: deque *Copernici* theoricis inde constitutis.

BREVIARIVM APPENDICIS.

PTolomæus *cœlestium orbium conversiones & theoricas ad stantis Telluris hypothesin comparatas, atque ita nudas & simplices à majoribus adeptus, in planetarum loca diligentissime inquisivit, & observavit illarum cum cœlo congruentiam: Solis motus (de quo dubitabat* Hipparchus) *ipsi benè accurate constitutus videbatur; cæterorum verò secus: quamvis enim horum medii motus etiam longo temporum circuitu satis accurate essent definiti, in singulis suorum orbium periodis tamen aliquid discrepans & diversum subesse judicabat, atque inde suam cudit theoriam, quam cum majorum placitis commiscuit, ad stantis Terræ hypothesin. similem miscellam quoque deinceps* Copernicus *usurpavit in mota Terra hypothesi: Sed cum planetarum loca in ipso cœlo ab illorum scitis & placis dissidere ex observationibus animadversum sit, ut illorum motuum leges adhuc in occulto abditæ latere videantur, ideò illas ab utraque hypothesi segregavi, utque planius & evidentius ipsorum miscella & additamentum cognosceretur, eam ob caussam, aliasque quas supra etiam clarius exposui hanc appendicem super illis constitui, inq; 13 propositiones digessi, quarum septem addititiis* Ptolomæi *theoricis occupantur, videlicet priores quinque in Luna; sexta in Saturno, Iove, Marte & Venere; septima in Mercurio. Quinque reliquæ in addititia* Copernici *theoria exercentur, utpote 8 in Luna, 9 in Saturno, Iove & Marte, 10 in Venere; 11 & 12 in Mercurio: 13 propositione ignoratus siderum cœlo affixorum motus, ignotaque eclipticæ ab equatore declinatio recensentur.*

DE

DE ACCESSIONE THEORICIS *per* Ptolomæum *adiecta, secundum stantis Terræ hypothesin.*


I PROPOSITIO.

Si planeta in eccentrico solo, vel in epicyclo semidiametri eccentricitati æqualis, cujus centrum in concentrico (ipsi eccentrico motu & magnitudine pari) deferatur, planetæque motus in epicyclo restitutioni centro epicycli æqualis quidem sed contrarius sit, hâc utrâque hypothesi planeta ubique eundem locum obtinebit.

Cum Lunæ hypothesis in eccentrico, qualem in primis duobus libris eam consignavimus ac naturæ & veritati consentanea videtur, eundem ipsi locum assignet, quem homocentrepicyclus ex hujus propositionis sententia: hanc *Ptolomæus* ideo eccentrico prætulit, quia secundam anomaliam à se inventam planius exprimeret; eam autem cum hoc loco describere instituissem, non abs re visum fuit, utriusque hypothesis convenientiam & quasi identitatem posito diagrammate (quemadmodum *Ptolomæus* 4 libri 5 capite usurpavit) demonstrare. ideòq; hoc theorema tanquã lemma aliquod præmisimus.

DATUM. Priore thesi planetæ deferens A B C eccentricus sit, cujus centrum D, Terra eidem sedi infixa E, planeta A primum in apogæo, qui inde commoveatur ad B, hoc est quantitate anguli A D B.

Iam posteriore thesi ex centro E describatur circulus homocentrus F G H, ipsi A B C æqualis, & ex F centro intervallo F A (qui æquatur ipsi E D) decircinetur epicyclus A I, cujus apogæum sit A. Iam F centrum epicycli A I promoverit in G, ut motus F G seu angulus F E G æqualis sit priori A D B, sitque B K epicyclus centro G descriptus, rectâque E, G centra connectens continuetur in K, quod apogæum est, unde planeta interim processerit ad B (contrarius priori motui ab F ad G) arcum similem ipsi F G, vel quod idem sit, ut angulus K G B angulo F E G æqualis sit, quod fit constitutâ G B parallelâ contra E F. QUAESITUM. Demonstrandum est planetam posteriore thesi in idem punctum B, quod priore thesi obtinebat, quoque incurrere.



DEMONSTRATIO. Cum enim E D recta duas semidiametros D B & E G connectat æquales & parallelas, & recta à G, B versum acta per thesin parallela sit contra E D, quod sub quatuor lineis B D, E G, D E, & recta ab G contra E D parallela continetur, hoc est B D E G parallelogrammũ erit: ideoq; B punctum, qui planeta est, erit in termino semidiametri G B epicycli K B secundũ posteriorem hypothesin. & in termino radii

 DB cir-

DB circuli eccentrici AB secundum priorem hypothesin. atque adeò B sive in eccentrico solo, sive in homocentrepicyclo eodem plane loco videtur.

CONCLUSIO. Itaque [illegible] eccentrice solo, vel in epicyclo, &c.

NOTAE.


Quamvis iste modus verum Lunae [illegible] quoque exhibeat, non videtur tamen usurpandus, partim quod ejus maculae, qui semper ad Terram conversi spectant, satis testentur ipsam in epicyclo non ferri, partim etiam quod duo circuli operis conceptum magis turbent intricentque, quam unus: Optimò igitur jure *Ptolomaeus* in motu Solis, & *Copernicus* in mobilis Telluris Theorica nudum eccentricum homocentrepicyclo praetulerunt: eundem *Ptolomaeus* quoque in Lunae motu usurpasset, nisi (quemadmodum ipse 5 capite 4 libri testatur) epicyclus secundae anomaliae à se primum animadversae aptior fuisset convenientiorque.

2 PROPOSITIO.

Causa quę *Ptolomaeum* impulerit ut in secundam suam Lunae anomaliam anquireret; & qualis nam in genere sit accessio theoricis per ipsum adjecta.

Ptolomaeus dum studiosè & assiduo observaret apparentem Lunae in ecliptica longitudinem, eam ab expositis regulis quas à majoribus acceperat saepe diversam deprehendit, quę ipsi prima anomalia vocatur, eamq; ex sua sententia emendavit & secundae anomaliae accessione locupletavit. quem ejus conceptum nunc exponam. Illud verum deprehendebat Lunae extremam prosthaphaeresin in oppositionibus aut conjunctionibus esse 5 graduum, quam 2 libri 3 propositione prima anomalia suppeditat. extra istum locum discrepantiam aliquam animadvertebat, eamque in quadraturis maximam, ubi ad 7 gr. 40 ① nonnunquam assurgeret, id est 2 gr. 40 ① major esset priore, tantusque error in cõsignandis ad futura tempora Lunae locis, si solam primam anomaliam sequerere, error irrepere poterat. Vt igitur quam hujus diversitatis causam assignat explicemus, omnium primum notandũ ipsum Lunae non eccentricum deferentem, qualem nos supra descripsimus, sed homocentrepicyclum tanquam commodiotem (quemadmodum 5 capite 4 libri testatur) assignasse, Lunam, inquam, ipsam in epicyclo rotari, cujus formulam 1 propositione hujus appendicis expressimus.


1 FORM.



Majoris evidentiae causa exponatur homocentrepicyclus ABC, ejus centrum D, epicyclus EBF, centrum A, prosthaphaeresis maximae angulus ADB 5 gr. quantus in oppo-

in oppositionibus conjunctionibusque deprehenditur. Si igitur orbes Lunæ hujusmodi essent, evidens est maximas prostaphæreses semper fore 5 gr. atqui hæc res cum observationibus pugnat, ideoque *Ptolomæus* istius discrepantiæ causam hujusmodi est commentus. Quandoquidem A D B semissis anguli ab universo epicyclo subtensi in quadraturis inveniretur 7 gr. 40 ① id est 2 grad. 40 auctior, consequens est epicyclum in quadraturis tanto Terris viciniorem esse quam in oppositione, propterea; hujus anguli semissem tantò majorem fieri; ut Luna rotetur in epicyclo, cujus centrū non in concentrico, sed in eccentrico circulo deferatur, ut in sequēte diagrammate perspicitur, ubi A B C cursum deferentem designat, cujus centrum sit D, epicyclus E B F G,


2 FORM.



H punctum non centrum Terra esto, unde recta H B contingat epicyclum in B, dum centrum epicycli in apogæo eccentrici cōsistit, quod in conjunctionibus & oppositionibus contingit (cujus causam secundū *Ptolomaicas* hypotheses sub finem hujus propositionis describemus) tumque A H B angulus sit 5 grad. Secundo statuatur epicyclus I K L in perigæo C quem locum juxta *Polomæi* hypotheses in quadraturis semper obtinet, rectaque H K epicyclum contingens comprehendat angulum C H K 7 grad. 40 ①.

Atque ista quidem via subventum erat anomaliæ Lunæ quâ in conjunctionibus oppositionibus & quadraturis afficiebatur, sed cum extra hæc loca versaretur nihil inde auxilii erat aut præsidii, ut cum centrum epicycli in primo semicirculo inter A & C, aut in secundo inter C & A versaretur. Cui rei tertium hoc diagramma peculiare figuravimus. sit enim deferens A B C, centrum D, Terra E, & ex B cētro describatur epicyclus F G in priore semicirculo inter A & C, perq; ejus centrum agantur rectæ duæ D B F, E B G, ut F apogæum sit ejus loci æstimatum ex D, & G apogæum ipsius E. His positis, cum Luna secundum præmissam hypothesin ex E debuisset videri (dicis gratiâ)

3 FORM.



 in G,

Terræ fixæ K, in quadraturis autē proximè. Quod illustrius est, si hos circulos è diversis partibus concinnatos mobiles componas, ubi vel oculis patet punctum G circa fixum punctum K circulum decircinare. Atque ita causa quæ *Ptolomæum* ad secundæ anomaliæ in Luna investigationem incitarit, & accessio huic theoricæ per ipsum facta exposita nobis esto.

NOTA.

Ptolomæi theoricam, quam hactenus nudè non adhibitis in concilium numeris descripsimus, deinceps quoque 3, 4 & 5 propositione per numeros explicabimus.

3 PROPOSITIO.

Semidiametrum deferentis epicyclum Lunæ, eccentricitatem ejus, maximam minimamque Lunæ distantiam, in partibus iisdem quibus distantia apogæi à Terra taxatur 60 mathematico ratiocinio secundum additam à *Ptolomæo* theoricam invenire.

DATUM. Sit in secundo antecedentis 2 propositionis diagrammate angulus A H B 5 gr. & C H K 7 grad. 40 ①, cæteraque eam habeant notionem quam illic expressimus. QVAESITVM. Semidiameter deferentis A D, eccentricitas D H, maximaque Lunæ distantia H E, & minima H L in partibus iisdem invenienda, qualium A H à Terra H ad deferentis apogæum A sit 60.

CONSTRVCTIO.

Triangulum H K C tres habet terminos cognitos, C K semidiametrum epicycli 5 partium 13 ①, per 5 propositionem libri 4 *Ptol.* angulum H K C rectum, & C H K 7 gr. 40 ① per thesin. unde latus H C per 4 planorum triangulorum propositionem invenitur 39 partium 6 ①, sunto tamen ista, quemadmodum *Ptolomæo* placuit	39 gr. 22 ①.
Huc addita A H 60 partium per thesin, dabit totam semidiametrum A C	99 gr. 22 ①.
Hujus semissis pro D C optata deferentis semidiametro	49 part. 41 ①.
Indeque deducta H C 39 partium 22 ① numero hoc ordine primo, reliqua erit optata eccentricitas D H	10 part. 19 ①.
Iam ad A H 60 partium per thesin, addita epicycli semidiametro A E 5 partium 13 ①, dabit H E optatam maximam distantiam	65 part. 13 ①.
Et de H C 39 partium 22 ① numero ordinis primo, deducta semidiametros epicycli C L 5 partium 13 ①, relinquet H L optatam minimam distantiam	34 part. 9 ①.

Cujus demonstratio ex opere perspicitur. CONCLVSIO. Itaque semidiametrum deferentis epicycli, eccentricitatem, Lunæque maximam & minimam distantiam invenimus æstimatam iisdem partibus, quibus distantia apogæi à Terræ centro taxatur 60, & quidem mathematico ratiocinio secundum adjectam à *Ptolomæo* theoriam. Vt petebatur.

NOTA.

Maximæ Lunæ à Terris distantiæ ratio secundum accessionem theoricis à *Ptolomæo* adjectam, est quæ H E 63 partium 13 ① hoc ordine quinti, ad H L 34 partes 9 ① numerum hoc ordine sextum. Atqui cum ista ratio in angulis visionis Lunæ non appareat, certum est, quemadmodū ante dixeramus, istas nō esse veras distantiarum rationes, & primæ anomaliæ theoriam hac in parte minus hallucinari, quippe quæ constituat harum rationum terminos 65 partium 13 ①, ad 54 partes 47 ①.

4 PROPOSITIO.

* Purbachio, *punctū centro eccentrici diametraliter oppositū.* auctor suo idiomate *punctum inæqualitatis vocat.*

Distantiam terræ à * puncto ad quod epicyclus inclinat in partibus iisdem, quibus distantia Terræ ab apogæo deferentis Lunæ æstimatur 60, ratiocinio secundum accessionem theoricis à *Ptolomæo* factam subducto invenire.

DATVM. *Ptolomæus* 5 capite 5 libri usurpavit Lunæ locum ab *Hipparcho* notatum & consignatum extra mediam conjunctionem, oppositionem, aut quadraturam, id est cum centrum epicycli neque in apogæo neque in perigæo eccentrici consisteret; cum videlicet arcus à medio * Sole ad mediam * Lunam, hoc est media Lunæ exsuperatio esset 45 gr. 15.

* *Linea medii motus Solis.*

* *Lineam medii motus Lunæ.*

Tumque medium Lunæ motum in epicyclo invenit 333 gr. 12.


Qui locus, cum calculus ad apogæum ex Terræ centro visum subducetur prosthaphæresin (quemadmodum patet in sequentibus) habet addititiam 2 gr. 32.

Apparentis autem arcus ipsius Solis ad Lunam ab *Hipparcho* dimensa distantia erat 1 gr. 26.

Hæc discrepantia *Ptolomæo* ansam præbuit puncti ad quod epicyclus inclinat distantiam à Terra investigandi, de qua ad 3 diagrapham 2 propositionis in genere dictum est, hujus investigationem & calculum in partes duas tribuemus, & primo quidem dicemus de inveniendis 2 grad. 32 ① numeri hoc ordine tertii: Secundo autem quod ipsius loco usurpabitur 1 grad. 26 ① ordine quartus, cujus ope tandem inveniatur puncti ad quod centrum epicycli inclinat distantiam à Terra esse 10 partium 19 ①, omnino eccentricitati æqualem, quæ per 3 hujus Appendicis propositionem tantundem valet.

Primæ partis præparatio.

Exponatur deferens A B C, cujus centrum D, punctum ejus non centrum, quæ Terra sit E, unde agatur E B ut angulus A E B sit 90 grad. 30 ①, duplus quippe exsuperationis Lunæ 45 grad. 15 ① qui est datorum ordine primus: Duplum autem sumpsimus, quia centrum epicycli medio mense συνοδικῷ, seu à conjunctione media ad mediam conjunctionem sequentem apogæo deferentis bis occurrat, id enim ad 4 diagrammata 2 propositionis supra jam expositum fuit. Porrò autem è puncto B tanquam centro



centro decircinetur epicyclus F G, & à D per B cõtinuetur D B F recta, ut F apogæum ſit à D puncto æſtimatum, id *Parbachio* concavitatis punctũ vocatur, quia concavum orbis augem deferentis ubique ſtringat. jam ab E per B ejiciatur recta E B G, ut G apogæum epicycli ſit à E Terra æſtimatum; denique H Luna ſit, cujus medius in epicyclo motus per numerũ dati ſecundum erat 333 gr. 12 ①, horum numerationem auſpicabor ab apogæo G contra ordinem graduum uſque in H, & connectam H E.

Quæſitum primæ partis.

Angulus proſtheticus B E H inveniendus eſt.

Conſtructio primæ partis.

Triangulum D E B tres habet terminos cognitos, angulum D E B 90 gr. 30 ① per præparationem, eccentricitatem D E 10 partium 19 ① per 3 propoſitionem, D B ſemidiametrum deferentis 49 partium 41 ① per eandem 3 propoſitionem: Vnde latus E B per 5 planorum triangulorum propoſitionem invenitur — 48 part. 31 ①.

Triangulum B E H tres habet cognitos terminos, latus E B 48 partium 31 ① ordine primum, B H 5 partium 15 ① per 5 propoſitionem 5 libri *Ptolomai* (in antecedente 3 propoſitione uſurpaveramus quidem 5 partes 13 ①, ſed ubiq; *Ptolomai* veſtigiis inſiſtimus) & angulum H B E 153 gr. 12 ① (cum enim G H per theſin ſit 333 gr. 12 ①, hos de integro circulo deducam, & reliquus erit arcus H G, ſeu angulus H B G 26 grad. 48 ①, qui de 180 gr. deducti, relinquent angulum I B E 153 grad. 12 ①, ut ſupra.) Inde jam angulus optatus B E H per 6 propoſitionem planorũ triangulorum invenietur 2 gr. 33 ①, ſunto tamen ut *Ptolomaus* ſtatuit — 2 gr. 32.

Præparatio ſecundæ partis.

Invento itaque B E H angulo 2 gr. 32 ①, qui tamen (ut ſupra diximus) eſſe debebat duntaxat 1 gr. 26 ①, inde *Ptolomaus* ita eſt raciocinatus. Cum angulus B E H juſto major ſit, ſequitur Lunam non ad H, ſed propius ipſi G conſtitiſſe, id autem ſit in I, actaque recta E I, angulus B E I æquetur ſuprafcriptis 1 gr. 26 ①. His conſtitutis non jam G amplius pro apogæo medio uſurpari poterit, unde Lunæ in epicyclo motus auſpicium ducat, ut ante feceramus, ſed iſtud poſt eodem ſitu & intervallo diſcedet à G quo I ab H

diſtabit,

distabit, sitque id punctum K, ut G K & H I æquales sint, atque ut prius à G ad H numerabantur 333 gr. 12 ①, ita jam à K ad I terminetur idem numerus 333 grad. 12 ①; quibus positis producam rectam K B usque ad diametrum A C in punctum L.

Quæsitum partis secundæ.

Invenienda jam est recta E I.

Constructio secundæ partis.

Triangulum E B I tres habet cognitos terminos, utpote angulum B E I 1 grad. 26 ① per 2 partis præparationem, latus E B 48 partium 31 ①, per numerum in primæ partis constructione ordine primum, & B I epicycli semidiametrum 5 partium 15 ①: quorum ope angulus [illegible] E per 5 propositionem planorum triangulorum invenitur 165 gr. 13.

Hi de 180 grad. deducti reliquum faciunt angulum I B G seu arcum I G 14 gr. 47.

Atque hi rursum subducti de I K, complemeno circuli 333 grad. 12 ①, hoc est 26 gr. 48.

Relinquent arcum G K, seu angulum G B K, vel etiam angulum E B L 12 gr. 1.

Triangulum B E L tres habet cognitos terminos, angulum B E L 89 gr. 30 ①, utpote differentiam anguli B E A à semicirculo, qui per primæ partis præparationem valet 90 gr. 30 ①; item angulum E B L 12 gr. 1 ① numerum in hujus secundæ partis constructione ordine quartum, & latus B E 48 partium 31 ① numerum in primę cōstructionis ordine primum: Unde optatum latus E L per 4 planorum triangulorum propositionem invenitur 10 part. 19 ①.

Qui numerus omnino amplitudini eccentricitatis D E æqualis est, ea enim 3 propositione calculo subducto tanta inveniebatur. Testatur denique *Ptolomæus* idem ubique evenire, quemcunque tandem deferentis locum epicyclus obtineat. indeque concludit punctum quale K est pro apogæo medio usurpandum, indeque Lunæ in epicyclo motum ordiendum.

CONCLUSIO. Quare rectam à Terra ad punctum quo epicyclus inclinat invenimus in iisdem partibus, quibus Terræ ab apogæo deferentis distantia taxatur 60, idque ratiocinio secundum additam à *Ptolomæo* theoriam deducto, ut decuit.

5 PROPOSITIO.


Lunæ prostaphæresin ad datum tempus ex ratiocinio secundum additam à *Ptolomæo* theoriam invenire.

DATUM. Exponatur tempus quo Lunæ motus in epicyclo sit 333 grad. 12 ①, & media Lunæ exsuperatio 45 gr. 15 ①.

QUÆSITUM. Lunæ prostaphæresis secundum accessionem theoricæ huic per *Ptolomæum* adjectam invenienda est.

PRAEPARATIO. Esto deferens A B C, centrum D, punctum non centrum quæ Terra est E, unde ejiciatur E B, ut angulus A E B sit 90 gr. 30 ①, duplus

duplus videlicet datæ exsuperationis Lunæ 45 gr. 15 ①, causa autem cur duplum sumamus ea est, quod centrum epicycli mense medio συνοδικῷ bis apogæo occurrat, quemadmodum ad 4 diagramma 2 propositionis hujus appendicis expositum fuit: Dehinc jam centro B describatur epicyclus G H I, secans E B in I; & recta F B continuata occurrat epicyclo in punctis G & H, ubi G perigæum medium & H mediū apogæum designabunt; sitque K punctum Lunæ, ut arcus H I C K æqualis sit datis 333 grad. 12 ①, & connectantur denique E K, B K, ut angulus B E K prostaphæresin Lunæ addititiam indicet. QVAESITVM. Angulus B E K inveniendus est.



CONSTRVCTIO.

Triangulū D E B tres habet terminos cognitos, angulum D E B 90 gr. 30 ① per thesin, eccentricitatem D E 10 partium 19 ① per 3 propositionem hujus appendicis, D B semidiametrum deferentis 49 part. 41 ① per citatam 3 propositionem: Vnde latus E B per 5 planorum triangulorum propositionem invenietur 48 part. 31 ①

Triangulum E B F tres habet cognitos terminos E B 48 partium 31 ① ordine primum, E F 10 partium 19 ① per 3 propositionem hujus appendicis, & angulum B E F 89 gr. 30 ①, utpote dati anguli D E B 90 grad. differentiam à semicirculo: quorum ope angulus E B F per 6 planorum triangulorum propositionem invenitur 12 gr. 1.

Si de arcu H I G K, qui per præparationem valet 333 gr. 12 ①, deducas arcum H G 180 gr. reliquus erit arcus G K, seu angulus G B K 153 gr. 12.

Cum eo si componas angulum E B F 12 gr. 1 ① ordine secundum exister angulus E B K 165 gr. 13.

Triangulum E B K tres habet cognitos terminos, angulum E B K 165 gr. 13 ① ordine quartum, E B 48 part. 31 ① ordine primum, & semidiametrum epicycli B K 5 partium 15 ①. unde optatus angulus addititius B E K per 6 planorū triangulorum propositionem invenitur 1 grad. 25 ①, qui sunt o sane 1 gr. 26.

CONCLVSIO. Itaque ad datum tempus Lunæ prostaphæresin ex ratiocinio secundum additamentum *Ptolemaicum* invenimus, quemadmodum petebatur.

CONSECTARIVM.

Ex ista prostaphæreseos investigatione planum est quomodo apparens Lunæ in ecliptica longitudo ad datum tempus inveniatur, prostaphæresis enim cum


cum longitudine medii motus Lunæ conflata optatum Lunę locum definiet *Ptolomæus* autem atque alii deinceps *Ptolomæum* fecuti tabulas quafdam concenturiarunt, unde expeditè eædem illa inveniantur & promantur, quæ intricatiore calculo per plana triangula in hifce propofitionibus à nobis investigata funt: dictos verò canones hic non exhibemus, quod ad cognitionem fecundæ anomaliæ Lunaris à *Ptolomæo* excogitatæ nihil utilitatis aut fubfidii afferant. Atque hæc hactenus de fecunda Lunæ anomaliæ dicta funto: fupereft ut de reliquorum Planetarum ignoratis anomaliis deinceps dicamus.

5 PROPOSITIO.

Qualifnam fit in genere theoria motui longitudinis Saturni, Iovis, Martis, Veneris à *Ptolomæo* addita.

Cum ifte̅ non plus earum fimpliciffimum motum, qualis ad *Ptolomæum* delata eft tanquam notum & duobus primis libris expofitum ufurpemus, ideo facilis erit omnino & plana inftatii feu additamenti *Ptolemáici* explicatio.

Principio hic animadvertendum horum quatuor planetarum apparentem in ecliptica longitudinem, in oppofitionibus & conjunctionibus mediis, dum centrum epicycli in apogæo vel perigæo deferentis conftitiffet, eandem à *Ptolomæo* inventam effe, quam fimpliciffimi motus abaci, quales à veteribus ad illum allati funt, defignabant: fingulorum enim planetarum fubducto cal-



culo

culo eandem deprehendebat eccentricitatem & semidiametri epicycli quantitatem; verum extra illa loca varietas & diversitas quædam incidebat.

Atque ut hæc posito diagrammate explicemus, sit deferens A B C D, cujus centrum E, apogæum A, punctum non centrum quæ Terra sit F, centrum epicycli B, inde decircinetur epicyclus G H I K, hinc duæ rectæ ab E & F ad B connexæ epicyclum secent in H & I ut H perigæum, K apogæum, I perigæum medium, L apogæum medium sit. Iam statuamus planetam secundum primam & simplicissimam hypothesin qualis ad *Ptolomæum* allata est obtinere ad G, ut medius in epicyclo motus L G sit 150 gr. atque apparẽs ejus distantia ab apogæo A, ex F Terræ centro spectata, fuerit angulus A F G, eum tamen reipsa minorem inveniebat, puta A F M, ut planeta in epicyclo verè obtineret ad M, non autem quemadmodum logistarum abaci docebant ad G.

Atque hinc ita ratiocinatus est: Quandoquidem à planeta ad mediũ apogæum intercidant 150 gr. quos prius per arcum L G definivimus; nunc autem planeta ultra G processerit ad M, sequitur etiam medium apogæum tantundem ultra consistere, qui locus sit N; atque ideò N M erit 150 gr. ipsi L G æqualis.

Constituto igitur apogæo medio ad N unde medius planetæ motus numerationis auspicium deducat, tum ab N per B eduxit rectam secantem diametrum A C in O, atque inde quantitatem lineæ E O, investigavit; & cognitis terminis omnibus ad illius investigationem oportunis eandem ipsi E F æqualem invenit, neque tantum hoc situ locóve, sed ubique quemcunq; tandem situm epicyclus in eccentrico planetaq; in epicyclo obtinuissent; cumq; ita theoriam suam describere instituisset O punctum * inæqualitatis appella- * Purbachio
vit, hîc enim oculo constituto videbis epicyclum in deferente, & planetam ab G puncto ἰσοταχῶς æquabiliter moveri, atque ideò dicta duo puncta B & M super centro deferentis E inæqualiter inordinateque ferri, hoc est centrum epicycli B in deferente, & planetam M in epicyclo nunc tardius alias celerius commoveri, quod cum ordine & natura pugnare videtur; cumque secundum istam hypothesin inveneris planetæ prostaphæresin & apparentem in ecliptica lõgitudinem, in illis versabitur auctarium *Ptolomæi* & additamentum quod ipse theoricis veterum in Saturno, Iove, Marte & Venere adjecerat.

centrum æquantis.

7 PROPOSITIO.


Qualis nam sit in genere theoria motui longitudinis Mercurii à *Ptolomæo* addita.

Cum *Ptolomæus* frequenter cœlum suspiceret & Mercurii loca observaret, suaque observata cum observationibus veterum contenderet, animadvertit ipsum singulis periodis bis Terræ proximum fieri, quemadmodum & Lunam (nam ipsa secundum *Ptolomæi* placita singulis Lunationibus bis Terræ appropinquat) idque centro epicycli utrinque ab apparenti apogæo 120 gradibus secundum visum disjuncto, apogæum autem sub 190 gr. collocari invenerat. hujus rei causam istam putabat, quod centrum epicycli utroque illo situ ad Terram proximè accessisset. quibus ita compendiosè & summatim dictis, ejus sententiam sigillatim deinceps exponam.

Esto enim in sequenti diagrammate A B C D epicycli deferens, cujus centrum E, apogæum A, punctum non centrum quæ Terra sit F, epicycli

centrum A, unde GHIK epicyclus decircinetur, hujus apogæum G, perigæum I, & Mercurius obtineat apogæum G; atque hæc quidem omnia secundum simplicissimam illam veterum hypothesin, qualis ad *Ptolomæum* usq; obtinuit, & nobis a libro expolitus fuit, quo situ *Ptolomæus* errorem nullum

FORM.




invenit aut animadvertere potuit, inde enim 8 capite 9 libri eccentricitatis, & semidiametri epicycli rationem ad deferentis semidiametrum investigavit: sed cum Mercurius nec in apogæo neque in perigæo deferentis constitisset nonnulla hallucinatio & varietas existebat, quam *Ptolomæus* per conjecturas tentando & explorando 9 capite 9 libri correxit, indeque hanc, quæ sequitur, theoriam derivavit. Ex E centro eccentrici isto situ etiam alium circellum LMN decircinavit, qui A C rectam interfecet in L & N, semidiameter autem dicti circelli EN, semissi eccentricitatis EF æqualis sit, hîc punctum L pro centro deferentis usurpavit (quamvis in hoc exposito diagrammate ipsum E verè sit) idque in circello L contra successionem gradum M versum commoveri statuit, ipsumque eodem spatio restitui quo centrum epicycli in deferente periodum suam in contrariam partem, secundum graduum successionem peragat, ab A, B versum, atque ita in secum ipsum deferentem deferre.

Verum

Verum cum A L usurpetur pro semidiametro deferentis in addita hâc à *Ptolomæo* theoria, consequens est ejus deferentis orbem minorem esse quam sit ille veterum circuitus circuli A B C D. decircinemus itaque centro L ex sententia *Ptolomæi* deferentem A O P: qui licet quamvis minor sit priore, nihilominus tamen distantia à Terra F ad A eadem manet quæ prius; atque ideò angulus sub quo epicyclus videtur utrobique idem; cumque centrũ deferentis ab L per M devenerit ad N, etiam secundum hanc hypothesin centrum epicycli A pervenerit alternatim quoque ad C, tumque distantia à Terra F ad epicycli centrum, atque adeo etiam angulis visionis qui epicyclum comprehendat idem erit qui in illo simplicissimo veterum motu. Vt ab hoc *Ptolomæi* additamẽto nulla discrepantia existat in investiganda ratione eccentricitatis, & semidiametri epicycli ad rectam inter Terram & apogæum interjectam.

Postquam primam hanc speciem modumque explicuimus cum centrum epicycli in A puncto à Terris remotissimo, aut opposito C consistet, deinceps etiam centro epicycli alium locum assignabimus, ut puta cum 60 grad. medio motu ab apogæo A discesserit, & Mercurius in epicyclo 100^{mum} gradum obtineat. Ea fini in secundo hoc diagrãmate recta A B per A apogæum



exigatur (cujus locum *Ptolomæus* sub 190 gr. eclipticæ deprehendit) punctumque oppositum sit B, Terra C, centrum circelli D, unde decircinatus est circellus ipse F G E H (pro circello L N M in superiore diagrammate) hujus

 apo-

apogæum F, perigæum E, & ſemidiameter DE ipſi EC æqualis. dehinc etiam ſignetur punctum G, ut arcus ab F ad G contra graduum ſucceſſionem æquetur datis 60 gr. Centroque G deſcribatur deferens IKL, inde agatur DK ut angulus ADK æqualis ſit FDG 60 gr. videlicet ab I ad K ſecundum ſucceſſionem graduum. quemadmodum ab F ad G contra porrigitur, iſta enim omnia ita exigit ſupraſcripta hypotheſis. Deinde ex K centro decircinato epicyclum MNOP, & à G ad K inclinato rectam GKM, ut M ſit medium apogæum epicycli; deinde N locum à Mercurio obtineri putato, arcumq; MN ſupraſcriptis 100 gr. æſtimari; ducanturque KN, NC, & CK ſecans epicyclum in O, item EK, EG DK, DG, denique ſtatuamus epicyclum ab GK ſecari in P apogæo medio.

Animadvertito autem *Ptolomæum* ſtatuere centrum epicycli K æquabiliter ferri ſpectatum ex F puncto; atque adeò ſuper centro deferentis inæquali motu progredi, hoc eſt in deferẽte ſuo quandoq; lentius nonnunquam etiam velocius commoveri. sed ſi oculus conſiſtat in deferentis centro G; ſtatuit Mercurium inde ſpectatum æquabiliter in epicyclo moveri: quare motus ejus in epicyclo ordinatus erit & æqualis. Atque ſecundum iſtam viam inventa Mercurii proſtaphæreſi ejuſdemque longitudine in ecliptica, in iſtis verſabitur additamentum theoricis Mercurii à *Ptolomæo* adjectum.

Atque hactenus quidem de auctario & acceſſione qua *Ptolomæus* theoricam veterum in motu longitudinis planetarum locupletavit. Cæterum quæ de latitudine commentatus eſt illa ſummatim & clarè ſatis in antecedenti tractatu de motu latitudinis expreſſa videntur.

DE ADDITAMENTO THEORI-carum Copernici *ſecundum mota Telluris hypotheſin.*

8 PROPOSITIO.


Qualiſnam ſummatim ſit acceſsio Lunæ theoricis per *Copernicum* adjecta.

Cum *Copernicus* Lunæ epochas locave à *Ptolomæo* notata & animadverſa pro veris & bene accuratis uſurparet, ut iſti tanquam ſtabili fundamento theoriam inædificaret; maximè ipſi diſplicuit in auctario theoricarum *Ptolomæi* & Lunę in epicyclo, & epicycli in eccentrico motum inæqualem ſtatui, ut ſuos motus alias accelerarent, nonnunquam etiam lenteſcerent, quod 2 propoſitione hujus appẽdicis nobis expoſitũ fuit: Videbat etiam nimiam illam Lunæ cum Terris vicinitatem ipſi experientiæ & obſervationibus repugnare, neq; enim angulus viſionis Lunę ad ſuarũ hypotheſium analogiã vel augetur vel minuitur, ideoque in ejus locũ alias motuum leges ſubſtituit. In quibus id apprimè notandum quod cum videret maximam Lunæ proſtaphæreſin eſſe 5 gr. in oppoſitionibus & conjunctionibus mediis, maximam autem proſtaphæreſin in quadraturis mediis à *Ptolomæo* obſervatam aliquando ad 7 gr. 40 ① aſſurgere, quemadmodum ſupra jam annotatum eſt, id veriſſimum & indubium credidit, ejuſdemque hanc commentus eſt cauſam: Sit enim Lunæ deferens AB, cujus centrum, quæ Terra ſit C, & DEF epicyclus quem Luna decurrat,

juxta

juxta simplicissimam veterum hypothesin, hujus centrum A, actaq; D A F C, & E C epicyclum contingente in E, valebit angulus A C E supràscriptos 5 grad. inde jungatur C G ut amplitudo anguli A C G sit 7 gr. 40 ① * aphæretica, centroque H describetur circellus E G cõtingens utramque rectam C E, C G, hinc centro A per contactum E ejiciatur recta A E H G: Lunæ porro motus in isto circello duplus esto mediæ exsuperationis Lunæ, centrumque H eodem motu circumagatur qui Lunę in epicyclo attribuebatur in simplicissima illa veterum ante *Ptolemæum* hypothesi. Cui consequens est cum Luna conjunctione media adierit E punctũ circelli proximè A, etiã

* subductitia.



sequenti, imo omnibus deinceps oppositionibus mediis ad idem circelli punctum quod proximè A consistere (quamvis id in diversis epicycli D E F locis contingat) Nam cum Luna à conjunctione media ad mediam oppositionem semicirculum medio suo motu exsuperet, eo intervallo Luna ipsa per hypothesin in circello duplum motum peragit, hoc est totum percurrit, ergo medio motu restituetur ad punctum ipsius circelli quod ab A proximè absit.

Similiter sequentibus deinceps quibuscunque mediis conjunctionibus ad idem punctum restituetur, hoc est ad epicyclum D E F redibit, atque ab hac causa erit quod maxima Lunę prostaphæresis in cõjunctionibus & oppositionibus mediis, Solis Lunæque defectibus 5 gradus nunquam excedat. Contra autem in quadraturis mediis secundum positam hypothesin consistet in termino circelli qui longissimè aberit ab A, ut pote in puncto G, nam cum media Luna medio motu à media conjunctione ad mediam quadraturam circuli quadrantem exsuperet, quo intervallo Luna ipsa in circello ejus duplum, hoc est semicirculum decurrit, consequens quoque est (ut diximus) Lunam in quadraturis consistere in termino circelli longissimè disjuncto ab A, qui est ad G, unde maxima ejus prostaphæresis in quadraturis mediis ad 7 gr. 40 ① assurgere possit, tanta enim est amplitudo anguli A C G subductitia; similiter omnino quanta fuit prostaphæresis anguli A C G subductitia, tanta quoq; eadem esse poterit altrinsecus addititia cum circellus in oppositam partem epicycli D E F discesserit. At verò si adscenderit ad apogæum epicycli

D ad punctum I actaque DIK recta, nulla istic in conjunctionibus vel oppositionibus mediis erit prostaphæresis, quia tum Luna consistat ad D; neque in mediis quadraturis quia tum obtinet terminum K: simillima plane ratione in mediis oppositionibus, conjunctionibus aut quadraturis nulla plane incidit prostaphæresis quando circelli centrum subierit punctum F. Atque ista hypothesi ait *Copernicus* Lunam semper loco debito inveniri.

Ratio autem rectarum quas hujus hypothesis lineæ inter se habent, à *Copernico* subducta est & inventa hoc modo.

Triangulum AEC tres habet terminos cognitos, angulum ACE 5 grad. latus AC 10000, & AEC rectum: Unde semidiameter epicycli AE per 4 planorum triangulorum propositionem invenitur 872, esto tamen ut *Copernicus* usurpat 860.

Triangulum ECG tres habet cognitos terminos, angulum ECG 2 grad. 40 ①, latus EC 10000, qui ut proximè æqualis sit ipsi AC, & angulum GEC rectum; Unde diameter circelli EG per 4 propositionem planorum triangulorum invenitur 466, esto tamen ut *Copernicus* statuit 474.

Hujus semissis pro semidiametro EH 237.

Iam ad CA 10000 additâ AD 860 æquali ipsi AE ordine primo, & præterea DK 474, quæ æqualis sit EG numero ordinis secundo, conflabitur recta CK maxima Lunæ à Terris distantia 11334.

Si jam de CA 1000 deducas ipsam AF 860, quæ æqualis est ipsi AE numero ordinis primo, & præterea 474 semidiametrum circelli cum ad F consistet, reliqua erit minima Lunę à Terris distantia 8666.

Itaque maximæ distantiæ ad minimam ratio erit, quæ 11334 ad 8666, neque verò horum ratio angulo visionis Lunæ tantam differētiam inducit quantam *Ptolemaici* termini in 3 hujus appendicis propositione suggerunt, hoc est ut 65 part. 13 ① ad 34 part. 9 ①; namque si ex proportione concludas ut 34 partes 9 ①, ad 65 partes 13 ①, ita minimus angulus visionis Lunę 30 ① ad 57 ① per 6 proposit. 2 libri. ac tantus foret angulus maximus sub quo Luna nobis videretur secundum *Ptolomaicas* hypotheses. at ex *Copernicea* doctrina tantū 39 ①, id enim ex proportione existet si dixeris ut 8666 ad 11334, sit minimus angulus visionis Lunæ ad quem, concludes tantum 39 ①, qui tamen 3 ① major est quàm illa simplicissima veterum hypothesis, qualis ad *Ptolomæum* fuit allata, ferat, illic enim duntaxat 36 ① dabantur (quibus aiunt veterum observationes, quoque astipulari) namque ut in 2 secundo syllabo 13 propositionis annotavimus maxima distantia est 531 & minima 445: unde ex proportione ut 445 ad 531 sic 30 ① ad quem? Concludes 36 ①, ut hîc *Copernicus* propius verum collimarit quàm *Ptolomæus*.

Secundo in hoc circello nullus motus irregularis à *Copernico* statuitur, qui in *Ptolomaica* hypothesi nunc celerior aliàs tardior usurpatur.


Cæterum consensus utriusque hypothesis cum observationibus in conjunctionibus, oppositionibus & quadraturis mediis, cum Luna in epicycli mediis longitudinibus versatur locum habet, hîc enim utrobique prostaphæresis est 7 grad. 40 ①, atqui extra hæc loca in utrâque hypothesi differentia quædam subest. CONCLUSIO. Atque ita expositum esto additamentum Lunæ theoricis à *Copernico* adjectum.

9 PRO-


9 PROPOSITIO.

Qualisnam sit in genere theoria motui longitudinis Saturni, Iovis & Martis per *Copernicum* adjecta.

Cum *Copernicus* loca Saturni, Iovis, Martis à *Ptolomæo* notata & animadversa pro veris & accuratis usurparet, ut illis tanquam stabili fundamento theoriam inædificaret, non potuere tamen ipsi illæ motuum leges ab *Ptolomæo* excogitatæ probari, ut planetarum motus in epicyclis sui, & epicyclorum in eccentricis non esset æquabilis, sed modo celerior, alias autem tardior, quales supra 6 hujus appendicis propositione expressimus; ideoque pro istis aliam hujusmodi excogitavit motum. Sit A B C deferens alicujus trium superiorũ, ut puta Saturni, hujus centrum D, Terra fixa E, per quam exeat recta A C, ubi A apogæum, C perigæum, D E eccentricitatem designet, ea autem ex *Ptolemäicis* abacis datur 3 part. 25 ①, qualium D A sit 60: hinc centro A decircinetur epicyclus F G, cujus apogæum F, perigæum G, ubi planeta obtineat apogæum F; Hæc erat simplex veterum theorica qualis ante *Ptolomæum* in usu fuit, cui suprascriptam suam theoricem adjecit: atqui cum ea *Copernico* displiceret, in id incubuit utrum commentitii illius motus, nõ commodius per circellum in epicyclo descriptum, hoc est per secundum epicyclum expediretur, quem ipse planeta decurrat: & postquam hæc diversis modis tentasset, tandem ita statuit: Primum distantiam inter terram & punctum inæqualitatis, quæ in additamento *Ptolemäico* per 5 propositionem 11 libri invenitur 6 partium 50 ①, qualium deferentis semidiameter sit 60, pro his *Copernicus* 5 capite 5 libri usurpavit 1139 & 10000: ab istis 1139 mensura rectæ inter Terram & inæqualitatis punctum interjectæ subducebat partem quartam, hoc est 285, reliquos 854 mensurabat ab D versus H; & H jam Terrã significet, quæ prius significabatur per E, inde tertiã partem ipsius DH 854, hoc est E H partium 285 assumebat, eandemque longitudinem signabat ab F ad I, atque intervallo FI decircinabat circellũ, seu epicyclum



cyclum secundum IK; supponebatque planetam in conjunctione cum linea medii motus Solis consistere in perigæo I, motumque planetæ ab I, K versum secundũ graduum successionem æqualem motui centri epicycli ab A, B versum. Atque cum in hac conjunctione media, planeta consistat in perigæo circelli evidens est cum omnibus mediis conjunctionibus eodem restitui, & contra omnibus mediis oppositionibus adscendere ad apogæum K, & in quadraturis in longitudinibus mediis consistere: Atque his legibus veras atque accuratas Saturni longitudines cõsentire putabat *Copernicus*. Verum quandoquidem horum cogitationem & conceptum ad stantis Terræ hypothesin derivare in animo non haberet, sed ad motæ Telluris leges describere instituisset, diagrammatis thesin commutavit. Atque centro H Terræ deferentem decircinavit æqualem priori epicyclo, & in apogæo deferentis circellum æqualem priori, in cujus ambitu ipsum planetam versari statuit. Verumenimvero qui hoc clarius fiet, esto iterum ABC circulus eccentricus, cujus centrum D, punctumq; E tanto hic disjũgatur intervallo ab D, quantum in priore diagrammate cadebat inter E & D, hinc Terræ deferens FG delineetur ex H centro, quod hic omnino eodẽ intervallo absit ab D, quo in figuratione antecedente, hoc est 854 part. & semidiameter deferentis Terræ HG æquetur semidiametro epicycli AG 1083 (tantum enim concludes ex proportione; ut semidiameter deferentis 60 part. ad semidiametrum epicycli 6 part. 30 ①; ita 10000 ad quem?) hinc semidiametro æquali ipsi HE describatur ex A centro circellus IK, æqualis circello IK primi diagrammatis, ubi Saturnus consistat in perigæo I, moveaturque ut in antecedente figuratione ab I versus K. Hæc deformatio motæ Telluris, eandem omnino apparentem planetis longitudinem in ecliptica assignat, quem superior ratio stante Terrâ, cui rei peculiarem demonstrationem primò descripseram, sed cum postea hæc satis plana & obvia mihi viderentur, per ea quæ haud absimili casu ad 15 propositionem 3 libri à nobis demonstrata fuerant, isti labori supersedi; neque parum me commovit lubricum & instabile principium cui hæc ipsa hypothesis innixa sit, atque ideo brevitatis studio hujus veritatem ἀναποδείκτως transmisi & usurpavi.



Notabis autem me hic dixisse *Copernicum* circellũ excogitasse in epicyclo secundum stantis Terræ hypothesin, quod ipsum in ipsius scriptis nusquam mani-

manifestè appareat, id tamen ita constitui & descripsi partim ut planius & clarius animi mei sententiam declararem, partim etiam quod ita revera hæc ab ipso primum concepta videantur.

Secundum expositæ theoriæ leges ait *Copernicus* planetam semper debito loco inveniri.


Animadvertito planum & evidens esse hoc *Copernici* additamentum ex suo & *Ptolomaico* invento commixtum ac derivatum, nam linea illa à qua ipse dodrantem detraxit à *Ptolomæo* usurpatur.

Iam verò ad investigandas planetarum apparentes epochas, seu longitudines secundum eclipticam, notabis in secundo diagrammate apparentem centri circelli lõgitudinem in ecliptica eodem modo inveniendam, quo in 6 membro 15 propositionis 3 libri apparens planetæ in ecliptica longitudo inveniebatur, atque insuper prostaphæresin quam planeta in circello accipit, nam quod inde conflabitur erit optatum. Quæ hactenus de Saturno dicta sunt, in Iove & Marte quoque obtinento. CONCLVSIO. Atque ita theoria Saturni, Iovis & Martis, quatenus à *Copernico* aucta explicata nobis esto.

10 PROPOSITIO.

Qualisnam sit in genere theoria motui Veneris in longitudinem à *Copernico* adjecta.

Cum Venus secundum motæ Telluris hypothesin eodem modo versetur in deferente suo intra magnum Terræ orbem clausa, quo tres superiores in deferentibus magnum Terræ orbem ambientes circumagantur, leges quoque motus Veneris ex sententia *Copernici* evidentes essent & planæ, si Veneris circellum seu epicyclicum intra Terræ orbem describas, quia verò expeditius arbitrabatur centrum deferẽtis Veneris versari in circello, quem circellum alioquin ab ipso deferente ferri oporteret, hunc quoque modum deinceps explicabo. Sit deferens ABC, centrum D, semidiameter DA 10000, E pun-



ctum centri deferentis secundum simplicissimam veterum **hypothesin, qualis** ad *Ptolemaeum* primum allata est, ubi eccentricitas D E **constituebatur 208: at** secundum *Copernicum* signetur punctum F, ut E F, E D **æquales sint, sitque** F centrum deferentis Veneris, unde semidiametro F G **7194 Veneris deferens** G H decircinetur in hac forma, deinde ex I puncto **bisecante ipsam E F,** describatur circellus E F, in quo centrum deferentis G H **versatur & circumagitur** duplâ ad Terram celeritate, & quidem secundum **signorum successionem**, ut cum Terra adierit ad apogæum A vel ad perigæum **C, tum centrum** deferentis G H semper consistat in puncto E, Terrâ **autem in longitudinibus** mediis, ut B, constitutâ, tum centrum illud **semper cõsistat in F: Atq; his motuum** restitutionibus ait *Copernicus* Venerem inveniri **longitudine congruâ.**

CONCLUSIO. Quare istâ theoricâ Veneris **longitudinem secundum** auctarium *Copernici* invenimus quod petebatur.


NOTA.

Copernicus, cum ... capite ... libri videret suo in Mercurii **Theoricis concepta** ejus motum ultro citroque in recta linea **reciprocari, neque tamen circulorum** inordinatos & inæquabiles motus **admitteret, huic fini 4 capite 3 libri theorema** quoddam descripsit, unde **hoc ipsum æquali & ordinato circulorum motu** **præstari posset: ideoque id (cujus etiam** ***Proclus*** **in suis ad *Euclidem* commentariis mentionem aliquam facit) hâc 11 propositione, quæ tanquam lemma sequenti 12 propositioni serviat, explicabo.**

THEOREMA. 11 PROPOSITIO.

Si circulus dati dimidius eidem sit concentricus, inque secundi peripheria tertius ipsi æqualis constituatur, cujus motus secundo sit contrarius & ad eum duplus, quodvis punctum in peripheria tertii semidiametrum primi delineabit.

1 FORM.




DATUM. Sit ABC circulus primo expositus, centrum D, semidiameter A D, jam ex D secundus decircinetur circulus, cujus semidiameter D E æqualis sit semissi semidiametri A D, primi circuli ABC. Hinc ex termino aliquo ut E in peripheria secundi circuli E F, tertius A D secundo æqualis describatur, cujus puncti motus ab A dextrorsum duplus sit motus secundi E F sinistrorsum. Sitque nunc A punctum quoddam assumptum in peripheria tertii circuli A D.

QUÆSI-

QVAESITVM. Demonſtrandum eſt quod A punctum in peripheria tertii circuli A D delineet diametrum A C circuli primi A B C.

PRAEPARATIO. Punctum E ſecundi circuli E F promoverit ſiniſtrorſum ad G, ut hîc vides permenſo arcu E G, ſeu angulo A D B, ut A apogæum tertii circuli A D ab A proceſſerit ad B in hoc ſecundo diagrammate, itaque

2 FORM.



punctum quod fingimus in tertio circulo moveri à B devenerit ad H dextrorſum, ut arcus B H duplus ſit ipſius E G, ſeu angulus B G H duplus anguli B D H. Iam ut clarius quæſitum explicem, in hac figura demôſtrandum eſt H punctum incidere in rectam A C.

DEMONSTRATIO. Cum angulus B G H in centro G duplus ſit per 20 propoſ. 3 libri *Eucl.* anguli B D H in peripheria D in eodem circulo per præparationem conſiſtentis, ajo H punctum neceſſario incidere in rectam A C, nam ſi extra caderet, ut puta in I, non poſſet angulus B G I duplus conſtitui anguli E D G, quod cũ theſi pugnat. **CONCLVSIO.** Itaque ſi circulus dati dimidius & concentricus, &c.

CONSECTARIUM.

Recta B H perpendicularis cadit ad A C. Nam in peripheria E F ſignetur punctum K, ut E K, E G peripheriæ æquales ſint, atque adeò arcus G K ipſi B H æquetur, & connectantur rectæ D K G K: Quibus poſitis A D biſecabit rectam G K in L, ut inter ſe normales ſint. Sed triangulum B G H æquale eſt & ſimile triangulo G D K, rectæque B G, G D in directum exporriguntur, qua de cauſa B H parallela eſt contra G K, atque ipſi conſimiliter perpendicularis inſiſtit in A C. Quæ cum ita ſint ſic inquam: cum motus arcus A B in dato temporis intervallo cognoſcatur, inde dabitur H A ſagitta ſinus H B, ſeu anguli A D B in iiſdem partibus quibus taxabitur A D, per 14 propoſitionem de ſinuum fabrica, ſed H punctum Mercurium deſignat, quare evidens eſt locum ejus in A C diametro cognoſci.


12 PROPOSITIO.

Qualiſnam in genere ſit theorica motui longitudinis Mercurii à *Copernico* adjecta.

Exponatur Terræ deferens ſeu annuæ revolutionis orbis A B, cujus centrum C, diameter A B, eccentricitas D C, quæ ſecundum ſimpliciſſimam

 veterum

veterum hypothesin inventa sit 947 partium, qualiũ semidiameter deferentis Terræ A C sit 10000, centroque D, ac triente ipsius D C, qui sit D E, describatur circellus E F, ut F apogæum sit ipsius C, & E perigæum, hinc ex cen-



tro F describatur deferens epicycli G H, è cujus apogæo H tanquam centro designato epicyclum I K, & eodem centro H minorem circellum L M constituito, cujus semidiameter H M semidiametro H I æqualis sit, ipsamq; A B in L, M punctis intersecet; hinc centro L etiam alter circellus K H constituatur, cujus semidiameter L H, eadem sit quæ H L alterius circelli, in hoc circello K H Mercurius feratur. Diagrammate ita constituto quæ singulis subsit notio explicabimus: F centrum circuli H G singulis annis duas periodos conficit, alteram quam à Terris accipit, alteram propriam, ac utramque secundum ordinem & successionem graduum: L centrum circuli K H peripheriæ circuli L M hæret affixum, ab eaque defertur annua revolutione contra graduum successionem. Motus Mercurii in epicyclo K H graduum ordinem

trem sequitur, æqualis suprascripto motui ipsius F, ut quotannis bis restituatur, unde sequitur Mercurium in recta K I motum suum reciprocare, neque ex illa quoquam exorbitare, per 11 propositionem hujus appendicis. Porro etiam sequitur Terrâ ad A vel B constitutâ, centrum circuli H G tum perpetuò versari in F hoc est in puncto circuli E F remotissimo à C: Verò Terrâ in mediis longitudinibus constitutâ, hoc est 90 gradibus ab A vel B disjunctâ, etiam dictum centrum circuli H G tum semper versabitur in E, seu in puncto circuli E F vicinissimo ad C, idque plane contrariè quam supra in Venere contingit. Præterea quoque sequitur Mercurio lineam I K ultro citroque reciprocante, perigæum esse ad I, Terrâ ad A vel B obtinente, & in apogæo K, Terrâ in mediis longitudinibus constitutâ: Atque inde est quod F centrum circuli H G in circulo E F, & Mercurius in diametro I K quotannis bis circuito ambitu restituantur: Atque interim proprius epicycli I K motus, seu rectæ FH in circulo H G æquabilis 88 proximè diebus unam conversionem facit. His motuum legibus statuit *Copernicus* vera Mercurii loca designari & inveniri. CONCLVSIO. Atque ita summatim Mercurio additus à *Copernico* motus explicitus nobis esto. ut petebatur.

13 PROPOSITIO.

De ignorato affixarum motu, deque ignota eclipticæ ab æquinoctiali declinatione.

Stellis cœlo affixis ignotus etiamnum motus attribuitur, quique celeritate instabili varius sit, nam quamvis inter se eadem servent σχήματα καὶ διαστήματα intervalla situsque, movetur tamen universus ille orbis ab occasu ortum versus, ut stellarum longitudo secundum eclipticam, cujus initium à verna sectione derivatur, semper augeatur: ea enim à *Ptolomai* ætate usque hoc ævi 21 ☉ adaucta est. Motus tamen iste ex observationibus interea institutis valde inæqualis & irregularis censetur, alias lentior, alias verò incitatior; imò ut quibusdam placuit quandoque etiam retrogradus: Hujus rei nonnulli ut *Thebit*, *Alfonsini*, *Purbachius*, *Copernicus*, *Ioannes Wernerus*, diversas theoricas singuli suo arbitrio excogitarunt. Sed ut de ignorato isto motu animi mei sententiam exponam, non ignorandum est refractionem stellarum in locis polo vicinis majorem esse quam versus æquatorem, cujus illustre exemplum extat in celebri illa versus Novam Zemblam expeditione à *Ioanne Bernardi* reliquisq; ejusdem expeditionis sociis, sub elevatione poli 76 gr. observatum, ubi Sol primum sub horizontem condebatur ad diem quartum Novembris 1596, cum ipsis Kalendis debuisset, ut sublimiori situ visus sit, quã reapse obtineret, refractio enim hîc (quod cuivis calculo subducto cognoscere licet) erat 1 gr. 9 ☉: Atqui 81 post diem, ad 24 Ianuarii 1597 limbus Solis denuo apparuit, qui si refractio nulla afficeretur demum ad 9 diem Februarii videri debuisset, ut sublimior videretur quam reapse constitisset, hoc est 5 gr^um. refractione afficeretur; quæ novissima observatione major multò deprehendebatur, quam in priore. Cujus causam diligentissimus cœli syderumque scrutator & celebris mathematicus *Philippus Lansbergius* eruit, ei enim jam diu antea refractionis quædam inæqualitas suboluerat: nam quamvis Solem æquali intervallo ab hyberno tropico observasset, utpote 50 aut 56 gradibus ante ponevé disjunctum, Solem tamen non eadem altitudine supra horizontem elevatum observationibus edoctus est; sed posteriore observatione sublimiorem quam in

priore, cujus causam tamen tum refractioni tribuendam non putabat: siquidem Sol utriusque observationis tempore æqualiter ab hyberno tropico abesset. Verum postquam observationes istas in Nova-Zembla institutas inaudisset, statuit tam imparis refractionis causam (& quidem ut credo optimam) quod frigidæ & humidæ exhalationes ipsa hyeme in Februario spissiores sint & magis humidæ, quã sub finem antecedentis æstatis mense Octobri. Quamobrem cum refractio in Nova-Zembla modum omnem exsuperet, in cæteris autem locis ubi observationes institutæ sunt, Borussia, Germania, Hispania, Italia, Ægypto refractiones tantæ contingant quantam singulæ ferant, imò in eodem loco quoque diversis anni partibus variæ, cujus tamen theoricarum autoribus omnino nihil subolvisse videatur, verisimile est inæqualitatem motus ab ipsis notatam & animadversam, non planè à sola stellarum motus inæqualitate dependere, qui licet æquabilissimus foret, ob dictam tamen refractionem inæqualis videretur: seu ut idem aliis verbis efferam, si motus iste ab illis æqualis observatus esset, id argumento foret motum illum revera inæqualem esse. Ad confirmationem & certiorem dictorum πίστωσιν notabis ex observationibus primulum in Ægypto institutis æqualem motum unius gradus centenis quibusque annis per 432 annorum intervallum animadversum: quodque deinde incitatior & inæqualior motus ex observationibus in climatis borealioribus notatus sit & inductus: cui non sine probabili causa subest suspicio hanc inæqualitatem à neglecta refractione vel totam, vel magnam partem extitisse: atqui utramcunque eligas theoricæ hujus fundamentum subvertitur corruitque, & si illius autores hanc refractionis diversitatem accuratius expendissent verisimile est harum theoricam non isto modo comparaturos. ideoq; istam nunc non describam, ante omnia enim necesse est accuratissimas observationes institui priusquam inde theoricę constitui aut derivari possint. Puto autem huic fini expedire si Alexandriæ in Ægypto Solis in vernam & autumnalem sectionem ingressus, & eclipticæ ab æquinoctiali declinatio observentur, ut sciatur quatenus observationes illæ cum nostris borealioribus eodem momento institutis comparatæ consentiant.

Atq; hactenus de affixarum ignorato motu dictũ esto. Cæterum planetarum quoq; motũ quem hac appendice tractavimus quatenus à *Ptolomæo* observatus est (nam isto fundaméto theoricę innituntur) quoq; lubricũ & instabilẽ judico: nam quamvis summa cum laude, in isto pulvere industriã suam exercuerit ac maximos labores exantlarit, attamen istis observãdis exiguo instrumẽto æreis circellis variegato & cõtexto usus est, quorũ singuli circa suos cardines & axiculos versarentur, ut instrumenti ecliptica contra mundi eclipticam parallela consisteret: deinde etiam stellas per dioptrarũ foramina observavit majore amplitudine quam ipsis stellis videndis opus esset; quæ res longe incertior modo eo quem *Tycho Brahe* usurpavit; incertitudo ipsa & hallucinatio hæc tractantibus nimis nota est, etiamsi instrumenta summa accuratione sint fabricata: atque inde voces & quærelæ illæ nonnunquam *Ptolomæo* penè invito expressæ. Veruntamen si stellarum altitudines & intervalla quammaximis instrumentis mensurentur reliquaque deinceps per sphæricorum triangulorum epilogismum subducantur, certius inde omnia constabunt.

In *Ptolomæicis* præterea observationibus quædam hallucinatio incidebat de apparentibus planetarum longitudinibus, quia syderum cœlo affixorum loca, unde ipsorum dimensio dependebat, illo ævo rudi tantũ modo per 10 ☉ tanquam minima mensura erant descripta & consignata: cæterum præter

inæqua-

commentum inæqualis & à natura alienissimi motus Planetarum, maximè in Marte & Luna testantur observationes ipsos non illa vel vicinitate, vel distantia ad Terram accedere, quantam ipsorum hypotheses exigunt, quod alibi pressius persecuti sumus.

Si cum istis quæ à nobis dicta sunt conjungas testimonia quorundam, ut *Regiomontani*, *Bernhardi Walteri*, & *Purbachii* qui observationibus publicatis strenuam operam suam in istis probarunt, videbis planetarum loca à theoria diffidere. Quibus omnibus justis rationum mominibus libratis non videtur satis exstare indicii utrum planetis subsit aliquis ignoratus adhuc motus; vel si sit, utrum de formula ejus satis planè nobis constet. Quamobrem arbitror si quis novam super his theoricam constituere velit, ante omnia necessarium esse, ut sibi de accuratissimis observationibus prospiciat, quot satis esse futuri operis fundamento videbuntur. Sed ut concludam, quia his animi mei sententiam jam nunc satis explicarim, unicuique quid sentiat liberam potestatem permitto, & simul hujus tertii libri finem facio.

F I N I S.